This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`


CAGN
DE SANA
TU
61
MED
3046

MARSILII CAGNATI MEDICI VERONENSIS

De Sanitate Tuenda

LIBRI DVO.

Primus de Continentia Alter: De Arte Gymnastica.

In Primo recensitis antiquorum opinionibus in cibi, potusq; vsu, tempore & mensura disseritur quisnam modus in hoc tempore seruandus.

In Secundo ostenduntur varia exercitationum genera ac de ipsarum vtilitate & balneorum vsu pertractatur.

Opus recens impressum non modo Medicis sed cuilibet viuenti necessarium.

BIBLIOTECA D. COLEGIO D. S. CARLOS

Patauij, Apud Franciscum Bolzettam. M.DC.V.

Ex Typographia Laurentij Pasquati.

Concedimus licentiam, quod iterum prosent opus car. 151. sit correctum si Marsilij Cagnati de continentia, vel de sanitate tuenda imprimi possit, accedente consensu M.R.P. Inquisitoris. Die ix. Ianuarij. M.DC.IV.

Camillus Peltrari Vic. Generalis.

Visa suprascripta fide R.P. Inqu. concedit qui possit imprimi: Fr. Zaccarias Inq. manu propria.

1605. die x. Mensis Ianu. Patauij.

Ego Ioseph Tinatius Sac. Patau. Colleg. Theolog. cooptatus Iussu per Illustris ac admodum R. D. Camilli Peltrarij &c. Vic. Generalis Episcopatus Pat. præsens opus, manu scriptum, Marsilij Cagnati Gymnastica, vel de Sanitate Tuenda lib. 2. inscriptum in cap. num. 32. diuisum pag. num. 120. integris contentum, ea qua pro Viribus potui diligentia maiori, ac studio, legi, in quo profecto opere sic existet pro vt in præsentiarum iacet, meo quidem iuditio, quod Christiana Fidei, Catholicæque Dogmatibus, seu bonis moribus, vel Christianis Principibus aduersetur nihil reperi: me in eum quandoq; dormitet Homerus Sancori iuditio, & præsertim S. mat. Ecclesiæ submiße submito quare &c.

Stante attestatione in prædicta admodum R. Tinatij concedimus Licentiam imprimendi prædictum opus Excellentissimi D. Marsilij Cagnati, accedente consensu M.R.P. Inquisit. die x. Ianuarij 1605.

Camillus Peltrari Vic. Generalis.

Fr. Zaccarias Rauennas Inq. Paduæ. Concedit vt supra.

1605. a 23. Marzo.

Faccio Fede io Zuanne Meraueglia Secretario hauer letto vn libro in quarto à Stampa intitolato Marsilij Cagnati de Continentia, vel de Sanitate tuenda, liber primus di carte 75. comincia qui hactenus de sanitatis tuẽde finisce. Deo adiuuante tractabuntur. & il 2. lib. & del medesimo & della medesima materia scritto a mano di carte 120. comincia dictũ est priore libro de Continentia. Finisce valetudinis curam suscepisce. nelli quali non ho trouato cosa contraria alla S. Fede, Prencipi, & buoni costumi, & con Iuramento affermo, che li giudico degni di Stampa.

MARSILII CAGNATI DE CONTINENTIA.

Vel de Sanitate Tuenda.

LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

COLEGIO DE Sn CARLOS * BIBLIOTECA

QVI hactenus de sanitatis tuendæ ratione litteris aliquid tradiderunt; quos certum est, iam inde ab ipso Hippocrate Coo, nullo seculo defuisse; egregiam illi quidē operam nauarunt: nam vel ipsi, magno mortalium commodo, multa inuenerunt, & litterarum monumentis commendarunt; quod a Hippocrates a se factum, palam professus est: vel aliorum inuenta auxerunt: vel obscuris aliorum scripturis lucem, disertis, & vberibus commentarijs, attulerunt. Verumtamen illorum ego volumina diligenter, pro viribus, manu versās, & perlegens, locos esse quosdam animaduerti, quos vel illi non attigerunt, vel ieiune nimis, & parcius, quam rei dignitas requirebat, persecuti sunt. in quibus pertractandis se posset aliquis, non sine publicę spe vtilitatis, exercere. itaque cum ipse non paucissima ad eam rem pertinentiā collegissem; quæ partim lectio multiplex obtulerat, partim rerum, quæ mihi medicinam facienti in dies occurrunt, obseruatione

a lib. 3. de diæta. in fine libr. de insomnijs.

didiceram; illa in quatuor libros digessi; non tamen omissis, quæ per alios tracta ta noueram: quo tuendę valetudinis ratio simul comprehensa vniuersa prodiret, Et quoniam *b* Hippocratem habemus auctorem, sanitatis studium esse ἀκοέλην τροφῆς, καὶ ἀοκνίλην πόνου, quod aliquis non male interpretaretur, continentiam, & exercitationem, propterea duobus prims voluminibus ea comprehendi, quæ ad continentiam, & exercitationem pertinent: tamquam hac in parte plus necessitatis, atq; artis contineatur; licet, ex vulgi opinione, vtilior pars altera videatur, quam libris posterioribus complexus sum, in qua de ciborum, & potionum generibus singulis disputatur, & innumerę de tota viuendi ratione quæstiones, passim & creberrime occurrentes, tractantur.

b lib. 6. epidem. sect. 4.

De continentia igitur primum dicturus, lectorem admoneo, ea prætermissum iri, quæ ad scientiam de moribus proprie pertinent, vt quid continentia, & quotuplex sit, in quibus versetur, vtrum virtutum aliqua sit, an res a virtute diuersa, quis continens vere appellari debeat, & alia multa diligenter perquirere, de quibus Aristoteles libro septimo de moribus accuratissimè disputauit; illa enim solum a me tractabuntur, quæ ad sustentandam valetudinem conducunt: nam vere, & grauiter a M. Tullio scriptum est, valetudinem sui corporis notitia sustentari, & obseruatione rerum, quæ vel prosunt, vel obsunt, & continentia in victu. Sed quæ ad humani corporis notitiam pertinent; quoniam ad vniuersam medendi scientiam necessaria sunt; opportuno magis loco tractantur: quæ vero huius loci propria sunt, tractaturus, de continentię vtilitate paullo copiosius edisseram primo, vt ad reliqua deinceps examinanda paratior accedam.

De Continentiæ vtilitate.
Caput I.

QVAMVIS autem existimem, plerosque in hac sententia acquiescere, vt dicant. moderationem ciborum, & continentiam edacitati, & incontinentiæ iure ac merito præferri; quinimmo absurdum videri, hoc quærere, & in dubium reuocare, quod veluti fundamentum, &, vt Græci dicunt, ἀξίωμα, statui posset, de quo magis disputandum non sit, quam de eo, vtrum videlicet linea duobus punctis finiatur; quia tamen contra hanc ipsam sententiam argumenta quædam afferri possunt, quæ nō difficulter nonnullos deciperent; illa in primis expedit recensere, atque diluere. Itaque primo scimus, plurimos solere homines satietate laborare, videturque natura ipsa nos eo ducere, vt quam liberalissime nutriamur: quamobrem posset aliquis existimare, continentiam non esse magnifaciendam: cum naturæ impetus ille, qui in omnibus inest, damnandus non videatur. deinde non est dicendum, frustra naturam instrumenta nobis tradidisse, quæ cibos vltra mensurā, quæ a medicina definitur, excipiunt. tum constat: cæteras animantes, vnius naturæ ductu, & consilio, cibo sumpto, quantum quæque valet, diu viuere, & bene valere. præterea exstat *a* Hippocratis medicinæ auctoris omnium clarissimi testimonium, neque non Cornelij *b* Celsi auctoritas non contemnenda. Alter enim dixit, cum in ægris hominibus, tum in sanis victum tenuem, & exquisitum pleniore periculosiorem esse. Alter autem, cibum semper quamplurimum capiendum esse, dūmodo concoquatur. qui auctor (quod postremum

1. arg. contra cō tinentiam.

2. argum.

3. argum.

4. argum.

a 1. aph. 4. & 5.

b lib. 1. c. 1.

5. argum. c idem Celsus lib. 1. c. 1. & 8. d Plin. lib. 28. cap. 1.

est argumentum) scripsit præstare bis die potius, quam semel cibum capere: nam testantur *d* aliqui traditum ab Hippocrate, non prandentium exta celerius senescere; & obseruatum in ijs est, qui nimia se abstinentia, & sobrietate extenuant, ventriculum contrahi, & hepar siccari, atque obdurescere. certe libro secundo de diæta Hippocrates tradidit, τὴν μονοσιτίην (cui dictioni parem Latini non habent, nisi dicas, ieiunium) ad extenuandum, & siccandum vim habere. hæc dicuntur.

Verũ enimuero, vt, quis vsus sit cõtinẽtiæ, ac tẽperãtię ĩ cibis, intelligatur, singulas hasce argumẽtationes diligẽter, quoad licuerit, examinabo, & nõnullas quæstiones interim occurrẽtes, pro virib., explicabo.

Argum. 1. dissoluitur.

In priori igitur argumentatione illud contra continentiam sumitur, quod attente consideratum, eidẽ fauere intelligetur. Cum enim rari admodum sint, qui nunquam ægrotent, & pars illorum maxima ægritudinibus debitum mortis tempus; quod sequi debet senectam; præuertat; plurimæ autem ægritudines ciborum incontinentiæ ferantur acceptæ; siquidem in edacitatem proniores sumus, vt in hac ratione statuebatur; hoc ipso cognoscimus, vtilem ad vitæ, & bonæ valetudinis tutelam continentiam esse. Nec certe damnandus est naturæ impetus ad ciborum copiam: non quia sit probandus, qua nos inclinat ad intemperantiã; sed quia necessaria quædam commoda secum affert, de quibus deinceps in secunda ratione dicetur: quę bona necessario sequitur hoc periculum (sic onus honorem semper comitatur) delabendi in incontinentiam: quam contra nobis in ratione præsidium collocatum est. vehit nos appetitus nãlis veluti cõcitatus equus, illius tamen cursũ ratione, tãquã freno, inhibere, & modera

Naturæ propensio ad ciborum copiam non damanda.

ri, naturæ liberalitate, ac beneficentia, valemus.

Sed, quæso, in hac ratione perpendenda non-nihil adhuc & studij, & temporis ponamus: cur tam pauci vbique sunt senes? scilicet antesenium plurimi moriuntur. morbi enim per omnes ętates grassantur: & per easdē mors ipsa grassatur. ipso natali die nō pauci decedunt, fascijs inuoluti occidunt multi: neq; dies est infantiæ quisquam, qui non fuerit plurimis letalis. Recense pueritiæ, recense adolescentiæ tempora, iuuentutem considera, & grauiorē, quæ iuuenturem excipit, ætatem contemplare: vna omnium ratio est, par omnium est vel felicitas vel miseria, si est in interitu miseria, aut felicitas aliqua. pueri adhuc infātes, & teneri (vt a *a* nobilissimis medicis traditum est, & ipse rerum vsus nos docet) suis quibusdam morbis capiuntur: sunt quidam dentientium proprij, & alij ætatem, quæ paullo processerit, exercent: pubertati propinquis alij: iuuenibus item alij: atque vlteriori ætati similiter alij familiares existunt. quamobrem ex omni dicta ętate plurimos perire necessarium est. quorum morbum si caussam quæsieris, nihil audies præter lactis copiam, edacitatē, cruditatē, superfluitatū abūdantiā, repletionē, incontinentiā. debet igitur esse modus aliquis ciborum, & potus, quo dictos morbos effugere liceat.

a Hippocr. 3. sect. aph.

Iam ad secundam argumentationem me conuerto: negamus enim frustra, aut temere factum aliquid à natura. Verum, vt corpore nudi nascimur; secus, quam cætera animalia; sed animi vigore, & præstantia fulti, non contenti naturali cutis tegumento, vt pecudes, commodissima simul, & necessaria vestimentorum genera, pro locorum, temporumquè diuersitate, comparamus; ita non est alienū existimare, naturam voluisse, nos in ciborum ratione

Arg. 2. soluitur.

ne

ne à genere brutorum differre. quamuis enim nos eiusmodi fecerit, vt cibi plurimum, atque potionis capere possimus: tamen quia id necessario fit, nec semper vtile potest esse, ideo ingenium tribuit ad comparandam industriam, subsidio aduersus periculum, cui necessario obnoxios nos fecit. necessario, inquã, ita sumus constituti, vt plus queamus assũmere nutrimenti, quam semper debeamus: quoniam incrementi tempore debemus plus cibi capere, quam ad nutriendum solummodo opus sit, quo, scilicet, possint mẽbra iuste adaugeri; quod illis commodissime contingit, si cibi copia distendantur. non hoc quidem solo augetur animal, sed est vis quædam insita corpori, qua & nutritur, & crescit; non fit autem hoc sine alimento, nec commode, & perfecte sine multo alimento: non enim frustra diuinus *a* Hippocrates scripsit, quæ crescunt, plurimo nutrimento indigere: vbi vero iam animal adoleuit; etsi iam tot epulis non eget; quippe quod sustineri dũtaxat postulat; quod parciori nutrimento assequitur, quam in incrementi tempore necessarium fuerat; vasa tamen cibos capientia eadem prædita magnitudine, qua tempore accretionis fuere, tantum deinde capere nihilominus possunt; & capere etiam amant, & gaudent; quantum antea capiebant: quæ res vt vsu non caret, ita periculo non vacat. vsus est, quod homo, vt quoduis animal, cibum sibi quotidianum comparare debebat, non est enim alia ratio brutorum hac parte, atque hominum; quia non satis est, vt naturę uim intelligamus, si quæ commoda nobis afferant ciuitates modo inspexerimus, sed fingere nobis tempus illud, si fuit vnquam, debemus, cum in agris homines, pecudum more, degebant. in eo igitur statu tã homo, quam bruta animalia, in dies cibum comparare

Multi cibi capiẽdi necessitas. Incrementi caussa.

a 1. sect. aph. 14

rare

rare cogebantur, vel ex iis, quos ſponte ferebat tellus, fructibus, vel ex venatione fortuita, & rapina; quoniam autem vbi quis ſemel in eſcam inciderat, incertum erat, an futurum eſſet, vt cum primum egeret, eſcam aliam promptam haberet, ne certum pro incerto relinqueret, & in vitæ diſcrimen ob inediam incurreret, præſentis cibi plurimum ingerebat, vt deinde famem quam diutiſſime ſuſtineret: loculos ſcilicet implebat omnes, vt haberet penuriæ tempore, vnde depromeret. ſic natura comparatum eſſe, cæteræ animantes ſuo exemplo nos docent.

Hic igitur eſt vaſorũ magnitudinis vſus, vt plurimũ capiat, ſubſidio aduerſus inopiã, ſi forte ĩ illã animal ĩcidat: cui magnitudini eſt adiũcta appetitio, & naturalis ad cibi multitudinem inclinatio; de qua loquebar, cum primæ rationi reſpondebam: hoc enim eſt cõmodum, quod ſequitur hunc appetitum, vt animal abundet alimento. Eſt vero periculum illud huic commodo adnexum, ſiue de appetitu, ſiue de vaſorum magnitudine ſermo fiat, quod intemperantiæ ſumus obnoxij, quam morbi, & ipſa mors ſæpenumero ſequitur. contra quod periculum à ratione opẽ poſcimus, quæ idcirco nobis indita eſt, vt naturales appetitus compeſcere, & moderari ob vitæ cuſtodiã poſſimus. itaque vt hæc, quæ dicta eſt, appetitio nõ eſt damnanda; ita non eſt exiſtimandum fruſtra nobis eſſe tributa inſtrumenta, quæ plures eſcas contineant, quam ſemper opus ſit: neque ex his ſequitur, cibis modum nullum adhiberi oportere, aut continẽtiæ incontinentiam præſtare. 3. Arg. diſſoluitur.

Sed neq; brutorũ aĩlium exẽplo, expletio ciborũ probari debet; quod tertio loco obijciebatur; nã ita ſe res habet, quod alia hõnis ætatẽ ſuperãt, alia fortaſſe exæquãt, alia certe breuioris vitæ exiſtunt. ex omni Bruta quoque ob incontinentia ægrotant.

autem

autem genere ob edacitatem incidere in ægritudines experimentis manifestum est. dictum *a* est de ouibus, parum aut nimium saturari, ad corpus alendum esse inimicum, & arietes atque hircos vidimus tritico immodice deuorato paulo post obijsse. Equi, nisi hordeum mensura exhibeatur, ægrotare solent, & perire, quos febre corripi ob cruditatem, maxime cum frugibus recentibus auide nimis vescuntur, auctor est Absyrtus & Hierocles; quibus etiam eosdē, quos homini, morbos accidere traditum *b* est. sed & pecus omne suos quosdam patitur morbos, quos cibi procreat vel vitiositas, vel penuria, vel nimia vbertas: nec etiam vera sunt omnia, vel saltem non omnia sunt perspicua (& ideo non facile credenda) quę de longa brutorum vita feruntur. quæ namque de ceruo, cornice, coruo, *c* Plinius, & *d* Plutarchus refert, ab Hesiodo scripta carminibus; ea fabulam sapere, ijs persuasum nobis est, quæ de Phœnicis ętate, quam obseruare nemo potuit; & de Nymphis, quæ sunt meræ nugæ, eodem loco dicta sunt. de ceruo *a* Aristoteles ea scripsit: vitam esse illi valde longam, ferri quidem, sed nihil certi ex his, quæ narrantur, videri; nec gestationem, nec incrementum hinnuli, ita euenire, quasi vita esset prælonga. scilicet dixerat, octonos tantum menses gestare, & hinnuli velox incrementum esse; quæ breuioris vitæ sunt indicia: quę namq. cito nascuntur, & cito adolescunt, breuioris vitę sunt ijs, quæ diutius gestantur, & tardius crescunt. Dixit *b* Elephantum sesquiannum gestari, aut triennium (vt alij dixerunt) florere *c* autem ætate circa annum sexagesimum: ideo viuere ducentos illum & trecentos annos, ut ab alijs quidem traditum retulit, sed ita, ut ei narrationi nihil repugnans dixerit. Sed & monuit, cibi mensuram in illius pastione

a Varro lib. 2. de r. r. c. 2.

b Plin. lib. 8. c. 44. Arist. lib. 8. de hist. an.

De longa brutorum vita.

c lib. nat. hist. 2. c. 48.
d lib. de defectu oraculorum.

a lib. 6. de hist. anim. c. 29.

b lib. 8. de hist. an. c. 9. de hist. anim. c. 46.

stione

ſtione requiri. Eodem, *a* inquit, paſtu modios Macedonicos nouem, quod plurimum, edere poteſt: ſed tantum dare periculoſum: ſex, aut ſeptem dediſſe modios in vſu frequenti ſatis eſt: ſed farinæ non plus, quàm quīque, vt ex his intelligamus, nec morbis carere pecudum genus, nec ſine cibi menſura; licet hominis ætatem ſuperet; recte valere.

a lib. 8. de hiſt. anim. cap. 9.

Sed non eſt committendum, quin illud quoque moneamus, verum non eſſe, quod contra aliqui dicere ſolent, brutas animantes; ideo quòd, rationis licet expertes, cibum tamen apta ad ſanitatem menſura accipiunt; ſalubrius quam homines degere; quibus ne ratio quidem ipſa ſatis videtur eſſe, ne cibum vltra vel citra modum ſumendo decipiantur: nam præter hęc, quæ diximus de brutorum animalium morbis, quos facit incontinentia, quam hi cō cedunt, cum quibus diſputauimus; habemus domeſtica exempla canum, qui propter ingluuiem alijs negatam frequenter vomunt, & varijs etiā morbis, *b* capiuntur: Gallinarum, quæ propter edacitatem ſæpe *c* pituita, & alijs morbis laborant: Suum, quos quis continentes dicere audeat? nam illorum ſimilitudine *d* Socrates exiſtimauit traditum, ſocios Vlyſſis in ſues à Circe conuerſos fuiſſe, quia ſuum inſtar in epulis incontinentes extitiſſent, contra quā Vlyſſes, quem ideo, ſuem non eſſe factum, dixerunt, quod in cibo continentiam adhibuiſſet. Quod ſi feras reſpexeris, memento *e* Ariſtotelem ſcripſiſſe, Leonem cibo incontinenter admodum vti, multaq; deuorare ſolida ſine vllo diſſectu. mox nihil triduo, aut certe biduo edere: ferre enim inediam poteſt, vt qui iam ad multam ſatietatem repletus eſt. *f* Igitur cum eſt in brutis incontinentia, tum propter ipſam non raro, nec leuiter aliquando ęgrotant.

De brutorum ſanitate.

b Ariſt. lib. 8. de hiſt. an. c. 22.
c Plinius lib. x. cap. 57.
d Xenophonti .i. memorab. Socr.

e Lib. 8. de hiſt. anim. cap. 5.

f Memento itē oppianum de piſce Vranoſcopo ceciniſſe,

Sed ventris sortitur damna voracis.
Non modus est luxus, non est mensura ciborum,
Indomitam seruat rabiem sub ventre rapaci,
Quam saturare potest nunquam sed crescit edendo,
Donec cum rapido disrumpat viscera ventre,
Inuersus tento moriatur corpore in vndis.
Pisce alio aut epulis grauibus trucidetur onustus.

Quod autem quarto loco obijciebatur; victum tenuem, & exquisitum ab Hippocrate damnari; huic sententiæ nihil obstat. quoniam continentiam vulgari modo nos hic accipimus, vt de ea Philosophi quoque veteres locuti sunt. Hoc enim sumimus, studendum esse bonæ valetudini, robur corporis seruandum, vitam, quoad liceat, producendam esse. quibus omnibus vt temperantiam cõducere asserimus, ita etiam continentiam: quæ eo solo differt à temperantia, quod non, vt illa, exercetur sine cupiditate, vt Aristoteles *a* ait. Temperantia habitus est, continentia est ea in voluptatibus moderatio, quæ non ex habitu proficiscitur, sed ex qua, si sæpius adhibeatur, potest habitus nasci: recte enim dixisse putandus est Eusebius ille apud Stobæum *b* à continentia temperantiam in anima generari. temperãs non potest non esse continens, at contra, continens esse intemperans potest; qui semel sibi ipsi moderatus fuerit, tunc dici continens poterit, qui victa cupiditate semper moderatur, ille demum temperans merito vocatur. quæ vero continentia corpora hominum emaciat, infirma & obnoxia morbis reddit, ea non est, cuius caussa hæc in præsentia suscepta disputatio est. continentia non est virtus, sed aliquid virtuti simile, & ad virtutem consequendam idoneum; itaque non potest esse absque mediocritate: qui adeo sunt cibis addicti, vt immodica repletione

4. argum. dissoluitur.

Continẽtia quo differt a temperantia.

a Lib. 7. moral. ad Nicomach.

b Sermone de imprudentia.

Ciborum mediocritas.

obæsi

obæsi fiant, non probantur: sed nec qui cibis ita par
cunt, vt prȩter modū graciles euadant. Media quæ
dam ratio est, quam nos sequimur, & quam *a* Hip- a 1. aph. 4. lib de veteri medicina.
pocrates respexit: qui immodicam ciborum vacui-
tatem, & summam repletionem æquȩ statuit peri-
culosam, & pariter fugiendam. Et *b* comparauit b 1. apho. 5.
tenuissimum viuendi modum non plenissimo, sed
paulo pleniori. Et *c* demum mediocritatem in ci- c 6. epid. sect. 6.
bis aperte commendauit. Corn. Celsus similiter
minime nobis aduersatur, qui non dixit solum, eden
dum esse quamplurimum, sed adiecit, dummodo
concoquatur. quod perinde est, atque si dixisset, ci-
bi capiat, non quantum valet capere, sed quantum
concoquere: at qui nolit plus assumere, quam pos-
sit conficere, huic sepissime cum cupiditate colluctā
dum fuerit, quod est continentem esse. Quod ve- 5. arg. dissoluitur
ro postremum erat, minime omnium arguit conti-
nentes. nam etsi præstat bis die (esto etiam quod
sæpius) quam semel comedere, nihilominus tamen
continentem, ac moderatum præstat esse, quam im
moderatum, & incontinentem, neque enim Celsus
summam laudabat expletionem, sed moderatam,
eam scilicet, quam quisque ferre sine noxa potuis-
set: quia dixit, dummodo concoquatur. ita & Hip
pocratem, non prandentes quidem damnasse, & il-
lorum, qui sobrij nimis sunt, viscera contrahi, &
obdurescere concedo; sed idem Hippocrates sum-
mam vbique repletionem explosit. Cuius *d* & il- d Lib. 6. epid. sect 4. & 6.
lud fertur esse: exercitatio sanitatis, vesci citra satu-
ritatem, impigrum esse. & illud: labores, cibi, po-
tus, somnus, venus, mediocria. quȩ ad continentiæ
laudem egregie pertinent.

Continentia passim probata. *Caput II.*

SED nullum fuit seculum, quod non probauerit continentiam, nulla natio, cuius paulo politiores mores extiterint, quæ testimonium eidem non dederit; vt cognoscere ex ijs licet, quæ de diuersarum gentium moribus litterarum tradita monumētis, iam inde à vetustissimis temporibus, adhuc seruantur. Cum vero eam conferre ad bonam corporis valetudinem existimemus, & ad animi integritatem seruandam, & verum illud esse, quod Socrati *a* tribuitur, corpus & animam simul corrumpi, si quis non fame & siti prouocatus, sed cibi & potus suauitate illectus cibum sumat & potū; ego ea, quæ corporis sunt hoc loco potissimum considero, vbi etiam veneris vel commoda, vel nocumenta non persequor (de qua tamen suo dicetur loco) nam id agere in pręsentia mihi propositum est, quod est omnibus commune, & ad omnem ætatem, & omne genus hominum necessario pertinet: paucis igitur exēplis docebo, continentiam sapientissimis viris sanitatis custodem visam esse, vt *b* Salomoni, qui non alia de caussa hominem, qui coactus plus iusto comedisset, admonuit, vt aduersus imminentem ægritudinem à vomitu auxilium peteret, quā quod incontinentiam morborum caussam arbitrabatur. Persæ *c* olim, Cyri instituto, eum in cibo ac potione modum seruarunt, ad mentis atq; corporis perturbationes vitandas, vt facillime sputa, mucos, & omne aliud genus superfluitatum compescerent: atque si quis palam exspueret, vel emungeret, aut secedere e medio ob huiusmodi rem cogeretur, hoc illi

a Xenoph. lib. 1 de Socr. memorabilibus.

b Ecclesiastici cap. 21.

c Xenoph. de Cyri institutione lib. 1. & 8.

illi vitio vertebatur. Lycurgus *a* viuendi rationē Lacedęmonijs eiusmodi præscripsit, vt repletione onerari minime possent, salubrius autem vitam traducerent.

a Xenoph. lib. de Lacedęmoniorum rep.

Regum *b* Aegyptiorum victus tanta erat moderatione institutus, vt diceres non legum latorem, sed optimum medicum sanitatem collineantem illius auctorem exstitisse. Erat autem ea moderatio, vt nec cibus repletionem, nec vinum ebrietatē inducere posset: & ipsi Aegyptij in conuiuijs vescebantur cibo pauperrimo simul & saluberrimo, inquit *c* Athenæus ex Apollonio. *d* Pythagoras sanitatem fieri testatus est à ciborum & potionū mensura, ideo assuescere oportere victui, quem ἄθρυπτον vocat, quia molles, & effęminati fieri ex eo minime possumus. *e* Alexander magnus diuinam edidit vocem, tenue prandium sibi esse obsonatorem ad cęnandum optimum: quia scilicet corpore integro cibus omnis iucundus videri potest; victu vero intemperanti vis naturæ frangitur, quam continentia & temperantia incolumem seruat. *f* Gorgias Leontinus centum & octo vixisse annos fertur, ac rogatus, quo victus genere vsus esset, respondisse, nihil vnquam se caussa voluptatis comedisse. quo exemplo (cui similia multa referri possent, si locus requireret, & historiam texere instituissem) docemur continentiam, ad vitam etiam producendam auxilio esse: vt conducere ad tuendam bonam valetudinem superiora docebant.

b Diodorus Siculus biblioth. lib. 1. par. 2.

c Lib. 5. dipnos.

d Stobæus de sanit. serm. 90.

e Plutarchus lib. de tu. bo. val.

f Plin. lib. 7. cap. 48. Stobęus ser. 90.

Sed conferre etiam ad morbos, quos alioqui effugere non licet, facilius profligandos; docet grauis auctor *g* Plutarchus, medicam quandam disputationem recensens: qui dicebat, quemadmodum florum odoramenta per se sunt parum efficacia, si

g Lib. de tu. bo. valet.

vero oleo admiſceantur, vehementiora; ſic & morbos, ſi humorum abundantia non adſit, facile euaneſcere; ſi adſit, difficiliores fieri, & corpora humore vacua ſuberis in morem ob leuitatem ſurſum emergere, & nauis inſtar, quam grauis mercimoniorum ſarcina non premit: in ſublime ferri, & tempeſtatem euadere. cumque traditum *a* ſit, Iaſonem Theſſalum aperta per hoſtem vomica liberatum eſſe, quam ſanare medici non poterant, & eundem ſcriptum *b* ſit, fuiſſe in omni re continentiſſimum, exiſtimaui continentiæ præſidio illum ad fortuitam medicinam ſeruatum eſſe, qui ſi intemperans fuiſſet, letalem morbum tamdiu ferre & demum effugere non potuiſſet. viuebat, cum hæc ſcriberem, Romæ, in hoc vniuerſi orbis emporio, illuſtris fœmina Pauli quarti Summi Pontificis ſorore genita Victoria Tolphia, quam in extrema ſenecta (cum eſſet alioqui iam multos annos valetudinaria) epilepſia, & apoplexia ſæpius tentauit: euaſit tamen, facillimo etiam negocio (quod raro non contingit) non aliam ob cauſſam, quam ob ſanguinis, & ſpiritus puritatem, quam ſingulari in victu continentia, quin potius temperantia ſibi comparauerat.

a Cic. lib. 3. de nat. deo. Plin. lib. 7. c. 50. Plutarc. lib. de cap. vtil. ab inimico.
b Xenoph. lib. 6. rerum Græc.
A. D. 1585.

Concluſio.

vt iam liceat profiteri, magnum eſſe continentiæ fructum, bonam ſcilicet tueri valetudinem, vitam diutiſſime producere, morbos facillime profligare.

Propositio Dicendorum.
Caput III.

AD ea nunc accedam, quæ ad vſum hominum magis pertinent. Intelligere enim oportet, quod genus continentiæ ſit eligendum: etenim aliqui ſemel die comedunt, plurimi bis, multi etiam ſæpius, aliqui contra, vnum vel alterum diem famem ferunt, aliqui diutius, alij rurſus abſtemij ſunt, aliqui potu omni carent, aliqui carnibus peculiariter abſtinent, alij tum cibum tum potum ſimplicem diligunt, alij gaudent varietate: de quibus ſigillatim dicendum eſt.

Primum vero ſumendum eſt, alimentum eſſe omnibus neceſſarium, quæ vitam habent: eſt enim vita quemadmodum ardens lucerna, quæ tamdiu ardet, quandiu materia ſuppetit, quæ flammam nutrit, vel oleum, vel cera, vel pix, & huiuſmodi: niſi interim, antequam ſcilicet hæc materia conſumatur, vel flatus vehemens, vel imber, vel quiuis caſus alius flammam extinguat: quamdiu igitur nutriri animal poteſt, tãdiu ẽt viuere poteſt: niſi vis morbi aliqua ingruat, quod hic non eſt conſiderandum.

Quibus homo nutriatur.
Caput IIII.

EST autem homini cibus naturalis, non corpus aliquod ſimplex, ſcilicet nec aer, nec ignis, nec aqua, nec terra: ſed ex his aliquod mixtum, maxime autem ex aqua, & terra: nam quibus conſtamus, iiſdem & nutrimur, vt eſt clariſſimorum *a* auctorum opinio; humanum vero corpus, vt aliorum quoque

a Ariſt. lib. de gen. & corr. t. 50 & lib. de ſenſu, & ſenſibili cap. 4. & 5.

quoque animalium, ex terra & aqua potissimum conflatum est. Existimo autem neminem tam fore ineptum, qui cogitet, hominem luto posse nutriri, & ignoret, quæ e terra nascuntur, & nos alunt, insito ea naturæ ingenio, & cœlestis auxilio motus, ac lucis terram ipsam aqua permixtam ita informare, vt nec terra amplius, nec aqua videatur.

Sunt tamen, qui sibi persuadeant, hominem posse aere nutriri: quoniam reperti nonnulli sunt (de quibus deinceps dicetur) qui cum sine cibo, potuq; degerint, & ali tamen necesse fuerit, illis aerem præbuisse alimentum statuere, quod à ratione alienum visum non est, cum maxima nobis cum aere necessitudo intercedat, quamobrem absque eo ne breuissimum quidem spacium viuere possimus; licet diu sine cibo, potuq; degamus: nec fortasse alia ratio est, quod tam efficaciter nos aer afficiat, vt solus sæpe sanos & ægros faciat (cōstat enim vel sola aeris mutatione, morbos & nasci, & desinere) nisi quia nobis alimentum sit, vt videre est etiam plantas in aliud solum translatas, melius, aut deterius degere, non aliam ob caussam, quam quod aptius, aut minus aptum vno solo, quam alio, nutrimentum hauriūt. Sed contra horum sententiam grauiter à doctissimis viris est disputatum, auctorem, & ducem Aristotelem habentibus, qui libro de sensu & sensili cōtra Pythagoricos quosdam statuit, nec aquam, nec aerem nutrire. propterea non vtar ego sermone multo: tantum occurram ante dictis rationibus: nam de his, qui diu ieiuni penitus vixerunt, posterius differendum est.

Licet autem ea sit inter nos & aerem necessitudo, quæ dicta est, non tamen sequitur, aerem esse nobis alimentum: namque aer alia nobis commo-

da

da præbet: quæ commoda si quis translate alimenta velit appellare, per me licet. at proprie nutrire dicendus non est. Medici *a* aerem asserunt, duo præsertim præstare, alterum est, refrigerium natiui caloris, alterum nutritio spiritus. concedamus igitur vtrumq;, non tamen aer idcirco nutrire dicendus est: nam caloris refrigerium omnino abest à nutritione. nutritio autem spiritus, non est huiusmodi, qua possit homo plures dies sine alio cibi, & potus genere sustineri: nam vt viuat, non solus spiritus, sed ossa quoque, caro, & omnis particula nutriri debet. deinde, spiritus aere nutriri μεταφορικῶς tantū dici potest: quod enim vere alimentum est, debet per os in ventriculum, & inde per venas ad singulas corporis partes meare. quo argumento Arist. eod. lib. de sensu & sensili, docebat, odorem minime nutrire. sed spiritus nutriri vere tantum dicitur, vt in animo quoque vsurpamus, cum dicimus, amorem, odiū, spem, metum, & alia nutriri. Itaque spiritus nutritur aere, idest recreatur, fouetur, conseruatur. at sermo in præsentia est de vera nutritione, cuius gratia os, ventrem, hepar, & potissimum venas natura nobis attribuit.

a Gal. lib. de vsu pulf. c. 3. de vtil. resp. c. 5.

Nec similis est soli mutatio in plantis, & aeris in hominibus: namque nec in satu primo talis est terra plantis, qualis aer hominibus esse dicitur; terra est plantis, vt ventriculus, qui suppeditat alimentum, & aerem esse animalibus alimentum negatum est: longe vero minus ventriculi officio fungi dicemus: nam internum animalia ventriculum habent. aer igitur non nutrit. De igne nihil dicendum est, ex quo nullum generari animal Aristoteles voluit, & tradidit libro secūdo de generatione animalium (qui locus, quam habeat difficultatem, alio loco *b* explicaui) si vero non generatur animal ex igne, ergo nec nutri-

b lib. 1. variar. obser. c. 23.

tur. Terra autem quam ſit idonea ad nutritionem, ex eo maxime intelligere eſt (omitto quod ipſa etiam ſimplex corpus eſt) quod fęminæ prægnantes; quibus deſiderium edendi terram ſæpe naſcitur; & viri item, ſi illam comederint) pueros hoc præſertim facere compertum eſt) prauo *a* colore inficiuntur, & præcordijs laborant. Ab aqua demum nutriri animal, minus præter rationem facile videri poſſet, quoniam eſt aere craſſior, & corpulentior, & quam ipſa terra facilior: ſed nec ea (ſi quid nutriat, nam Galenus *b* etiam, ne dicam Peripateticos, negat nutrire) nos adeo nutrit, vt abſque alio cibo poſſimus longo tempore ſuſtineri: etenim certum eſt, nec plantas e terra vulſas, licet aqua non deficiat, poſſe diu viuere, quæ telluri inſitæ viuere diutiſſime poſſunt: quoniam idoneum ex ea nutrimentum accipiunt, quod ex aqua, & terra conflatum, intra ipſam terram concoquitur (quæ plantis eaſdem, quas ventriculus animalibus, vices præſtat) & tale fit cęleſtis ope caloris, quale ſimplex aqua per ſe non eſt.

a Hippocr. lib. de ſuperfętar. & lib. 2. prædict.

b lib. 3. de vict. rat. in morb. ac. t. 17. lib. 4. aph. 13. lib. 4. de vſu partium.

Homines diu ſine cibo poſſe viuere experimentis & exemplis varijs oſtenditur. Cap. V.

CVM ergo alimentum ſit homini neceſſarium, non immerito quæret aliquis in primis, quamdiu poſſit naturaliter homo degere ſine cibo: nam multa feruntur experimenta, quæ dies etiam quadraginta, & multo plures, quinetiam & annos in fame, & ſiti aliquos vixiſſe doceant: etenim, vt nihil dicam de ijs, quæ in ſacris litteris leguntur; in quibus dicitur *c* Moſes, Helias, *d* & Ieſus *e* Chriſtus Dei

c 1. Exo. c. 34.
d Reg. 3. c. 14.
e Matth. c. 4.

Dei filius Dominus,& Redemptor noster totos dies quadraginta ieiunasse, videlicet neque die, neque nocte cibum, potumve degustasse, quod de quodam etiam S. Augustinus, *a* sibi à fratribus fide dignissimis sua *b* ætate asseueratum esse, testatus est; his, inquam, dimissis, quoniam miraculo constitisse, certissimum est.

a Epist. 86.
b A. D. 400.

In Francorum annalibus traditum est; puellam in territorio Tullensi iuxta villam Commerciarum, seu Conuernacum (vt apud alios legitur) cibo, potuq; omni *c* triginta totos menses abstinuisse & *d* Ludouicum Pium cognomento, Francorum Regem postremos ante obitum dies quadraginta sine cibo, potuq; transegisse: Albertus *e* Magnus scribit, se vidisse *f* Coloniæ mulierem, quæ interdum totos triginta, interdum viginti dies nihil cibi sumeret: virum item melancholicũ, qui (inquit) custoditus,& clausus, septem septimanis sine cibo viueret: sed singulis, aut alternis diebus haustum tantummodo frigidæ adhiberet,& addit, sępius hoc ab illo trium, aut quatuor septimanarum spatio factitatum. Petrus *g* Aponensis, sua tradit *h* tempestate in Nomandia fęminam annos natam triginta, nullo cibo degustato annos octodecim transegisse. Ioannes Bocatius scripsit fęminam *i* Germanam ieiunam prorsus annos triginta traduxisse. proximo *k* seculo, Eugenio Quarto Pontifice Romæ sedente, Gallum presbyterum hac continentia vixisse auctor est Pogius. Et quo anno *l* Nicolaus Pontifex Iubileum celebrauit, aduenam venisse Romam, auctor est Raphael *m* Volaterranus, quem fama erat nunquam comedere, & hunc iussu Pontificis custodiæ traditum, post diem octauum cibum petijsse, oblatumq; exiguum sumpsisse, aliquot viris nobilibus simul, & matronis inspectantibus, quas inter erat ipsius Raphaelis mater.

c ab an. D. 823. ad 825.
d A. D. 840.
e lib. 7. de animal.
f A. D. 1280.
g ad Arist. prob. vltimũ. 10. sect.
h A. D. 1325.
i A. D. 1325.
k A. D. 1436.
l A. D. 1450.
m lib. 23. c. de frugalitate.

Aliquot post aunos Nicolaus quidam inter Heluetios in recessu nemoris degere dicebatur sine vllo penitus cibo, conspicua sanctitatis fama. Idem est auctor Raphael, qui vixit eodem *a* tempore. Nostro *b* autem sæculo *c* scribunt, multos in quodam ægritudinis genere transegisse dies quatuordecim in perpetua fame, ac siti, & plerosq; conualuisse.

a A. D. 1483.
b A. D. 1528.
c Brasauolus ad lib. Hip. de rat. vic. acut.

Item in Chronicis cuiusdam Germani scriptum est, quendam hæresis Anabaptistarum dies nouemdecim neque cibū sumpsisse, neque potum. ferunt *d* quoque in pago Roedt puellam quandam propè decennem, capitis, & intestinorū doloribus correptam, nihil esculentum sine nausea accipere potuisse: inde verò nullo vsam cibo, ad extremū officio manuum, ac pedum prorsus destitutam esse. tandem medicorum consilio, & arte, adhibitis balneis quibusdam, membrorum illi vsum quidem restitutum: sed nauseam non modo non curatam, verumetiam anno sequenti; quo hominum memoria feructior, & aridior nullus extitit; neque potum vllum sumpsisse, neque lotium vllum reddidisse; & iussu Romanorū Regis Ferdinandi asseruatam diligenter; prioribus etiam ablatis indumentis, nouisq; vestitam; dies duodecim nec cibo sumpto, nec potu degisse; nihilo secius in ijs omnibus, quæ natura solent accedere, tam dormientem, quam vigilantem, mutationem non recepisse, & viribus firmam permāsisse, ac demum à Rege multis affectam muneribus, non absque ingenti admiratione, ad suos remissam esse. De qua extat Simonis Portij philosophi ad Paulum Tertium Pontificem Maximum disputatio.

d in Chronicis quæ vertit R. Pōtanus. Gherardus Bucolidianus.

Omitto interim, quod ex Aristotele *e* Plutarchus retulit de Timonis nutrice, quæ quotannis quarundam more ferarum menses duos latebat, vna respi-

e Sympos. dec. 8. c. 9.

ratione vitam adesse demonstrante. omitto etiam, quod à Diogene Laertio de Epimenidis Cretensis inedia somnoq; annorum septem supra septuaginta traditum est. Hæc igitur & his similia multa narrantur, quæ facile persuadeant, posse homines non dies solum paucos, verum etiam menses absque cibo, & absque potu degere. cuius quoq; generis plura quam litteris tradita sunt, verisimile est accidisse, quæ tamen, in tanta vniuersi orbis terrarum vastitate, totq; seculis latent: cum præsertim paucarum gentium res gestas litterarum monimenta contineant, & quæ mira contingunt, omnia scriptoribus non innotescant, & nationes demum multæ fuerint, & hodie sint, quibus litteræ omnino curæ non sunt.

Argumenta ad probandum ieiunium multorum dierum esse naturale. Cap. VI.

SED quoniam prompta est obiectio, hæc minimè credenda, tãquam naturæ modum, ac leges egredientia; vt res planior fiat, exponam, quomodo aliquis posset docere, & persuadere (quamuis falsum hoc sit, vt deinceps explicabitur) illa esse naturaliter facta. scilicet, Dei prouidentia, qua mundus regitur, sæpe efficit, vt statis locis, atque temporibus alias fiant, quæ verè miracula sunt, quæ naturæ superant vires, vt mortuos ad vitam reuocare, & morbos solo verbo, nutuq; soluere; alias verò quæ ob raritatem, atque difficultatem, mira quidam videntur, sed naturæ limites non egrediuntur. cuius rei exemplum sumi potest à te huic, de qua differitur, planè contraria. Nam Regi *a* Maximiliano comitia *b* Augustæ agenti

a A. D. 1511.
b R. Pontanus & Surius in Chron.

agenti oblatus eſt immanis homo, & craſſitudinis, & voracitatis, cui non ſatis erat crudum vitulum, aut incoctam ouem vna eſca deuorare. Quod etſi admirabile Viſum eſt, fecit tamen, vt alterum minus mirãdum videretur, ſcilicet *a* Milonem Crotoniatam taurum quadrimum ſemel vno die voraſſe, qui alias dictus eſt vna cæna carnis libras viginti, & panis totidem comediſſe, ternosq; vini congios eadem hauſiſſe. Maximinus *b* Imper. vno die ſępe vini amphoram vocatam Capitolinam bibiſſe fertur, & carnis comediſſe libras quadraginta, alias ſexaginta; quæ propter abſurdam ingluuiem, & raritatem monſtra eſſe nemo non dixerit.

a Athenæus li. 10.

b Iulius Capitolinus in Maximiuo.

Educitatis cauſſæ.

Habent tamen cauſſam ſatis manifeſtã, primum naturam idoneam, deinde vehementes labores, & fatigationem, poſtremò conſuetudinem. Milo athleta, Maximinus miles robuſtiſſimus, qui duos & tres ſudoris ſui inter laborandum vaſculo excepti, ſexarios oſtendebat: ſęd ſunt etiam noſtra ætate viri & fęminæ ſola conſuetudine & natura ſine laboribus, vna cæna tantum cibi, potusq; abſumentes, quantum aliquis decem, aut pluribus non abſumpſerit. illum, qui vitulum Auguſtæ comedebat, nonnulli tantæ edacitatis eſſe exiſtimarunt, quòd in Borealibus locis natus eſſet; verum cum alij earumdem regionum incolæ eius edacitatis non ſint, quæ huic comparari debeat; id non loco, ſed conſuetudini acceptum retulerim: quod à medicis vocatur βούλιμος: proficiſci quidem illud à frigore nimio concedam, vt medicinæ auctores ſcripſiſſe reperiuntur, ſed non eo modo, vt, qui locis frigidis naſcuntur, ei morbo magis obnoxij futuri ſint: quoniam huic opinioni euetus non reſpondet: ſed frigus inſuetum, & immodicum hoc aliquando efficit, euiuſmodi exemplum narrat auctor

ćter optimus Xenoph. lib.4. de Græcorum aſcenſu. ait enim ex Græcis militibus per niuem iter facientibus, aliquot grandi fame concidiſſe, cibo autem, aut potu ſumpto refectos ſurrexiſſe, & ambulaſſe. Sic *a* Auicenna quoque inter cauſſas vehementioris appetentiæ,& magnæ famis,itinera memorauit per niues,& frigidas regiones.

a lib.3. fen. 13. tract. 2. c. 7. & 12.

Non eſt igitur loco edacitas tribuenda, ſed potius conſuetudini: quam mihi ſententiam ratio primum perſuaſit,vſus verò deinde confirmauit:nam magnę edacitatis virum,& hunc quidem doctrinę,morum, & religionis laude præſtantem; cum in hunc affectum inani imbecillitatis opinione, breue ieiunium ſecutæ, incidiſſet; contraria conſuetudine ex decennali morbo ad priſtinā reuocabimus valetudinem: ita vt iam mediocri contentus cibo, abſque vlla difficultate,& abſtineat,& ieiunia diligenter obſeruet: ſed redeo vnde huc diuerti. Cum igitur natura, & conſuetudine fieri abſurdam ingluuiem, & prodigioſam edacitatem videamus:ita (dicet aliquis) partim natura, partim vſu,& conſuetudine fieri eſt existimandum, vt nonnulli admirabiliter continentes euadant,& abſque dolo,& fallacijs diu cibo, potuq; omni abſtinere poſſint, & viuere, ſunt qui ne vnum quidem diem ieiunia ſeruare audent,ſed tamē vnum vel alterum diem ſine cibo, potuq; trāſigere nullam habere videtur admirationem: nec miramur quod libro Heſter legatur, viros quoſdam, & fęminas triduo integro nec cibum ſumpſiſſe nec potum. Hippocrates (ſeu quiſquis eſt) libro de flatibus inquit,ſi homo neque cibum ſumat,neque potum,poteſt tamen dies duos,vel tres, & plures ducere. & libro de carnibus, vitam hominum ſeptem eſſe dierum hoc argumento comprobauit, quod vſque ad ſeptimum

diem

diem nonnulli peruenerint nec cibo, nec potu vllo refecti: quorum tamen pleriq; moriũtur. Immo nonnullos etiam vltra septimum diem viuere affirmauit, qui tamen & ipsi moriuntur: quod accidisse cuidam melancholico viro mihi noto à testibus fide dignis audiui: viuit enim dies tredecim nullo omnino cibo & potu sumpto. Propterea Celsus recte in curatione quartanæ hæc tradidit: minus etiam curatio probari Heraclidis Tarentini debet: qui primis diebus ducendam aluum, deinde abstinendum vsque in septimum diem dixit. Quod vt sustinere aliquis possit: tamen etiam febre liberatus, vix refectioni valebit. sed ad rem.

Nostræ religionis viri feruntur multi Monachi, & Heremitæ, qui diu vixerunt, cum semel tantum in hebdomade cibum, eumq; leuissimum caperent. Itaque vt in alijs rebus cernere est, naturam humanam in aliquo suam omnem vim exerere, atque profundere; quamobrem ille cæteros omnes longo superet interuallo; sic enim vnum condidit Homerum fontem (vt inquit ille) ingeniorũ, vnum Hippocratem medicinæ parentem, vnum Alexandrum, qui dextra se rerum dominum constituerit, & in alijs similiter vnum, vel certe paucissimos, qui tantum reliquos anteirent, constituit; ita etiam videtur aliquot certe paucos procreasse, qui continentiæ fastigium attingentes, magnum dierum numerum sine omni cibo, atque potu degere potuere: cumq; obijcitur, inediã post diem septimum, aut ad summum post vndecimum naturaliter lætalem esse, quærunt quoniam Deus arcanum hoc aperuerit, lætalem esse in plerisque, fatendum, immo & septimo lætalis est, sumitur tamen, aliquos potuisse ad vndecimum petuenire. immo legimus hæc apud *a* Plinium. Homini non

Inedia vltra diẽ vndecimum an naturalis.

a lib. 11. c. 54.

vtique septimo letalis inedia. Durasse & vltra vndecimum plerosq; certum est: qui igitur hanc vitæ humanæ mensuram esse statuit, vt vndecim dies ieiunando naturaliter præteriri non possint, quo vsus doctore hoc didicit? non est enim negandum omnino, esse aliquid naturale, quoniam raro eueniat: nam accipitur natura in hac disputatione, non vt accipi ab Aristotele solet, qui negat naturale illud esse, quod raro fit; sed communius. Quicquid enim natura suis viribus vel integris, vel mutilis facit, etsi ob raritatem miraculum videtur, naturale dici potest: sic enim morbi quoque, licet naturã oppugnent, accedere natura dicuntur: sic enim scriptum est à *a* Plinio: Hominem vnum mori auiditate inexplebili semper edendi, quasi hoc sit naturale, etsi raro contingit. Cuius rei recens narratum exemplum est: fœminam *b* grandæuam tanta ingluuie, vt ne momentum quidem degeret, quo cibum, potumve non assumeret, quod si modicum se continuisset, anxia exiliebat, & sibi laqueum veluti ad strangulandum iniici sentiebat: quod mõstrum quidem erat, nihilominus tamen naturale erat, quia illud faciebat natura eius: quam praua à teneris consuetudo corruperat.

Natura vt accipiatur.

a lib. 11. c. 54.

b Cornelius Gẽma. lib. 1. c. 6. de naturæ diuinis characterismis.

Accidit vero etiam in morbo, vt aliquis ieiunium sic exerceat, vt sanitate deinde restituta, possit præter cõmunem hominum morem ieiunium seruare, quod videtur illi puellæ accidisse, cuius historia ante narrata est, ex pago Roedt, quæ anno aridissimo nunquam bibit. & est auctor *c* Plinius, equitem Romanum, vt aquam inter cutem euaderet, adeo siti ferendæ assueuisse, vt in senecta potu caruerit. Narrant quoque pueros quosdam in spelunca latuisse à Decij temporibus, vsque ad Theodosium, quem illi sunt allocuti, tunc primum experge facti: & sunt anima-

Inediæ ferendæ caussa morbus nonnunquã est.

c lib. 7. c. 18.

Experimenta.

lia, quæ hyemem transigunt nullo cibi potusve argumento, vt Vrsi, Glyres, serpentes, & alia: Plantæ quoque nonnullæ e terra vulsæ, & in aere suspensæ sibi ipsis satis sunt, nullo extrinseco alimento, ad germinandum etiam, floresq; emittendos, vt Scilla, & Aloes: quibus videtur ostendi, non esse alienum ab hominum natura longi temporis ieiunium: illorum scilicet hominum, quibus calor sit modicus, & humoris pituitosi & crassi copia; quo humore calor sic occupetur, vt humorem nequeat natiuum exhaurire, a quo etiam humore crasso natiuus ipse humor instauratur, atque os vẽtriculi stupefit, quamobrem appetitus necessario desinit: hanc enim esse rationem existimant, qua non dies, & menses, sed & annos iu fame & siti nonnullos posse durare, à quibusdam creditum est. Hæc igitur videntur afferri posse, ad ostendendum, eam opinionem; quod ieiunium non dierum multorum tantum, sed annorum quoque sit naturale; non esse contemnendam.

Lõgum ieiuniũ quibus facile.

Ieiunium quadraginta dierum non est naturale. Cap. VII.

QVAE tamen opinio falsa est, & penitus explodenda: nam grauissimorum virorum auctoritate persuasum nobis est, ieiunia tam longa vel miraculo, & diuina ope, vel diaboli fraude, vel humano mendacio constare, non natura. De ijs, quę sacræ litteræ testantur quid sentiendum sit, viri pietate, & doctrina illustres satis docuerunt. Mosem & Heliam S. Chrysostomus *a* scripsit, Dei potentia sustentatoris ieiunasse: & S. Augustinus *b* Mosem, diuini sermonis consortio fultum, tam longã inediam sine

a Homilia 13. in Matthæum c. 4.
b l b. 1. de mirabilibus sacræ scripturæ.

sine esurie sustinere potuisse. Iesus autem (inquit *a* S.Anselmus) intus habebat, quod sustentabat, videlicet diuinitatem. Quod si quis alius ieiunium huiusmodi imitatus reperitur, hunc etiam assero diuino adiutum præsidio, non proprijs & naturæ viribus fultum, hanc felicitatem adeptum esse.

a in enarrationi. c. 4. Matthæi.

Diaboli vero fraude factum est illud, quod à S. Prospero *b* Aquitanico narratum est, qui sua *c* ætate Carthagine puellam, scripsit, natione Arabam, diabolo obsessam, dies duos vltra octoginta ieiunasse: quæ tamen diceret, media nocte quandam sibi auem apparere, & nescio quid in os instillare. Eam vero deniq; fuisse liberatam sumpta corporis Dominici particula, & calice salutari epoto. Simili quoque fraude accidisse suspicor illi viro, quem Magnus Albertus cognouit: etenim cum dictus sit, fuisse melancholicus, quod genus hominū ijs simile est, quos sinit Deus à diabolus obsideri; qui sic obsidebatur, pro melancholico haberi facile potuit.

b li. de promiss. & prædict. dimidium temporis. c. 5.

c A. D. 430.

Dolo autem humano, atque mendacio illud constabat, quod de Antonio Picente Alphonsi Regis tempore scripsit Antonius Panormita. ille enim impostor quadraginta dies, noctesq; ieiunare credebatur, & cum angelis versari, quamobrem in Italia, Sicilia, & Hispania celebris erat de illius sanctitate, & abstinentia opinio: sed cognitum tandem est, dolo factum illud esse. dolumq; I. Iouianus Pontanus describi libro secundo de Sermone, inquiens, sub Alphonso Rege Ferdinandi huius patre, eandem hanc abstinentiam cum ostentaret alius quidam, cuius nomē e memoria excidit, adhibitoq; esset cura, ne quid esculenti, potusq; ad illum inferretur, compertum postea est, sub speciem nocturni luminis (erat enim hibernum tempus) victitare interim e candelis noctur

ni luminis caussa subministratis, quæ e succaro, cinnamomoq; constarent, atque e gallinarum pectoribus minutissimę contusis, seuo tamen super illito cui simile exemplum Romæ visum sub Nicolao Pontifice, ab Aenea Siluio narratum est: tale quoque est, quod de fęmina quadam nomine Anna traditū est, quæ Augustæ Vindelicorum habitabat, & virgo habebatur, etsi iam maior esset quadragenaria. Ea igitur neque edere, neque bibere, neque egerere, neque dormire credebatur, sed pijs meditationibus Christi gratia sustineri. Verum deprehensa est demum meretrix esse fallacissima: quæ eiusmodi præstigijs Cæsari, ac ditissimis quibusq; imponeret. Itaque proscripta est, & Friburgi Vocontiorum publico iudicio damnata, & aquis tandem submersa. quod genus imposturæ ilie forsan Anabaptista exercuit, qui ante dictus est nouemdecim dies omni cibo, & potu se continuisse: licet enim minus hoc incredibile videatur, quam alia quædam, quæ feruntur, ipsum tamen, ob gentis perfidiam, crimine non vacare arbitrarer: etenim constat, fuisse etiam ex illa hominum colluuie, qui se posse mortuos suscitare simulauerint. quam tamen laudem, dolis detectis, consecuti non sunt: itaque in his, quæ proposita, & enarrata exempla sunt, disquiri primum oportuit in re præsenti diligenter, vtrum mendacium subesset; qua diligentia non adhibita, suspectæ narrationes redduntur: quoniam, vbi fuit adhibita, nonnunquam fraus comperta est. deinde vero, si mendacium non adsit; & naturæ limites transgredi res à peritis viris iudicabitur; diuina ope fiat, an fraude diabolica, sanctiori iudicio distinguendum relinquetur.

A. D. 1511. R. Pontanus Iacob. spiegellius.

A. D. 1558. Alanus Copus Dialogo 6. c. 29.

Quod de puella dictum est, quæ in pago Roedt ex morbo eo deuenit, vt annum, & illum quidem ari

dissimum

dissimum sine potu vixerit; & duodecim quoq; dies absque cibo, & potu transegerit, non adeo, sicuti cætera, alienum est: nam sine potu viuere hominem posse; si quis non credat *a* Plinio, Iulium Viatorem equitem Romanum potu diutissime caruisse; & Raphaeli Volaterrano, cuius sunt illa verba: viuit etiã Romæ nunc mihi notissimus, qui plures in anno impotus omnino transigit dies; si quis, inquam, hæc dubia esse veretur: hoc saltem discat Galli exemplo nobilis, qui nunc Romæ apud Pontificem Galliæ Regis oratorem agit, quem suo arbitratu menses, & annos sine omne potu degere in confesso est; vt nihil dicam de animalibus, quæ natura nunquam bibunt. De inedia vero puellæ eiusdem dici potest, sæpe accidere, vt ægri minimo, & extra fidem exiguo cibo, atque potu sustineantur: non quod aer illos nutriat; hoc enim fieri non posse, ante satis ostensum est; sed vel ob caloris infirmitatem, vel humoris tum abundantiam, tum crassitudinem, vel ob ventriculi stuporem, vel omnibus dictis conspirantibus; quod fieri potest quod si etiam longa ægritudo fuerit, accidet, vt cibum vasa capientia paullatim concidere sine periculo assuescant: adeo vt aliquot etiam dies in fame, ad siti viuere possint: quod huic puellæ puto euenisse, quæ diu nauseam passa inanitati ferendæ stomachum assuefecit: quod locum habere in illo quoque potest melancholico, quem Albertus memorauit, qui ob ventriculi morbum (Nam hanc in melãcholicis partem laborare, Methodici opinati sunt, nec de tertio melancholiæ genere Galenus recusat) potuit solo aquæ haustu totum illud tempus (vt mittamus alterum, quod de eodem homine ante diximus) transigere.

a lib. 7. c. 18.

A. D. 1585.

Sane idem grauis auctor Ponetanus loco nuper

memo-

memorato hæc habet, quibus noſtra opinio confirmatur. Sub Ferdinando Neapolitanorum Rege, agebat Caietæ in cenobio Gerardus quidam, qui ſeptimum in diem cibo abſtinere conſueuiſſet, ac potu, indeq; Sanctus habebatur, ac Deo carus. Venerabatur illum populus, vtq; eum adorarent, frequentes ad eis finitimis conueniebant ex oppidis. Miſit ad eam rem perſpiciendam Ferdinandus Maſium Aquoſam, & perſpicacem, & abunde expertum virum, cuius etiam fides eſſet quam perſpectiſſima. Is dies, noctesq; cum illo ſeptem eodem ſimul in cubiculo cum egiſſet ſumma cum vigilantia, & cuta, comperit tandem & capitis illum, & ſtomachi pituita laborare, nimiaq; dehumectatione, quo e vitio appetendi vis illa conſopita iaceret, ac pene extincta, eſſeq; ſiue ieiunium illud, ſiue abſtinentiam, ad morbum, malumq; corporis habitum referendam, vanoſq; illos eſſe, & oſtentatores, qui perſuadere conarentur, Genios, hoc eſt Angelos victum ad illum quotidianum ferre, ciboq; diuino paſcere. cum verò ex veteribus aliqui, vt ante dictum eſt, teſtati ſint, plures duraſſe vltra vndecimum diem: propterea minus mirandum videtur, quod Volaterranus ſcribit de aduena Romam profecto, qui die octauo cibum petijt. Hippocrates autem, vt dictum eſt, ſeptem dies hominum vitæ adiudicauit: & viri religioſi multi ſuis ieiunijs hoc comprobarunt, quemadmodum varios apud auctores antiquos, atque recentes videre licet: Vnum ego, quod recentiſſimum eſt non prætermittam.

a A.D. 1583. Tibure *a* biennio ante quam hæc ſcriberem, foſſor quidam dum in ſubterraneo aquæductu foderet, repentino terræ hiatu, quem copia imbrium effecerat, ruente terra, viuens ſepultus eſt: ſed tantus in eo

fuit

fuit animi vigor, vt die nocteq; (etsi neque diem, neque noctem dignoscere posset) manibus, pedibus, capite, dorsoq; nitens, circumiacentem terram, qua sepeliebatur, excauauerit, & veluti cuniculum effoderit: quamobrem, talpæ instar gradiens, in aquęductus partem, vltra ruinam, deniq; penetrauerit: cuius fornix aquæductus ob pluuias immoderatas perfractus conciderat, & hiatum, ruinamq; illam excitauerat; inde vero septimo tandem die, interim cibo nullo, potuq; sumpto, incolumis (extremis dumtaxat digitis attritis) emerserit: à quo non est illud absimile, quod narrat S. Paulinus *a* epistola ad Macarium, a A. D. 400. senem videlicet quędam in naui relictum, quam reliqui omnes ob tempestatem deseruerãt, sex dies, atque noctes ieiunum exegisse: quamquam alia in eadem epistola dicuntur, quæ doceant, illi seni multa illo tempore Dei beneficentia non vulgari contigisse: vt demum concludere possimus, inediam intra diem septimum multis innocuam, atque nonnullis etiam salutarem esse, vltra vero vsque ad decimum, vel duodecimum diem, rarissimos sine periculo ferre: vlterius vero non absque miraculo, vel diaboli fraude posse sustineri.

Neque sibi fingere aliquis debet, esse quasdam excellentes hominum naturas, qui cæteris magnopere antecellunt, Homeri exemplo, Hippocratis, Alexandri, & similium: nam vt hoc non negatur, ita illud asseritur, fuisse nihilominus alios, qui, cũ principem locum in eisdem rerum generibus consequi non potuerint, ad illum tamen proxime accessere: non restinxit Homerus studia Sophoclis, aut Pindari, aut aliorum poetarum: nec Hippocrates deterruit à studio medicinæ Praxagoram, vel Dioclem, vel Erasistratum, vel alios complures: nec Alexandri felicitas locum

cum

eum abstulit gloriæ Scipionis, vel Annibalis, vel Cæsaris, vel aliorum, quos multos bellica laude constat fuisse clarissimos. quod & in alijs studijs licet videre. At qui ieiunando ad diem quadragesimum proxime accesserint, veluti ad trigesimum quintum, vel trigesimum, immo vigesimum quintū, aut etiam vigesimum, nulli traduntur, aut hodie sunt; vt quasi ex quibusdam gradibus infimis natura ad summa fastigia ascensum paret, & per eosdem à summo descendat; quemadmodum in humanis studijs videmus, quæ certis temporum spacijs florere, & vicissim languescere cernuntur.

Sed neque argumentum ab edacitate sumptum vim aliquam habere existimandum est: nam ratio edacitatis, & inediæ dissimillima est: etenim cibus ad vitam est maxime necessarius, illiq; tantam adiunxit natura iucūditatem, vt nisi ratio modum adhibeat, prompte admodum ruamus in intemperantiam: at per inediam mors accersitur. Itaque si edaces viuunt, non sequitur, vt viuere etiam possint, qui neque comedunt, neque bibunt: sed contra, vt hi moriantur necessarium est. Item si absque cibo nemo viuit, non sequitur, & edaces viuere non posse: sed possunt, quia contrarias caussas, & contraria principia effectus contrarij consequūtur. Si subtilius obijcias; si alterum natura potest contrariorum, ergo & alterum potest; fatebor, posse, at seruata contrarietatis ratione, vt caussæ contrariæ contrarios effectus producant; viuunt edacissimi sane: sed ideo viuunt, quia cum eo, quod nimium est, inest etiam illud mediocre, quod ad vitam sustinendam necessarium est; qui nunquam comedunt, si sint, hos demum mori necesse est, quia necessarium alimentum est: illud difficultate carere potest: sunt edacissimi, & edacitatis caussa mi-

ſa miſere viuunt, ergo feliciter viuent continentiſſimi, non qui nunquam comedunt, ſed qui ſemper moderate, & temperanter hoc faciunt.

Neque negamus eſſe naturale, quod paucis euenit; quoniam monſtra quoque à natura eſſe aliquo modo dici poſſunt: ſumere autem argumentum à brutis, quæ hieme condita, & ſomno dedita cibum, potumve interea nullum accipiunt; & à plantarum quarundam natura, quæ diu vitæ munera exercent nullo extrinſecus alimento accedente; ridiculum videtur: quoniam ſimili argumento probari poſſet, hominem volare, ſunt enim, quæ volatu animalia feruntur; poſſe diu ſub aquis viuere, ſunt enim quæ ſub aquis perpetuo viuunt; & huiuſmodi, quæ abſona, & à ratione penitus abhorrentia exiſtimantur: vt nihil de ipſis plantis dicamus, quæ longe maxime ab humana conſtitutione, naturaq; diſtant. De quibus tamen admonendi ſumus: nihil omnino Scyllæ, & Aloe extrinſecus aduenire, quo nutriantur; ne quis credat, aerem illis alimentum eſſe; ſed habent in ſeipſis, vnde noua germina nutriantur. Scyllæ germen exterioris ſucco tunicæ alitur, cui tunicæ demum ea de cauſſa proxima ſuccedit, quæ ſuccedentem ſimiliter germinationem nutriat: cum interim tunica illa exterior areſiat. Aloes vero frondes externæ nouis germinibus alimoniam præbent: ipſę vero exhauſtę deficiunt, & ſuccedentibus locum relinquunt, à quibus ſuccedentia ſimiliter germina nutriãtur. Idemq; cepta facere potuiſſet, quę pariter repoſita germinat, & tunicis multis veſtitur, vt Scylla; ſed cito corrumpitur: quoniam neque aſpera eſt, vt Scylla, neque amara vt Aloe.

Scylla & Aloe repoſita quo nutriatur.

Quod poſtremo caloris imbecillitas natiui ad ieiunium ferendum conducat, concedo: nam Hippo-

cratis auctoritate id confirmatur. 1. aph. 13. & 14. quod similiter humoris copia ad idem conferat, non nego, cum eiusdem Hippocratis testimonium adsit. 7. aph. 61. quod pituita idem efficiat, idem est auctor libro de victu acutorũ morb. 2. nam inquit, inediam insolitam facilius ferunt plerunq;, quibus in superioribus pituita continetur, quapropter etiam semel die præter morem cibũ capere facilius hi patientur. Concedamus quoque doctorum hominum auctoritati, stuporem ventriculi ad longam famem, & sitim ferendam prodesse. Sed hæc non nisi de breui tempore accipiuntur. Non autẽ quo dies multos, atque menses, vt dicta animalia, & plantæ, sine omni cibo ducere valeant. Alioqui Serpentes, Glyres, Muresq; dicti, Plantæ similiter, & alia, quæ dicta sunt, hoc habent sic à natura, vt idem omnibus sui generis commune sit. At hominibus non solum paucissimis accidit, vt diutius se continere in fame, sitiq; sine periculo possint, sed & illis non semper, vt dictis plantis; quæ quocunq; tempore suspensæ asseruantur; nec statis temporibus, vt dictis animalibus, quæ hyeme latent sepulta somno, reliquo vero tempore apparẽt escam quæsitura; sed illorum arbitratu, quando scilicet, & quamdiu volunt, inediam tolerant: quod fraudis, ac mendacij argumentum est; ijs exceptis, quibus Diuinum numen adspirat, Scribunt quidem Timonis nutricem quotannis in spelunca, ferarum more, stato tempore, duos menses in omnimoda inedia latere solitam: verum, vt testis, ita & exempli vnius dubia est fides, præsertim Græcorum, totq; peractis iam seculis. Sed vereor, ne insanire quibusdam videar, dum hæc curiose nimis persequor, quæ nullam habere dubitationem videntur. Hactenus igitur dixi, vt ostenderem, ieiunium vltra diem septimum,

Conclusio.

vel ad summum decimum, vel duodecimum, omnino lętale esse: nec posse ferri absque peculiari Dei beneficentia, vel fraude hostis humanæ naturæ sempiterni: quod enim humanis dolis, vel præstigijs constat, ne dici quidem ieiunium meretur.

Quæ ad famem, sitimq; longo tempore sustinendam iuuat. Cap. VIII.

CVM autem hoc etiam inter hominum commenta nonnulli memorare soliti sint; esse videlicet rerum quædam genera, quæ gustu perexiguo diutissime in fame, & siti hominem sustinet: hoc loco non iniuria de re hac aliquis quæret. de qua pauca, quæ habeo, paucis exponam: nihil autem de ijs dicam, quos pie credimus, sumpto Domini sanctissimo corpore, pluribus diebus, nulla alia esca, potioneq; sumpta, famem, atque sitim sustinuisse: sed sunt, qui scripserunt, *a* butyrum, hippacem, & glycyrrhizon gustu exiguo famem, sitimq; sedare. Et in Creta herbam esse alij *b* dixerunt, quæ morsu famem diuturnam prohibet, & ἄλιμος Græce vocatur. *c* Theophrastus dixit, in Scythia circa Męotin radicem vocari Scythicen, quam ore habentes sitim non sentiũt. Eaq; & hippace Scythas in vndenos dies, & duodenos durare in fame, atque siti. *d* Plinius de Scylla inquit, linguæ recens subiecta præstat ne hydropici sitim sentiant: traditum *e* est etiam, Britannos olim cibum quendam parare solitos, qui, fabæ magnitudine sumptus: hominẽ a fame, & siti diu defenderet.

Indos etiam occiduos *f* narrant in nouo orbe triduum, & quatriduum, per desertaloca iter facientes, viuere, pilulam ore habentes perexiguam ex cuius-

a Plin. lib. 11. c. 54.

b Solinus c. 17.

c lib. 9. de plantis.

d lib. 20. c. 9.

e Xiphilin. ex Dione in Seuero.

f Nicolaus Monardes in hist. simpl. medica. ex nouo orbe.

dam conchylij puluere, & Tabaci folijs effictam;
qua liquata subinde aliam, atque inde aliam substi-
tuunt; nullo præterea a cibo, potuq; . Hæc igitur fe-
runtur quæ, multos habentia testes, & non magnam
admirationem, negari facile non debent. non est au-
tem incredibile, aliquem in fame, atque siti triduum,
aut quatriduum nullo quoque externo auxilio, du-
cere. famis tamen, sitisq; molestiam sedari illarum
vsu rerum, quas dixi, experimentis credendum est,
& rationem quoque habere videtur manifestam: ete
nim hæc retenta ore succum ex internis corporis par
tibus ad os trahunt, qui succus deinde absorptus su-
bit speciem cibi, & potus, instar ruminationis. qua
imagine ventriculus quasi decipitur, & desinit esse
molestus. Si quis vero existimat, hac ratione posse
quemquam decem dies, vel plures viuere; hoc ille,
me auctore, non experietur. neque quod de Scythis
Plinij locus notatur lib. 25. c. 8. dictum est, accipi debet, vt à Plinio acceptum est, qui
ex Theophrasto credidit, Hippacen plantam esse si-
cuti Scythicen, & vtramq; remedio esse aduersus fa-
mem, & sitim. sed Theophrastus tantum dixit, Scy-
thicen (vel ea sit Glycirrhiza vulgaris, vel alia) si-
tim sedare, eaq; & Hippace Scythas duodenos dies
viuere. Hippacen vero plantam esse nec negauit,
nec affirmauit. Constat autem ex *a* Hippocrate, ca-
a lib. de aere aq. & loc. & lib. de morb. 4. seum equinum, quo Scythæ circa Mæotim habitan-
tes vescebātur, Hippacen vocatum. vt intelligamus
ex Theophrasti narratione, Scythas comedere Hip-
pacen consueuisse, cumq; potu interim abstinerent
(incertum, volentes, an inuiti) radice Scythice re-
tenta ore sitis molestiam euadere solitos esse. De sola
enim siti Theophrastus locutus est: quo pacto res ad-
miratione caret.

Erasistratus nobilis medicus aliam contra famem

Scytharum machinam exposuit, apud quem libro διαιρέσεων, A. Gellio a referente, narratio hæc extabat. Soliti autem sunt Scythæ: cum aliquam ob caussam coguntur cibo abstinere: latis fascijs ventrem constringere, veluti hac ratione minus à fame perturbentur. εἰθισμένοι δὲ εἰσι καὶ οἱ Σκύθαι, ὅταν διά τινα καιρὸν ἀναγκάζονται ἀσιτεῖν, ζώναις πλατείαις τὴν κοιλίαν διασφίγγειν, ὡς τῆς πείνης αὐτοῖς ἧττον ἐνοχλούσης. (affero libens verba eius Græca, quæ in A. Gellio leguntur, ad leniẽdum desiderium tot amissorum voluminum scriptoris, non minus affinitate Aristotelis, quam ob Antiochum seruatum, nobilitati) huius autẽ rei caussam existimabat hanc esse. quando plenus stomachus est, quia inanitas in eo nulla est, idcirco non esuriunt. quando vero vehementer conniuet, inanitatem non habet, ὅταν, inquit, πλήρης ἡ κοιλία ἦ, διὰ τὸ κένωμα ἐν αὐτῇ μηδὲν εἶναι, διὰ τοῦτο οὐ πεινῶσιν. ὅταν δὲ σφόδρα συμπεπτωκυῖα ἦ, κένωμα οὐκ ἔχει. Itaque cum illos, inediam volentes plurimam passos, fames primum sequatur, deinde vero dimittat; hoc idcirco fieri putabat, quoniam stomachus ex longa inedia concideret, & conuiueret. sunt enim eiusdem verba, ἐλογιζόμεθα οὖν παρὰ τὴν ἰσχυρὰν σύμπτωσιν τῆς κοιλίας εἶναι τὴν σφόδρα ἀσιτίαν. καὶ γὰρ τοῖς ἐπιπλέον ἀσιτοῦσι κατὰ προαίρεσιν ἐν τοῖς χρόνοις ἡ πεῖνα παρακολουθεῖ. ὕστερον δὲ οὐκ ἔτι. igitur stomachi contractio, fasciarum ope, famis remedium est: sed non illius (mea opinione) quæ multis diebus ferri possit: quoniam cibus ita liberat ab inanitate ventriculum, vt intumescere ipsum faciebat, quemadmodum naturalis alendi ratio postulat, quæ in adiectione nouæ materiæ consistit: at constrictio, quæ dicta est, e contrario detumescere eundem facit: hoc

a lib.16. c.3.

vero

vero eſt naturali ſtomachi officio contrarium: itaq; non poteſt diu ferri ſine periculo. Si verũ eſſet, quod de gente Aſtomorum aliqui ſcripſerunt, ſolo radicũ, florum, fructuumve odore viuentium; non tamen eſſet magis imitandum, quam ſint cicadæ *a* imitandæ, & Chamęleontes, quibus nullum extrinſecus alimentum accedere creditur. illud magis probandum, quod ferunt, triduum vixiſſe ſolo panis odore *b* Democritum, ſiue mellis, vt alij dixerunt: eſt enim medicorum experimentis manifeſtum, ſpiritus languentes odoribus modico tempore recreati. ſed de his hactenus.

a Ariſtot. lib. 4. de partib. anim. Plin. lib. 8. c. 53.

b Diogenes Laert. in Democrito. Athenæus li. 2.

Admonitio. *Cap. IX.*

Longior inedia inutilis.

HIs autem ſic diſputatis de tempore, quod longiſſimum ſine cibo, & potu poteſt homo traducere. ſcire licet, hoc non eſſe, quod ab eo ſpectandum eſt, qui bonæ valetudini dare operam velit: nam longiorem inediam virium infirmitas ſequitur morbis obnoxia, macies, & aliquando mors. Nec eſt ea continentia, de qua initio verba faciebam, quæ mediocritas quædam eſt, vel in quadam mediocritate conſiſtit, ex qua temperantiæ virtus naſci poteſt: ſed hęc tam longa continentia ex habitu quodã eſt, qui temperantiam magnopere antecellit, & heroicum, vel diuinum potius quiddam in ſe continet. quod ſi heroica in aliquo virtus exſtitit, illa profecto in his fuiſſe reperietur, qui longiſſima hæc, de quibus dixi, ieiunia ferre potuerunt. etenim humanas hi voluptates, & delitias deſpectui habentes, & ſublimibus ac diuinis intenti rebus, aliquid humanitate præſtantius ſibi ineſſe præſeferebant. de his igitur ſatis.

Salubrius esse sæpe, quam semel die comedere. *Cap. X.*

CONSIDERANDVM iam est, qui modus, quæve ratio in assumendo cibo, atque potu, iuxta communem hominum morem, valetudinis caussa, adhibenda sit. Cum igitur sit necessarium alimentum, vt ante dixi, sitq; etiam labor plerisq; necessarius, propterea frequens plerisq; refectio pariter necessaria est: nam si labor, & *a* fames conueniant, hominem facile perdent: quia vero maximam vim esse in consuetudine certum est; cum à teneris assueuerimus crebris refectibus, ideo, qui quoque laboribus non exhauriuntur, epulis egent frequẽtibus, nisi paullatim contraria ratione assuescant: propterea non multorum solum dierum, sed vnius etiam inedia plerisq; potest obesse. Hinc, veluti ex caussa necessaria, orta est vulgaris consuetudo cibum eodem die sæpe capiendi. quæ res, si modus adhibẽtur, vtilior est, quam semel die tantum refici. Sumendum est enim, quod amat natura vbertatem, & luxu gaudet. cęlo clementi, & temperate humido rerum omnium fit prouentus vberrimus, & lætissimus: in ariditate vero squalor summus, & inopia: præstat igitur abundare, vt etiam propensi ad copiam naturaliter sumus, vt initio quoque dicebam.

a Hippo. 2. aph. 16.

Itaque necesse est, vel multum, & raro, vel parum, & sæpe nutriri: nam si multum & sæpe nutriaris, te copia obruet; si parum, & raro, teipsum exhauries. Si vero multum cibi raro acceperis, solet hoc oneri esse, & modo torporem, & somnolentiam, modo vigilias, & anxietatem inducere, & ad res gerẽdas ineptum hominem reddere: atque cum egeat is, qui cibo onu-

bo onustus est, longa quiete; donec scilicet magna
oneris pars concoctione ablata sit; si sibi vim inferre
cogatur, ita vt cibo adhuc distentus labores subire
debeat; quod plurimis necessario euenit; morbos pa-
ratos inueniet. Ad hæc, cum cibus multus est, & lon
go eget ad concoquendum, & distribuendum tem-
pore, diu intra corpus detentus, vti carnes appensæ
non conditæ sale, marcescit, deteriusq; putrescit,
quam proba concoctio requirat. Itaque demum vel
malum habitum inducet, vel insanabile aliud mor-
bi genus excitabit. Contra vero si modice, & sæpe
cibum capies, idem robur virium perpetuo quodam
tenore seruabis, suauius dormies, facilius vigiliam,
cum opus fuerit, patieris, consuetos labores facillime
feres, & insuetos tutius subibis, & pericula longius
aberunt, bonusq; corporis habitus, quantum natu-
ra feret, nunquam non aderit: cuius rei fidem ab ex-
perimentis sumere promptissimum est.

Antiqui sæpe die eodem comedebant. Cap. XI.

NEque obijciat mihi quisquam antiquorum con
suetudinem, qui, semel die tantum cibum cape-
re soliti esse dicuntur: nam si hoc vere dicitur, necesse
est, vel omnes, vel plerosq;, vel paucos illam semel
die comedendi consuetudinem seruasse. Si omnes,
vel pleriq; fecissent, vera esset obiectio. Si pauci, non
esset efficax argumentum ad ostendendum, vtilius
esse semel die, quam sæpe comedere. quod vero ple-
riq;, aut omnes eam consuetudinem seruauerint, nul
lius vnquam gẽtis fuisse traditum est, nisi Persarum
vetustissimo seculo ex Cyri legibus, si credimus Xe-

nophonti,

nophonti, qui ſcribit, fuiſſe quondam legitimum, vt ſemel die cibum Perſę caperent πρόσθεν μὲν γὰρ αὐτοῖς μονοσιτεῖν νόμιμον, quo diem integrum haberent ad munerũ functiones, & ad labores, ὅπως ὅλῃ τῇ ἡμέρᾳ χρῷντο πρὸς τὰς πράξεις, καὶ εἰς τὸ διαπονεῖσθαι: Perſæ. poſtea vero ſeruatum quidem eſſe, vt ſemel die comederent, ſed ea ratione, vt mane inciperent, & tum demum deſinerẽt, cum tardiſſime, cubitum eundum eſſet. νῦν γε μὴν, inquit, τὸ μὲν μονοσιτεῖν ἔτι διαμένει, ἀρχόμενοι δὲ τοῦ σίτου ἡνίκαπερ οἱ πρωϊαίτατα ἀριστῶντες, μέχρι τούτου ἐσθίοντες καὶ πίνοντες διάγουσιν ἔς γέ περ οἱ ὀψαίτατα κοιμώμενοι. quo intelligere eſt, vel fictum illud eſſe, ac commentum ad Cyri laudes cumulandas, aut, ſi verè aliquando ea lex condita eſt; vt cibum ſemel die tantum capi liceret; quod naturæ maxime repugnans eſſet, ſeruari non potuiſſe. propterea ſequenti tempore Perſæ quoque prandebant, & cęnabant, vt videre eſt apud eundem auctorem libro primo de Cyri inſtitutione.

li. 8. de Cyri inſtitutione.

Iudæos vero prandere, & cænare ſolitos conſtat: Iudæi. nam qui ieiunabant, veſperi *a* tantum comedebant a Iudicum c. 28. (niſi quis nocte quoque ieiunaſſet) quod argumento Reg. 2. c. 1. eſt, illos, qui non ieiunabant, ante veſperum comedere conſueuiſſe. Et quia nonnulli ita ieiunabant, vt neque *b* die, neque nocte comedere dicerentur, hoc b Heſter c. 4. docemur, illos tum die, tum veſperi, aut nocte cibum ſumere ſolitos fuiſſe. Sed & in ipſis ſacris libris legitur, prandium à cæna fuiſſe diſtinctum, & intelligitur, prandium fuiſſe cibum, qui mane, cænam vero, qui veſperi ſumebatur: nam Tobias *c* dicitur, prandium reliquiſſe, mortuum vt ſepeliret: quem cum c Tobiæ c. 2. domi ſuę occuluiſſet, ieiunus exſpectauit ſolis occaſum, ac tum ſepulturæ defunctum tradidit, deindeq; lugens, ac tremens comedit. qua narratione docemur.

prandium diu ante ſolis occaſum ſumi ſolitum. Contra vero, cum dicitur *a* Darius, poſt cænam, quam dederat magnam, iuiſſe dormitum; docemur cænam veſpertinum fuiſſe conuiuium. Et quamuis Darius Iudæus non eſſet, ſcriptor tamen Iudæus erat, & veriſimile eſt, vt ſuæ mos gentis erat, locutum eſſe, cum id ſine admonitione dixerit. Sed Ioſephus Iudæus *b* auctor, Eſſenos (Philoſophorum genus Iudæorum) prandere circa meridiem, aut paullo ante, cænare verò ſolitos veſperi, perſpicuè tradidit. Cumq; illos continentiæ, & moderationis laude exornet, non eſt, quod aliquis putet, bis die comedere vel paucorum, vel incontinentium fuiſſe: ſed illam fuiſſe Iudæorum vulgatam conſuetudinem exiſtimare par eſt, in qua Eſſeni cum laude verſabantur. Verùm dubium eſſe non poteſt, quin ea fuerit Iudæorũ conſuetudo, quando illa fuerunt verba Domini: Cum *c* facis prandiũ, aut cænam &c. cuius & illa traduntur. *d* Venite, & prandete. Eratq; matutinum tempus: nam ibi dicitur: Mane autem facto ſtetit Ieſus &c. Scriptum eſt quoque: Et *e* cęna facta, cum diabolus &c. Erat autem nox, vt ibidem ſcriptum eſt. Sed de Iudæis hæc ſatis.

a 3. Eſdræ c. 3.
b lib. 2. captiuit.
c Luc. c. 14.
d Ioan. 20.
e Ioan. 13.

De Græcis. Cap. XII.

DE Græcis vero, & Romanis, etſi multa dicta ſunt à viris doctiſſimis, ſpero tamen operam meam, in ijs explicandis, quæ à me ſunt obſeruata, non inanem prorſus iudicatum iri. ac primum, ne quis imperitior decipiatur, ſcire oportet, quod ab *f* Athenæo dicitur, moris fuiſſe apud veteres μονοφαγεῖν, non eſſe interpretandum, ſemel die comedere, vt μονοσιτεῖν, nam μονοσιτεῖν, quod eſt ſemel comedere,

f lib. 1. dipnos. μονοφαγεῖν

medere, nulli vitio vertebatur, criminis loco à nullo habebatur: at μονοφαγεῖν, quod eſt, ſolum & ſeorſum ab alijs comedere, reprehendi poterat, veluti voracitatis, vel ſuperbiæ argumentum. Et qui auctores hoc vocabulo vſi ſunt, quos citat Athenæus, in malam partem idipſum accepiſſe videntur: legebatur enim apud Antiphanem, μονοφαγεῖς ἤδη τι καὶ βλάπτεις ἐμέ: Solus comedis, & me offendis. & apud Amipſiam, ἔρρ' ἐς κόρακας μονοφάγε, καὶ τοιχώρυχε. deinde, quod ab eodem dicitur; moris fuiſſe apud veteres; non eſt hoc neceſſariò accipiendum de communi more populorum: nàm poteſt etiam accipi de priuato: plurimi enim cùm ſocijs, amicis, & familiaribus comediſſe reperiuntur: pauci tamen nonnulli reperti ſunt, qui ſoli comedere conſueuerunt: quorum cauſſa dici potuit, fuiſſe hanc apud veteres conſuetudinem: nam tranſlatiuum eſt, quod eodem ſeculo, & loco variæ apud varios conſuetudines exiſtant. Et hoc modo etiam μονοσιτεῖν, ideſt, ſemel die comedere, dici poteſt in vſu fuiſſe, non quia hic eſſet apud omnes vſus, ſed quòd, vt apud alios in vſu erat ſæpe, ita apud nonnullos in vſu erat, ſemel die cibum capere. quod etſi de Græcis nunc priuatim dicitur, poteſt tamen de Romanis, & omnibus affirmari.

Alioqui non dubito Græcos pleroſq; ſæpius comedere eodem die conſueuiſſe, vt hodie quoque fieri ſolet. quamobrē factum eſt, vt vocabula varia apud illos exſtiterint, quæ diuerſum eiuſdem diei definitum tempus ad cibum ſumendum indicarent: nam iam inde ab Homeri temporibus ἄριστον, δεῖπνον, & δόρπον tempore diſtincta ab Homeri interprete, & alijs Græcis, & vetuſtis auctoribus notatum eſt, vt *a* Athenæo, & *b* Plutarcho. quorum opiniones

a lib. 1. dipnos.
b lib. 8. Symp. c. 6.

verbis eorundem transcriptis huc afferre, mei instituti non est. Afferam ego pauca quædam, magna ex parte ab illis prætermissa, qui de re hac amplissimos, & vberrimos commentarios ediderunt. Homerus enim non reperitur fecisse mentionem temporis ad comedendum statuti, nisi matutini, & vespertini. qui secus sentiunt, locos afferre debebunt, quibus hoc persuadeant. Verum quidem est, tribus illum vsum esse nominibus, ἄριστον, δεῖπνον, & δόρπον; &, quantum potui animaduertere, vere Athenæus *a* dixit, Homerum bis vsum voce ἄριστον; cumq; notauerit, semel legi in Odyssea, illo versu ὀδυσσεὺς, καὶ δῖος ὑφορβὸς ἐντύνοντο ἄριστον; & semel in Iliade, illo scilicet, ἐσσυμένως τε πένοντο, καὶ ἐντύνοντο ἄριστον, lector admonendus est, priorem versiculum ex sextodecimo esse Odysseæ, posteriorem autem ex Iliadis vltimo: sed vtrobiq; matutinum tempus edendi significare: nam in Iliade fingit Poeta, exorta aurora Deorum concilium congregatum esse, & in eo deliberatum, vt Thetis filium Achillem hortaretur, ad Hectoris cadauer liberandum: itaque illam, Olympo relicto, descendisse in Achillis tentorium, vbi sodales Achillis reperit parantes prandium, καὶ ἐντύνοντο ἄριστον, matutino scilicet tempore, nam diei eiusdẽ vespere Priamus hospitio excipitur ab Achille, & inuitatur ad cænã, dicente, μνησόμεθα δόρπου, & a cæna itur dormitum: quibus apertè ostenditur, ἄριστον fuisse matutinum cibum, & δόρπον, vespertinum: in Odyssea verò scriptum est; Vlyssem & subulcum aurora exoriente prandium parasse ἐντύνοντο ἄριστον ἅμ' ἠοῖ.

Homerus.

a lib. 1. dipnos.

Sed in his vnum notaui, quamobrem minus illis possum assentiri, qui Homero existimãt, ἄριστον idem fuisse, quod posterioribus seculis ἀκράτισμα dictum

est:

eſt: nam volunt ἀκράτισμα eſſe modicum cibum mane ſumptum, vt panis fruſtum mero imbutum; vnde quoque nomen effictum volunt, vt ſit ἀκράτισμα ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, ideſt a mero; ijs, inquam, non aſſentior, quia in Iliade, vbi ἄριστον poſitum eſt, ſcriptum video, mactatam ouem, non aliter, quam vbi eodem libro paratur cæna, ad quam inuitauerat Achilles Priamum.

Quod vero attinet ad δεῖπνον & δόρπον, etſi τὸ δεῖπνον lib. decimo Iliad. vſurpatum eſt de cibo nocte ſumpto, ſcilicet ab Vlyſſe, & Diomede, poſtquam per noctem, Rhæſi equis ablatis, in ſua caſtra reuerſi ſunt (eſt penultimus libri verſus δεῖπνῳ ἐπιζανέτην) tamen alibi ſemper de cibo matutino dictum reperitur, ſic odyſſ. Ξ; vbi, Vlyſſem apud ſubulcum ediſſe, narratur; inquit, αὐτὰρ ἐπεὶ δείπνησε: fuiſſe autem cibationem matutinam, eo docemur, quod idem poſtea Vlyſſes, cum ſocijs epulatus dicitur, & poſt epulas iuiſſe cubitum, οἱ δὲ ἐπὶ κοίτην σίτου, καὶ κρειῶν κεκαρημένοι, ἐσσέοντο, νὺξ δ' ἄρ' ἐπῆλθε. ſic Odyſſ. O. aurora exorta, de Telemacho & ſocijs, inquit, δεῖπνον δ' ἐντύνοντο, & ante dixerat, ἅμα δὲ ἠοῖ φαινομένηφι δειπνήσας. vocauit etiam δεῖπνον cõuiuium, quod per totum diem, vſque in veſperum aliquando productum eſt, vt Odyſſ. T. αὐτόλυκος δ' υἱοῖσιν ἐκέκλετο κυδαλίμοισι δεῖπνον ἐφοπλίσσαι, & paullo poſt ὣς τότε μὲν πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα δαίνυντο. diem totum conuiuantes traduxerunt: donec ſol occideret; quod dici potuit, vel quia manè inceperint, vel ante occaſum ſolis, horarum ſpacio plurium, & quod reliquum diei ſupererat, accumbentes tranſegerint; ſed quia δεῖπνον alibi matutinas epulas ſignificat, hic quoq; prandium interpretari poſſumus vſque in cænæ tempus productum,

ctum, & illa πρόπαν ἦμαρ videntur aptius dici de maiore diei parte, videlicet a prandij tempore vsque in vesperum, quam de solo vespertino tempore; etsi sumamus, illos duabus aut rribus horis ante solis occasum accubuisse; quamobrem ἄρισον & δεῖπνον Homero synonyma fuisse dixerim: ac si quis locus est, vbi dictum ab Homero sit aliquid ei simile, quod posteriores ἀκράτισμα appellarunt, is est Θ. Iliadis: ubi Græci cum Troianis prælium inituri, cibum in tentorijs celeriter sumpsisse dicũtur, & deinde arma induisse: quo tamen loco non ἄρισον legitur, sed δεῖπνον. οἱ δ᾽ ἄρα δεῖπνον ἕλοντο, quo ex loco etiam Athenæus sumpsit ἄρισον & δεῖπνον aliquando synonyma fuisse ποτὲ δὲ, inquit Athenæus, καὶ συνωνυμεῖ τὸ ἄρισον τῷ δείπνῳ. etsi quidam exemplaria habent μήποτε. sed negantem particulam μὴ esse delendam, versus, ex Homero quem citat, apertè docet: Homerus enim de cibo matutino loquitur, & δεῖπνον vocat, quem alibi ἄρισον dixit: ipsa verò narrationis series ostẽdit, matutinum fuisse cibum, nàm postea initum prælium est, quod nox diremit, quare deinceps Hector hortatur ad cænã milites, inquiens, πειθόμεθα νυκτὶ μελαίνῃ, δόρπα τ᾽ ἐφοπλισώμεσθα. vt tam ἄρισον, quam δεῖπνον Homero idem fuerit, quod nobis est prandium, cibus videlicet, qui ante meridiem sumi solet hora sæpius eadem: quã tamen, ob aliquod commodum, mutare vt nunc licet, sic & olim licuisse, existimo: itaque Vlysses Odysseæ decimosexto, magnam contra procos prouinciam aggressurus, quo loco dabatur (scilicet apud Eumæum subulcum) summo mane pransus dicitur, vt ante notaui. Noui equidem, Didymum ad secũdum librum Odysseę existimasse, ἄρισον de cibo dictum esse, summo mane, tenebris adhuc manentibus (τι σκοτίας οὔσης)

Didymus notatur.

ὄυσθς) aſſumpto; ſed liceat nobis, rem ipſam ſequi, non auctorem: neque enim ille potuit ex Odyſſeæ π. hoc affirmare, vbi ſcriptum eſt, ἐντύνοντο ἄριστον, parabāt prandium: nam etſi ſummo id mane factum intelligere eſt; quia ſimul cum aurora factum, ἅμ' ἠοῖ, Homerus cecinit; tamen non eſt idem parare, atque aſſumere: illi vero, Vlyſſes, ſcilicet, Eumæus, & Telemachus, quod parabatur exortu auroræ prandium, non eodem, quo parabatur, momento aſſumpſerunt, ſed aliquanto poſt: nam ab Vlyſſe, & Eumæo parabatur, interim vero Telemachus; qui tunc primo ex itinere domum reuerſus erat; ad illos acceſſit, & ab Eumæo ſalutatus, & verbis amantibus exceptus eſt prius, quàm accumberent: quamobrem neceſſarium eſt exiſtimare, orto iàm ſole accubuiſſe, non autem tenebris adhuc manentibus, vt ait Didymus. Præterea Odyſſeæ O. illa verba ἅμα δ' ἠοῖ φαινομένηφι δειπνήσας, id eſt, Auroræ exortu pranſus, docent ἄριστον & δεῖπνον non diſtingui tempore: quando de cibo manè ſumpto vſurpat vocabulū δειπνήσασ, de quo alias vſurpauit ἄριστον. Sed & Iliadis Ω. Achillis ſodales dicti ſunt, paraſſe prādium, ἐντύνοντο ἄριστον, non in tenebris, ſed poſt Auroram exortam, vel Solem: etenim dicit, poſtquam illa exorta eſt, tunc Deos inter ſe de Hectoris cadauere reſtituendo locutos, & Thetidi negotium commiſſum, quæ ad Achillem profecta ſodales reperit prandium inſtruentes: quamobrem veriſimile eſt, illos non, niſi ſole emerſo, veſci potuiſſe: hæc docent ἄριστον & δεῖπνον ab Homero promiſcuè pro cibo matutino accepta.

At δόρπον eidem fuere epulæ veſpertinæ: quamuis enim Iliadis vndecimo, eo loco ἦμος δὲ δρυτόμος ἀνὴρ ὡπλίσατο δόρπον (vbi tamen δεῖπνον Plutarchus

chus legit, quo modo res dubitatione careret; sed recepta vulgata scriptura non est facilè repudianda) quamuis, inquam, hic videatur de cibo dictum matutino; neque enim congruit narrationi, si de vespertino dictum putemus; cum ea narret, quæ Græci aggrediebantur die elucescente; nam inquit, ὄφρα μὲν ἠὼς ἦν, καὶ ἀέξετο ἱερὸν ἦμαρ; similiter Odysseæ nono, vbi dicit Polyphemũ aurora exorta, ante quam ex antro prodiret, ex Vlyssis socijs duos deuorasse, etsi inquit, ὡπλίσατο δόρπον, δειπνήσας (vbi notandum est de eodem tempore, & loco eodem verba facientem, poetam coniunxisse δόρπον & δειπνεῖν) quæ pariter docent eo loco δόρπον cibum fuisse matutinum; sæpius tamen alibi hac vsus est appellatione in epulis vespertinis, vt loco ante dicto Iliadis Ω. vbi scriptum est, πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνῃ, δόρπα τ' ἐφοπλισόμεσθα. item Iliad. ι' vbi eadem prorsus leguntur, & Ω. initio post certamina superiore libro descripta, inquit, τοὶ μὲν δόρποιο μέδοντο, ὕπνου τε γλυκεροῦ cęnam curarunt & somnum. & ubi Achilles inquit, μνησόμεθα δόρπου, quo peracto, somni cura similiter exorta est, & inquit poeta, θεοί τε, κ' ἀνέρες ἱπποκορυσαὶ εὗδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ, postea demum aurora exorta Priamus cum Hectoris cadauere Troiam reuertitur: vt non sit dubium, hoc loco de vespertinis epulis δόρπον accipi oportere. est etiam clarissimus locus in Odysseæ Δ. δόρπον τ' ἐπλισόμεσθα, ἐπὶ τ' ἤλυθεν ἀμβροσίη νύξ. item Odyss. Ξ. post illa, quæ ex eodem libro dicta sunt prius, matutinas epulas significantia, αὐτὰρ ἐπεὶ δείπνησε; fit rursus cibi mentio, sed vespertini, his verbis, νῦν δ' ὥρη δόρποιο τε, τάχιστα μοὶ ἔνδον ἑταῖροι εἶεν, ἵνα ἐν κλισίῃ λαρὸν τετυκοίμεθα δόρπον. item Odyss. ο. vbi inquit, ο. δορπείῃ, παρὰ δ' σφὶν ἐδόρπεον

ἐδόρπεον ἀνέρες ἄλλοι, quæ de conuiuio vespertino dicta esse, docemur, quoniam post colloquium somno se tradiderunt, quem tamen breuem cepere: nam statim exorta dicitur aurora, καδδραθέτην δ' οὐ πολλὸν ἐπὶ χρόνον, ἀλλὰ μίνυνθα, αἶψα γὰρ ἠὼς ἦλθεν ἐύθρονος. Sed hæc satis.

Quibus mihi quoque persuasum est, apud eundem binæ tantum eodem die refectionis memoriam extare, non autem trinæ, licet tribus sit vsus nominibus, quoniam δεῖπνον, & ἄριστον pro eodem semper vsurpauit, quia verò Odysseæ. P. illa leguntur, σὺ δ' ἔρχεο δειλιήσας, vtrum his verbis aliud edendi tempus à duobus iam explicatis diuersum significauerit, ex auctoribus incertum est, nam Didymus testatur, aliquos credidisse, vespertinas epulas hoc vocabulo δειλιήσας significatas, ac si dictum esset, cum cęnaueris; ipse verò, conuersationem potius vsque in vesperum traductam, interpretatus est, vt videtur, nam inquit, πρὸς τὴν δειλινὴν ὥραν παραγινόμενος, τοῦτ' ἐστὶ τὴν μεσημβρίαν, ἢ τὴν ἑσπερινὴν διατρίψας, quod diceres, cum vsque ad horam dilinenmanseris, hoc est, meridiem, aut vesperum moratus; scilicet Didymus incertum se demonstrat, de meridie, an vespere sit Homerus intelligendus. Athenæus libro primo δειλιήσας interpretatur, sumi solitum cibum intermedio tempore inter meridiem; cum sumitur eius seculo vocatum ἄριστον; & vesperum, cum sumitur δεῖπνον: ὃ ἐστὶ μεταξὺ τοῦ ὑφ' ἡμῶν λεγομένου ἀρίστου καὶ δείπνου. Sed in hoc illum deceptum esse illud docet, quod δειλιήσας dicitur à Telemacho ad Eumæum, postquam Proci & Telemachus comederunt, cum esset tempus, quo δεῖπνον sumebatur; dictum est enim δαιτυμόνες ἔσαν, & ὥρη δείπνου ἐλήλυθε, & εὖθ' ὅδε δαπτύνησι, & ἐδείπνεε δὴ

Δειλιήσας.

Athenæus notatur.

ος ὀδυσσεύς; itaque τὸ δειλιήσας non potuit tempus illud significare ante cęnam, quod Athenæus dixit.

Idem tamen, libro quinto, Didymi, quam dixi, interpretationem videtur secutus. quæ probabilis est: nam huius radix vocabuli δειλιήσας, quantum in se est, nihil significat, quod ad cibum pertineat: non est enim vt ἄριστον & δεῖπνον prandium (Homero scilicet, apud quem duo hæc idem significant) & inde ἀριστάω & δειπνέω prandeo, δόρπον cęna & inde δορπέω cęno, ita δείελος item cęna, & inde δειελιέω, cęno: sed δείελος est stella ipsa vocata hesperos, vt est apud Homerum Iliad. Φ. vbi legitur εἰσόκεν ἔλθῃ δείελος ὀψὲ δύων, σκιάσῃ δὲ ἐρίβωλον ἄρουραν. idest donec veniat hesperos sero occidens. quamquam interpres ait, apud Atticos voce illa δείελος vespertinam solis constitutionem significari, ἡ ὀψινὴ, inquit, κατάστασις τοῦ ἡλίου, sed vtrumvis esto, δείελος quantum in se est, non significat cibum, sed ipsum vesperum, aut stellam, quæ solet post solem occidere, & idcirco dicitur ὀψὲ δύων, id est sero occidens. eodemq; pertinet δείελον neutro genere, quo Homerus eodem loco vsus est, Odyss. Ρ. ἐπήλυθε δείελον ἦμαρ idest aduenerat diei tempus extremum, ipse, inquam, vesper inquit Didymus, τὸ τῆς δειλινῆς ὥρας, sed dubium non est, δείλην significare crepusculū præsertim vespertinum: nam etsi addita voce ἑώα vel πρωΐα significat apud Atticos auroram, vel matutinum crepusculum, tamen sine vllius adiectione vocis vesperum denotat; sic a Aristoteles ζέφυρος πρὸς τὴν δείλην πνεῖ, & δείλης πνεῖ, Zephyrus ad vesperum spirat, & vespere spirat, itaque δειλιήσας non ad cibum sed ad tempus ipsum vespertinum spectat.

a Sect. 26. probl. 33. & 35.

Quamobrem possumus ex Homeri auctoritate affir-

affirmare, Iliacis temporibus Græcos bis die saltem cibo refici consueuisse, cibumq́; matutinum tum ἄριστον, tum δεῖπνον, vespertinum autem δόρφον vocatum. fuisse quoque qui sæpius comederent, non negauerim; idque confirmat sententiam, quam probo; sed apud Homerum non reperitur: Athenæus *a* inquit, οὐδεὶς δείξει παρὰ τῷ ποιητῇ τρὶς τινὰ λαμβάνοντα τροφὰς, nemo demonstrabit, apud poetam ter aliquem cibum capere. certè de Eumæo dici non potest; licet cibum sumpsisse post dicatur, quam Telemachus ad illum dixerat, ἔρχεο δειελιήσας; nam vesperum comedisse eo die, ex Homero affirmante vesperum comedisse eo die, ex Homero affirmare non valemus; qui de eo ita loquutus est, vt facilè credas, ieiunum expectasse vesperum. nec etiam ex Odysseæ Δ ostendi potest, ter aliquos vno die comedisse, licet ipse Athenæus libro primo notauerit, in conuiuio Menelai poetam prandij primum fecisse mentionem, deinde post lotionem prandentes iterum conuiuas induxisse, & cœnæ postea meminisse; quasi ter eo die cibum illi conuiuæ sumpserint: quod verum non est. & locum illum oscitanter Athenæus *b* legisse videtur, cum dicat Menelai conuiuium peculiare ob id extitisse, ἰδιάζον συμπόσιον inquit, quod bis pransi conuiuæ dicantur, etenim bis ijdem pransi non dicuntur: sed primum nuptiale Menelai cum suis conuiuium narratur: quo nondum peracto Telemachus & Pisistratus filius Nestoris super venisse dicuntur, qui humaniter excepti, & inuitati, post solitam lotionem ipsi quoque accubuisse & pransi esse deinde narrantur. atque ob id secundo prandij eo loco mentio facta est: non autem quod, qui semel pransi erant, loti deinde, & rursus pransi dicti sint, vt Athenæus existimauit.

a lib. 5. dipnos.

b Athenæus notatur.

Post Homeri autem tempora aliam secuti sunt Græci rationem: nam Hippocrates libro de victu acutorum ἄριστον, & δεῖπνον nunquam confundit, vbi alioqui docuit, alios semel, alios bis, alios sępius vno die non solum comedere, sed etiam saturari consueuisse, ἔτι δ' ἂν μᾶλλον πονήσειεν ὁ τοιοῦτος, εἰ τρὶς σιτέοιτο τῆς ἡμέρης ἐς κόρον. ἔτι δὲ μᾶλλον, εἰ πλεονάκις, καί τοι γε πολλοί εἰσιν, οἱ εὐφόρως φέρουσιν, τρὶς σιτεόμενοι τῆς ἡμέρης ἐς πλῆθος, οἳ ἂν οὕτως ἐθίσωσιν, idest, insuper autem magis laborabit is, si ter die ad satietatem vsque comederit. sed adhuc magis si sæpius; sunt enim multi, qui facilè ferunt, licet ter die cibo expleantur, qui scilicet ita assueuerint. nec dubium est; cum vtatur duplici vocabulo, ἄριστον & δεῖπνον; quin ἄριστον matutinum, seu meridianum cibum, δεῖπνον verò vespertinum, illud prandium, hoc cęnam significet. οἱ μὲν πλεῖστοι τῶν ἀνηριστηκότων οὐ δύνανται κατεσθίειν τὸ δεῖπνον. plurimi, qui impransi fuerint, cœnam edere non possunt: his perspicuè intelligitur τὸ ἄριστον præire, vt matutini temporis, τὸ δεῖπνον verò sequi, vt vespertini: sic paulo post, εἰ παρὰ τὸ ἔθος μονοσιτήσας ὅλην ἡμέρην κενεαγγήσας, δειπνήσειεν ὁκόσον εἴθιστο, εἰκὸς αὐτὸν, εἰ τότε ἀνάριστος ἐὼν ἐπόνεε, καὶ ἔῤῥωσε, δειπνήσας δὲ τότε βαρὺς ἦν, πουλὺ μᾶλλον βαρύνεσθαι, quod est, si præter morem cibo semel die sumpto, diem integrum vasis inanibus relictis, quantum solebat cænauerit, verisimile est, illum, si tum impransus doluit, & ægrotauit, assumpta autem cęna tum grauis effectus est; multo magis grauari: hæc ait: quæ pariter docent, prandium præcedere, scilicet τὸ ἄριστον, cęnam autem τὸ δεῖπνον prandio succedere: nam significant τὸ δειπνεῖν, cęnare, de illo dici, à quo ieiunium vesperè frangitur.

Hippocrates.

Sed

Sed aliquis obijciet, τὸ δεῖπνον Hippocrati non fuisse cęnam & epulas vespertinas, sed prandium: etenim mentionem sæpe fecit ambulationum post τὸ δεῖπνον, quod cęnam non deberet significare, quoniam verisimile non est, cęnam fuisse, quam sequebatur ambulatio; cęnam enim sequi cubitus solet, & somni cura: sic Homerus (vt ante notatum est) δόρποιο, inquit, μέδοντο ὕπνου τε γλυκεροῦ. ambulatio verò sequitur prandium manifestè, etsi præcedit etiam: quamobrem apud Aristotelem a libro secundo posteriorum in exemplo ambulationis post cibum, vbi Græce est τὸ δεῖπνον, interpretati sunt aliqui prandium; Verum hic debet animaduertere, locis Hippocratis antedictis τὸ δεῖπνον pro cęna, & vespertinis epulis acceptum; quod euidentissimè ex illis verbis accipitur, μονοσιτήσας, ὅλην ἡμέραν κενεαγγήσας, δειπνήσειεν, idest, qui semel die accepto cibo, diem totum vasis relictis inanibus, cęnauerit: nam dicitur is cęnare, qui postquam toto die nihil acceperit, semel deinde comedit: ambulatio verò post cęnam non est ab vsu aliena: non solum quòd nostra ætate, æstiuis maximè temporibus, post cęnam multi deambulant, qui scilicet diu ante solis occasum cęnare soliti sunt; quod etiam hyeme à Romanis olim factum, libro primo variarum obseruationum notaui; sed etiam quod à Græcis quoque Hippocratis ætate obseruatum sit, vt ex ijs intelligitur, quæ ille scripsit libro de diæta tertio, vbi cum est crebra deambulationum à cęna mentio, tum hæc leguntur, quæ omnem tollunt dubitationem, docentq; τὸ δεῖπνον vespertinas epulas fuisse, χεσάμενον, καὶ ἀνατριψάμενον ὀλίγα, τὸ ἄριστον ποιήσασθαι πλεῖον τοῦ εἰθισμένου, καὶ πιεῖν ἱκανὸν οἶνον μαλακὸν, ἔιτα ὕπνῳ χρήσασθαι ἀπὸ τοῦ ἀρίστου ἱκανῶς, ἐς τὴν ἑσπέρην a tex. c. 51.

δὲ

δὲ κούφοισι χρησάμενον γυμνασίοισι, θερμῷ τε λουσάμενον, δειπνῆσαι, τὸ ἐθισμένον, περιπάτοισι δὲ μὴ χρῆσθαι ἀπὸ δείπνου. διατρίβειν δὲ χρόνον. id est, ab vnctione, & frictione modica prandium solito vberius sumito, & vini mollis satis potato, deinde somno à prandio. quantum satis est, vtitor: vespere autem vbi fuerit vsus exercitijs leuibus, & calida lauatione, cęnam sumito consuetam, & ambulationibus à cęna minimè vtitor, sed tempus conterat: his, inquam, nihil afferri dilucidius potest, ad ostendendum τὸ δεῖπνον cęnam significare, & epulas vespertinas, & ambulationes à cęna in vsu fuisse: primùm enim prandij mentio fit, deinde cęnæ, postremo temporis post cęnam, quo ambulatio suscipi potuisset, & cęnam vespertinam expresse ostendit inquiens, ἐς τὴν ἑσπέρην δειδνῆσαι. sed & paullo superius opposuerat τὸ πρωῒ idest mane, τῷ δείπνῳ idest cęnæ, tamquam cęnam τὸ δεῖπνον vespertinas epulas intellexerit, sic etiam eodem libro τὸ ὄρθρου, idest, mane, opposuerat τὸ ἀπὸ δείπνου, id est, à cęna: nec æstate tantum, sed hyeme quoque consuetam eiusmodi ambulationem fuisse ostendit libro eodem in sermone de victu, quem hyeme seruandum probat, inquiens, τοῖσι μὲν περιπάτοισιν ἀπὸ τῶν γυμνασίων ὀξέσι, ἀπὸ δὲ τοῦ δείπνου βραδέσιν ἐν ἀλέῃ, idest, ambulationibus vtatur post exercitia celeribus, à cęna verò tardis loco tepido.

Xenophon. Xenophon quoque passim memorat Gręcos mane prandentes ἀριστῶντας, vespere verò cęnantes δειπνοῦντας, immò *a* cibum, qui mane sumendus erat, si in vesperum quis seruatum assumpsisset, prandium quidem vocatum, non tamen vt is tunc temporis pransus diceretur, sed dicebatur prandium cęnatus, τὸ ἄριστον δειπνήσαντες. Aristoteles exemplum

a lib. 1. de Cyri institutione.

Aristoteles.

plum daturus earum rerum, quæ tempore inter se differunt, cęnam dixit, *a* & prandium, δεῖπνον, καὶ ἄριστον, & alibi manifestè ostendit, ἄριστον, matutini temporis fuisse, cum scilicet aquilam dixit, *b* operari, & volare ἀπ' ἀρίστου μέχρι δείλης, à prandio (vt Plinius *c* vertit) vsque ad vesperum quod sequitur, τὸ δεῖπνον vespertini temporis fuisse: & libro secundo posteriorum malè τὸ δεῖπνον interpretatos esse prandium. hic autem non omittam, Aristotelis sęculo iam videri exoleuisse vsum vocabuli, quod Homero frequentissimum fuit, δόρπον: quo post Homerum quis vsus sit, non facilè inuenitur, Aeschylo excepto, qui, Athenæo *d* referente, tertio loco posuit δόρπον hoc versu, ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα. & Nicandro, qui semel *e* hoc vocabulum generatim pro cibo vsurpauit, τὰ δὲ δόρπα κατέστυγεν, cibos auersatus est: interpres exposuit, τροφὴν οὐ προσίεται, cibum non admittit, quasi δόρπον & τροφὴν differre inter se non putauerit: quo pacto δόρπον videtur accepisse Homerus, cum de Polyphemo loquębatur Odysseæ I. & K. ὡπλίσατο δόρπον, & Ξ. παρὰ θῖνα θαλάσσης δόρπον ἕλοντο. Sed & eodem sensu idem Nicander vsus est, δορπήϊα ibi, βοῦ δορπήϊα κέπφου, quod interpres exponit τροφὴν τοῦ κέπφου, cibum fulicæ. Aristophanes *f* autem δορπηστὸν speciatim de vespertinis epulis dixit, ita enim illud omnes interpretati sunt, ἐν θὺς ἀπὸ δορπηστοῦ κέκραγεν ἐμβάδας, omnes, inquam dixerunt, δόρπα τὰ δεῖπνα, etsi Lycophron (vt Græcus interpres retulit) est interpretatus ἀπὸ ἀρίστου, à prandio: sed verè de cęna Comicus loquitur, ait enim ineptum illum tanto iudicandi studio teneri, vt à cęna statim, non domi dormiat, sed calceis sumptis, se in forum transferat, ibiq; iudicandi horã expectans, somnũ capiat.

Ex

a lib. Metaph. 8.
b lib. 9. de hist. animal.
c lib. 10. c. c. 3.
Δόρπων.
d lib. 1. dipn.
e Alexipharmacis.
f Vespis.

Ex his autem fortasse non malè aliquis existimauerit, hanc fuisse poetarum potius, quam aliorum scriptorum vocem. certè fuit vox vetustissima, a qua festum Athenis quoddam dictum est, quo tempore Athenę a regibus gubernabantur, nam δόρπειαν appellarunt primam Apaturiorum diem, à conuiuijs, cænisq; ad quas sodales conueniebant, vt alibi *a* dixerunt, etsi Proclus *b* secundam diem eo nomine vocatam tradidit. cur Pollux hanc vocem inter alias huius ordinis non memorauerit, alijs cognoscēdum relinquo. vt verò hæc vox exoleuerat, & pro ea δεῖπνον passim accipiebatur, ita iam incæperat in vsu esse ἀκράτισμα, cuius fecit Aristoteles *c* mentionem, cum dicit, palumbem feminam incipi entem à vespere noctem totam incubare vsque ad tempus ἀκρατίσματος, quod Plinius *d* matutinum interpretatus est: quod vocabulum (à Polluce pariter omissum) vtrum dictum sit à meri potu, vel ab incontinentia, adhuc incertum est: illud est ex dictis manifestum, Græcos priscis temporibus eodem die solitos sæpe comedere: nec Philemonis contemnendum est testimonium, dicentis (vt Athenæus *e* refert) veteres quater die comedisse, & vsos esse ἀκρατίσματι, ἀρίστῳ, ἑσπερίσματι, δείπνῳ, diceres, ientaculo, prandio, merenda, cęna: quod verò dictum est, neminem apud Homerum reperiri, qui sępius, quam bis die comederit, verum quidem est, sed eo non efficitur, Græcorum hoc fecisse neminem: neque enim Homerum ita locutum credendum est, vt quæ ille silentio prætermisit, illa nusquam fuisse, persuasum habere debeamus.

a Suidas, scholia Aristophanis ἀχαρνεῦσι.
b lib. 2. in Timæū Platonis.
c lib. 6. de histo. animal.
d lib. 10. c. 58.
e lib. 1. dipnos.

De

De Romanis. *Cap. XIII.*

DE Romanis etiam idem affirmari debere, ſimili videtur argumento manifeſtū: apud illos enim fuit in vſu ientaculum, prandium, merenda, cæna, comeſſatio, quæ vocabula diuerſa tempora ſumendo cibo deſtinata, hoc ipſo ordine, quo illa recenſui, ſignificabant, quod eſt notiſſimum : ſed vna occurrit difficultas, nam hoc quoque videtur manifeſtum eſſe, ientacula, & merendas puerorum fuiſſe, alias pauciſſimorum, comeſſationes fuiſſe incontinentium, & intemperantium ; qualis Vitelius fuiſſe dicitur, qui vomendi conſuetudine ſe idoneū ad omne cibi tempus præſtabat, teſte Suetonio, adeo vt reliquum ſit prandium, & cæna, quibus pleriq; contenti eſſent, immo iam vulgò dicitur, quod pleriq; cæna ſola contenti degerent: idq; neceſſariò factum, quoniam tantum terebant temporis in exercitationibus, balneiſq; cibum præeuntibus, vt non eſſet ſpacium eadem bis die faciendi : cui accedebat accubitus apparatus, qui vt multam operam, ita tempus requirebat: itaq; non ſatis probari videtur ex vocabulorum multitudine, Romanos communiter ſæpius eodem die comedere ſolitos fuiſſe: vt iam mirandum non ſit, Martialem *a* vnam diei horam dicatam cibo Romæ ceciniſſe, nonam ſcilicet: quod teſtatur etiam Cicero *b* inquiens; accubueram hora nona, cum ad te, &c. & Horatius: *c* poſt nonam venies.

a Lib. 4. epig. 8.
b Lib. 9 epiſt. fam. vltima.
c lib. 1. epi. 7.

Verùm enimuero hæc tanti non ſunt, vt mihi perſuadeant, Romanos, vel omneis, vel pleroſq; ſemel tantum die comedere conſueuiſſe : nam in hac ipſa obiectione ſumitur, pueros ſæpius comediſſe, quorū gratia ientacula, & merendæ inſtitutæ conceduntur:

de incontinentibus nihil dicam: sed de rusticanis operis quid est dicendum? quid de famulis, & seruitijs, quorum ingens numerus? quid de opificibus, & vrbanis operis similiter multis? ijs ego tunc secus accidisse negauerim, quam nostris temporibus contingat: videmus autem passim hæc hominum genera non posse absque frequenti refectione subsistere; quamobrem tunc etiam paucos fuisse intelligimus, qui vna refectione contenti esse potuerint: illos videlicet, qui forensibus negocijs, aulicisve occupabantur, aut litterarum studijs impense operam dabant: hi enim cibi onere se cognoscebant ad studia, & res gerendas minus idoneos effici: quamquam nec omnes hi (si rem diligẽtius perquisiuerimus) hanc consuetudinem habuerunt: quod exemplis quibusdam illustribus planum facere ab re non erit.

Octauianus Augustus in meridie cibum capiebat, vespere postea cænabat. Suetonius auctor est, qui: post cibum, inquit, meridianum, ita vt vestitus, calciatusq; erat, rectis pedibus paulisper conquiescebat, opposita ad oculos manu: a cæna in lectulum se lucubratorium recipiebat: & addit, vescebatur & ante cænam quocumq; tempore, & loco stomachus desiderasset. De Tiberio eius successore, quod manifestum dicam, non habeo. Sed habeo vnde aliquid conijciam. Quid enim illum fecisse existimem, de quo idem Suetonius inquit: Princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco, & L. Pisone noctem, continuumq́; biduum epulando, potandoq; consumpsit. de Caio verò (ne ordo peruertatur) apud eundem legitur. Nono Calend. Februarij hora quasi septima cunctatus, an ad prandium surgeret, marcescente adhuc stomacho pridiani cibi onere. De Claudio: cibi, inquit, & vini quocumq;

cumq; tempore, & loco appetentissimus: cognoscens quondam in Augusti foro, victusq; nidore prandij, quod in maxima Martis æde Salijs apparabatur, deserto tribunali ascendit ad Sacerdotes, vnaq; discubuit. Nec soli incontinentes sæpius die comedebant, verum continentes quoque & temperātes Galbamq;, & Vitellium prætetibo, quod & hi, tāquam intemperantes damnati sunt: neque non proximos tacebo Othonem, Vespasianum, Titum: quod de his certi nihil habeatur. Domitianus hoc liber crimine, prandere solitus liberaliter à Suetonio dicitur, parce autem cænare. Adrianus etiam prandebat, quamuis sine vino: cum principibus autem, & optimis viris, vt Dio tradit, cænabat.

Nec omittam, quod Plinius Nepos de Plinio Veronensi auunculo scribit ad Macrum, qui ter die cibum ab illo sumptum significat, ait enim, interdiu primum leuem, & facilem cibum, more veterum, sumere solitum, & deinde si æstas esset, & otium, iacere in sole, post solem frigida plerumq; lauari, deinde gustare, & minimum dormire: mox quasi alio die studere in cænæ tempus, edebat igitur interdiu ante quam iaceret in sole, & iterum postquam iacuerat, & lotus erat, tunc enim, inquit, gustabat: tertio demum cænabat: quæ viuēdi ratio illi similis est, quam ab Antiocho, & Telepho seruatam Galenus narrauit libro quinto de sanitate tuenda. Sed inferiora mittamus tempora, de quibus fortasse nemo dubitat: de vetustioribus, in vita Catonis, quam Plutarchus optimus auctor descripsit, fit prandij, & cænæ mentio, & licet ipse Cato libro de rebus rusticis, cænam sæpe, prandium verò nunquam memoret, illius tamen tempore cæna differebat a prandio: Sunt enim auctores *a* fide digni, qui cænam testati sunt a priscis

a Paulus ex Festo.

prandium vocatum, qui, quæ nunc cæna dicitur, vespernam dixerunt. Sabinosq; potissimum ita locutos: in Sabinis *a* autem paterna rura Cato possedit: ac fortasse matutinā escam, quæ maximè puerorum est, prandium vocarūt, cum legamus apud Festum, prandicula dicta esse ientacula, de quibus Poeta, surgite iam pueris vendit ientacula pistor: quasi prandicula cibus esset in prandio sumi consuetus.

a Plutarchus in Catone.

Itaque reliquum est, paucorū fuisse, cibum semel die sumere: sed illorum, qui forensibus negocijs, & Reipublicæ administratione occupati erant, vel litterarum studio vehemēter addicti: quos ad hanc consuetudinē illa necessitas adduxit, quod in vrbe opulentissima, & luxu plena, difficillimum erat lautis, & sumptuosis ditissimorum ciuium conuiuijs, sine incontinentiæ periculo, interesse: maximè verò si bis die hoc faciendum fuisset. cum igitur aliàs Siculi, & Itali bis die (testis est Plato) saturarentur: Romani, præsertim nobiliores, florentissimo seculo primorum Cæsarum, & proximo; quo Pompeius primas in vrbe tenebat; semel die tantum liberaliori adesse conuiuio instituerunt: non quia ad tuendam valetudinem conferret, sed quia minus hoc lęderet, quam bis expleri: alioquin his cænis luxui magis ac ventri, quam valetudini seruiebant: quod ciborum docet copia, & varietas maxima, & genera vt immensis sępe, ita superuacaneis sumptibus conquisita. docent quoque psaltriæ, citharistriæ, & alia huiusmodi, quæ non præseferunt temperantiam, vel continentiam, sed luxuriam.

Balnea.

Balnea, & exercitationes ante cænam ab honesta quidem caussa ortum habuerūt; vt sine dubio apud Lacedæmonios in vsu fuere, qui propè Eurotam in sole, ac puluere sese exercentes, in propinquo ipso flumine,

mine, vt puluerem detergerent, lauabantur; quos Romani primis seculis imitati, venatibus, & agrestibus operibus corpora ad militiam durabant. Sed ea res cum apud multas Græciæ nationes, tum apud Romanos ad luxuriã conuersa est, vt libro de Gymnastica exposui: & eo ventum est, vt sese multi exercerent, non vt sani essent, sed vt plus comederẽt, quando etiam, vt plus biberent, balneis homines coquebantur, Columella, & Plinio testibus: quorum *a* alter, inquit, vt apti veniamus ad ganeas, quotidianã cruditatem laconicis excoquimus, & exsucto sudore sitim quærimus: alter *b* verò enumerans ea, quæ bibendi caussa conficiebantur, inquit, cautissimos ex his balneis coqui videmus, exanimesq; efferri: iam verò alios lectum expectare non posse, immo verò nec tunicam, nudos ibi protinus anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostẽtationem virium, ac plenè infundere, vt statim euomant, rursusq; hauriant, idq; iterum, tertiumq;: tamquam ad perdenda vina geniti, & tamquam effundi illa non possint, nisi per humanum corpus: huc pertinent peregrinæ exercitationes, & volutatio in cæno, ac pectorosa ceruicis repandæ ostentatio: hæc illi. Quibus docemur, & balnea, & exercitationes huiusmodi, quas illę sumptuosissimæ cænæ sequebantur, fuisse illorum dumtaxat, qui opibus abundabant, & voluptati potius, quàm valetudini operam impendebant: qui magnificentiorem quoque, & operosiorem accubitus apparatum requirentes, spacium, & tempus non dabant, vt bis eodem die strui posset. sed hos fuisse perpaucos mihi ex dictis persuasum est.

a Columella li. 1. præfat.

b Plinius li. 14. c. 22.

Quibus accedit, me animaduertisse, vetustioribus seculis, cum ditiores etiam, & nobiliores moderatius conuiuabantur, bis die eodem apparatu ciborum

come-

comedisse, & bis similiter lauisse, & accubuisse: Cũq; de cæna dubium non sit, ostendam idem in prandio sſeruatum esse, nam apud Plautum Menæchmis coquus, qui dicit; benè obsonaui, atque ex mea sententia bonum anteponam prandium pransoribus; paulo ante dixerat cocta sunt, iube ire accubitum; & deinde inquit; ire hercle melius est te intro, atque accumbere: postea verò meretrix inquit; prandium, vt iussisti ei, hic curatum, vbi lubet, ire accubitum licet, & alio loco Menæchmus subreptus inquit, iube nobis tribus prandium accurarier, atque aliquid sit omẽtorum de foro obsonarier, glandulam, suillam, laridum, pernam itidem, aut sinciput, aut polimenta porcina. His igitur videmus, obsonia varia pransuris comparata, & prandentes accumbere solitos. Sed & amici inuitabantur ad prandium, vt Amphytrione; euocate huc Sosiam, gubernatorem, qui in mea naui fuit. Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat. & inferius; tu purgare iusseras vasa, vt rem diuinam faceres, & hunc me accersitum mittis, vt tecum prandeat. Meņchmis verò; Prius iam conuiuæ ambulant ante ostium, & sermo de prandio est. Sed necesse nõ est, loco omneis coaceruare, indicasse, aliquos, fore satis, existimo.

Accubitus in prandio.

Plautus verò cænam & prandium ita distinxit, vt non sit locus dubitationi, vtrum prandium pro cæna acceperit, nam Amphitryone, cæna nocte fit, & postea cubitum itur, hac, inquit, noctu in portum aduecti sumus: ibi cænaui, atque ibi quieui in naui noctem perpetem, & deinde, cęnauisti, inquit, mecum, ego accubui simul, te dormitare aiebas, mensa ablata est, cubitum imus. In eadem tamen fabula prandij mentio fit. Item Bacchidibus hoc idem intelligitur, cum dicitur, Quid? si apud te veniat de subito

bito prandium, aut potatio fortè, aut cæna? item Sticho, Quot adeo cænæ, quas defleui, mortuæ? Quot potiones mulsi, quot autem prandia, quæ inter continuum perdidi triennium? & Mostellaria, Melius hoc anno non mihi fui domi, Nec qui esca vna me sibi demeruerit magis, Vxor nam prandium mihi perbonum dedit. Nunc illa dormitum iubet me ire, minimè, Non bonus est somnus homini de prandio, hæc ait ibi de prandio: paullo post autem hæc de cęna, parata res mala est in vesperum huic seni; nam & cænandum, & cubandum, si intrabit, malè. Et ex his intelligimus, cęnam a prandio non ciborum genere, & apparatu, sed tempore differentem fuisse, neque accubitus apparatum tantam operam requisiuisse, vt eodem die iterari non potuerit: fortasse in publicis epulis, & vbi quis multos inuitabat, difficilè fuit, bis die eadem facere, sed in priuatis domibus inter domesticos non fuit difficilè: cum enim plures eodem lecto accũberent (quod Plautus docuit Amphitryone, vbi Alcmena inquit, cęnauisti mecum, accubui simul: Amphitryo verò petit, ego in eodem lecto? cui illa respondet, in eodem: docet & Plutarchus, *a* qui Sympoſiacis tres lectos memorauit, & trinos in singulis conuiuas) vnum vel alterũ lectum sternere difficilè non erat.

a Probl. 1. Dec. 1.

De Balneis verò ex Hippocratis *b* auctoritate idẽ est asserendum, qui bis die quosdam lauari solitos significat, inquiens, τοὺς δὲ φιλολουτέοντας, καὶ δὶς τῆς ἡμέρης εἰ λούοις, οὐδὲν ἁμάρτοις. eos qui lauacro delectantur, si bis die laueris non errabis. dices fortasse, me pollicitũ esse de Romanis verba facere, & Gręcorũ mores in medium afferre, nam Hippocrates Gręcus est auctor, & Plautus gręcas fabulas descripsit: at quid hoc refert? si Græci fecere, & Romani

b lib. 3. de victu accutorum.

facere

facere potuerunt, publicis, & sumptuosioribus conuiuijs exceptis: quæ tamen ab ijs iterari poterant, qui seruis abundabant: itaque Vitellius imperator, trifariam semper, vt ait Suetonius, interdum quadrifariam epulas dispartiebat, ientacula, prandia, cænas, & comessationes; non enim famuli, & ministri deficiebant, qui singulis horis pro eius arbitrio, balnea, & accubitus parare potuissent, quod fortè dici quoque de Marco Antonio potest, in quem Ciceronis hæc sunt actione secunda. Quid prandiorum apparatus; quid furiosam vinolétiam tuam proferam? & paullo post, agrum Campanum compransoribus tuis, & collusoribus diuidebas.

Sed his adijcere alienum non est, accubitus rationem non esse magnifaciendam, quoniam non omnes, nec omni tempore accumbere solebant: ac vt de rusticis nihil dicam (de quibus illa scripta sunt a Co
a lib. 11. c. 1. lumella, *a* dum villici munera persequitur, consuescatq; rusticos circa larem domini, focumq; familiarem semper epulari, atque ipse in cõspectu eorum similiter epuletur, sitq; frugalitatis exemplum, nec
b lib. 1. dipnos. nisi sacris diebus accubans cænet) Athenæus *b* generatim scribit, priscos consueuisse non accumbẽtes, sed sedentes cænare: & Heroas in conuiuijs sedere, non accumbere: quod videre est apud Homerum, cu
a Odyss. Α. Γ. ius illud est, ἑξίης *a* ἕζοντο ἐπὶ κλισμούς τε, θρόνους τε.
b Odyss. Λ. & illud ἐς ῥα *b* θρόνοις ἕζοιτο. & ἑζέσθην *c* δ' ἄρ'
c Odyss. Ο. ἔπειτα ἐπὶ κλισμούς τε, θρόνους τε. & ἐπὶ *d* κλισ-
d Odyss. Ρ. μοῖσι κάθιζον. & *e* ἀντίον ἷζεν Ὀδυσσῆος θείοιο. &
e Iliad. I. memini me legere, V. Paterculus 2. lib. Tiberium imperatorem solitum esse, sedentem epulari, non ac-
f Corn. Tacitur lib. 13. cumbentem. Et *f* Catonem post prælium Pharsalicum, luctus argumento, cænanisse sedentem, non ac-
g Plutarchus in Catone. cubãtem. & Romanorum *g* principum liberos con-

suecuisse

ſueuiſſe cum cæteris idem ætatis nobilibus ſedentes veſci in aſpectu propinquorum propria, & parciore menſa; qui mos etiam Grçcorum fuiſſe ex Ariſtotele *a* intelligitur, dicente, ſi quis aliquid dixerit, aut peregerit, quod vetitū ſit, ſi liber ſit, verum qui nondum in conuiuijs accubitu dignatur, *μήπω δὲ κατακλίσεως ἠξιωμένον ἐν τοῖς συσσιτίοις*. ſimiliter paullo poſt, priuſquam ætatem attingant, cui accubitus communicari poteſt. *ἐν ᾗ καὶ κατακλίσεως ὑπάρξει κοινωνεῖν*. quare Caſſander ab Athenęo ſcribitur annorum quinque & triginta cænauiſſe iuxta patrem ſedens: quamobrem conijcere eſt, accumbendi conſuetudinem luxus argumentum exſtitiſſe, vt contra, modeſtiam, & frugalitatem ſeſſio indicabat, cuius gratia variæ nationes laudatæ, ſunt, vt Cretenſes, Aegyptij, Illyrij, & alij, de quibus Athenęus præſertim mentionem facit, & Strabo: quamquam & in accubitu frugalitas, & modeſtia eſſe poteſt, ſi quis Cyrum illum Xenophontis imitetur, qui in ſtramineo accumbens toto *ἐπὶ στιβάδος κατακλιθεὶς*, inquit *b* Xenophon, Aſſyrium rogabat Gobryam, vter ei videretur ſtragulorum plus poſſidere, Aſſyrius, an Perſa; ad quem Gobryas, dubio procul vobis (ſcilicet Perſis) & domus, quam mea, magnificentior, quibus eſt terra, & cęlum domus, & ſtragula item plura, atque lecti, lectus enim vobis eſt, vbicumq; tellus præſtat cubile; & ſunt vobis ſtragula non ex pecudibus lanea, ſed herbida e camporum, montiumq; fruticetis. *οἱ μὲν οἶκοι χθὼν ἥδε γῆ καὶ οὐρανῷ, κλῖναι δὲ ὑμῖν εἰσὶν ὁπόσαι γένοιντ' ἂν εὐναὶ ἐπὶ γῆς. στρώματα δὲ νομίζεται, οὐκ ὁπόσα πρόβατα φύει ἔρια, ἀλλ' ὁπόσα φρύγανα ὄρη τε, καὶ πεδία ἀνίησι*.

a lib. 7. Politic.

b 1 lib. dipoſ. 1.

c lib. 5. de Cyri inſtitut.

Sed fuere etiā qui ſtando, aut ambulando cibum capiebant, ne corporis voluptate animus alliceretur,

vtq; cibum non quasi dedita opera, sed obiter, & perfunctoriè capescerent. Masinissam stantem ante tabernaculum semper cibum, ferunt, sine pulpamento etiam sumpsisse cibario pane, & bellarijs militaribus contentum: proinde & octogenario maiorem filium genuisse, & nonogenario item maiorem Carthaginēses bello superasse. Annibalem quoque, nec, dum in Italia cum Romanis bellum gessit, nec deinceps, Chartagini, summum imperium adeptum, cubantem cęnasse, proditum est. Piorem, monachum Aegyptium, semper ambulantem ob dictā causam comedisse, *a* proditum est. Sed quæ rariora sunt, ad rem, quam agimus, non conducunt. Sanè constat, cum in vsu accubitus fuit, non omnes tamen accumbere, sed plurimos sedere ad mensam consueuisse.

a Socrates li. 4. de ecclesf. hist.

Similiter autem nec omnes lauabantur, quod Hippocrates *b* docuit admonendo, habendam esse rationem, si æger per bonam valetudinem lauacri cupidus esset, & lauari adsuetus: erant igitur qui nec amabant balneum, nec lotioni assueuerant: hoc tamen de Græcis: de Romanis verò idem colligitur, nam ad illos potissimum Celsus *c* loquebatur, cuius illa sunt: Exercitationem rectè sequitur modo vnctio vel in sole, vel ad ignem, modo balneum: non ergo semper ante cibum lauabantur. Hoc rursus docet inquiens, si balneum non est, calido loco vel in sole, vel ad ignem vngi, atque sudare; si est, ante omnia in tepidario residere, & vbique Celsus ex æquo dispartit vnctionem, & balneum: nam etsi, vt Græcorum mos fuit vetustissimus, lauare vna atque vngere, quamobrem frequenter Homerus cecinit, λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ; sic Romani non lauabantur, quin vngerētur simul; tamē Celsus alios significat balneo, alios balnei vice vnctione vsos esse: vt intelligamus, si nō erat

b lib. 3. de victu acut.

c lib. 1. c. 2. & 3.

absque

absque vnctione lotio, saltem vnctionem absque lotione fuisse: & quoniam hæc, sequebantur exercitationem; vt propriè exercitatio sumitur pro instrumento quodam bonæ valetudinis, aut comparandi roboris; existimandum est, illos, quibus otium non erat, vt hac ratione exercerentur, nec etiam lauisse, cuiusmodi rustici fuere, milites, operariorum ingens numerus, & pars denique populi maior: hi enim necessariò, non studio valetudinis, vel animi gratia, labores subibant: sed & in paucis domibus instrumenta erant, & idonei balneorum ministri; vt Hippocrates *a* de Græcis testatus est, ἐν ὀλίγῃσι γὰρ οἰκίῃσι παρεσκευάσαι τὰ ἄρμενα, καὶ οἱ θεραπεύοντες ὡς δεῖ; quod de Romanis etiam sumendū est, quando apud illos exstitere, qui publica ædificia, balneis destinata, ad aucupandam populi gratiam, exstruxerunt, vt Agrippa gener Augusti, qui primus traditur, hoc fecisse; propterea, plurimos olim illotos cibum accepisse, necesse est. Igitur sic statuendum videtur, vel de ociosis, vel de occupatis sermonem esse: ociosis tempus non defuisse, quo bis die exercerentur, lauarentur, epularentur: occupatis verò mentis laboribus vix tempus datum, quo hæc semel die conficerent; hos autem fuisse ex vrbanis paucissimos: corporis autem muneribus districtos, non potuisse quidem arbitratu eorum exerceri, lauari, vngiue ante cibum; sæpe tamen die cibum capere necessariò consueuisse, vt ante notatum est: nec ijs credendum, qui dixerūt, olim infames habitos, qui ante cænam quicquam edebant, & testem laudant *b* Plutarchum: nam de veterum consuetudine satis ante dictum est: ac de Persis quoque dictum est, quibus solis ea laus tributa, quod olim semel die comederent. Plutarchum autem nihil dicere, quo id probari possit, facile diligens

a lib. 3. de victu in acutis.

b 8. Symp. prob. 6.

lector intelliget, ipsius Plutarchi disputatione diligenter perlecta: quem locum priore libro variarum obseruationum examinaui.

De hora, qua Romani cibum capiebant. Cap. XIIII.

NEQVE demum argumentum sumendum est ab hora, qua comedere solitos Romanos pleriq; existimant; nona scilicet, quasi semel tantum die illi comedisse dicendi sint, quia vnius horæ tantum mentio facta sit; leue, inquam, argumentum inde sumitur, quoniam contraria occurrunt multa: etenim ante vidimus, horæ mentionem septimæ factam esse, cum ex Suetonio dicebatur Caius hora quasi septima cunctatus, an ad prandium surgeret. Cicero in Pisonem quintam memorauit, inquiens, meministi ne cęnum cum ad te quinta fere hora cum C. Pisone venissem, nescio quo e gurgustio te prodire inuoluto capite soleatum? & cum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasses, excusatione te vti valetudinis, quod diceres vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari? memorauit & tertiam, actione in Antonium secunda: ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur: non sola igitur memorata est nona. Sed sæpe hora nona quidvis aliud facere, quam cęnare: & ne quid dicam de milite in castris versante, qui sæpe tēpori magis, quam valetudini inseruit; & ideo nonnunquam nisi nocte cęnat, cum a pugna in castra reditum est; quid est, quod ait Cicero secunda in Verrem (quæ ab ipso Cicerone, & Nonio vocatur actio prima) Nonæ sunt hodie sextiles: hora nona conuenire cępistis: & actio-

ne

ne quarta (quæ dicenda est tertia.) Nec cogat ante horam decimam de absente secundum præsentem iudicare: & inferius, paratum ad caussam dicendam venire hora octaua iubet: & paullo post, ad horam octauam præsto est: & paullo inferius, ante horam tertiam noctis de foro non discessit: at qui octaua, nona, decima, & vlterius in foro versabantur, nona cęnare minimè poterant. Quid verò, quod ille apud Horatium inuitatur ad cęnam post nonam? & Martialis *a* epigrammate illo vulgatissimo inquit, Hora libellorum decima est Eupheme meorum, Temperat ambrosias cum tua cura dapes. Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar, Ingentiq; tenet pocula parca manu: erant igitur, qui decima cęnarent. Et legimus, hæc apud *b* Liuium, Decima erat fere diei hora, cum cibum capere Cos. milites iubet: immo erant etiam qui lauabantur, post decimam cęnaturi: Balnea *c* post decimam lasso, centumq; petuntur Quadrantes, fiet quando, Potite, liber? adhæc, cum dicat, Prima *d* salutantes, atque altera continet hora, Exercet raucos tertia causidicos; interim quid reliqui faciebant, qui nec salutationibus occupabantur, nec caussas orabant, famuli, serui, opifices, operarum ingens numerus? quid feminæ ac pueri? Sed *e* Galenus, Antiochum medicum ter die comedere asseruit, scilicet hora tertia vel quarta cibum sumere modicum, & septima prandere, vespere demum cęnare: & Telephum grammaticum idem facere solitum: quem refectionum numerum, alia tamen de causa, ab innumeris, præsertim pueris, seruis, & operis, seruatam esse, verisimile est: nam & hi necessariò crebra refectione egent, pueri scilicet ob natiui caloris copiam, serui, & alij ob labores, senes verò, & minus benè valentes, vt Antiochus dictus, & Telephus;

a lib. 4. epigr. 8.

b lib. 9. Dec. 1.

c Martialis lib. 10. epigr. 69.

d Martial. lib. 4, ep. 8.

e lib. 5. de san. tu. c. 4.

phus; quibus similes multi semper inueniũtur; quod calor est imbecillis, & crebro ac exiguo cibo melius sustinetur. Horam quoque tertiam intemperantiorum fuisse, verisimile est, cum id Antonio sit obiectum a M. Tullio, vt paullo ante notaui: vt mirandum non sit, S. *a* Petrum; vt reliquos Apostolos defenderet; quos, tamquam musto repletos nonnulli ob linguarum varietatem, accusare non verebãtur; quasi firmissimo argumento, dixisse, ebrios non esse. quoniam erat hora diei tertia: ante quam nullus hominum, licet intemperans, comedere, aut potare solebat: quamobrem Cęcilianum *b* Martialis fortasse accusauit, quod hora quinta ad conuiuium accessisset, clausa adhuc culina; intempestiuè scilicet: nam vel citius, vel serius accedere debuisset: dixit enim: Mane veni potius, hora videlicet tertia: nã etsi temperantes, & sani homines eo tempore cibum sumere non consueuerant, minus tamen erat alienum a consuetudine: nam pueris, & imbecillioribus nonnullis cibo refici mos erat, quinta verò nemini.

a In actib. Apostolorum c. 2.

b lib. 8. epigr. 66.

Cænæ tempus apud Romanos.

Itaque re diligenter perspecta, & expensa, dicendum existimo, cęnæ quidem tempus Romanis fuisse ab hora nona, ita vt ipsa nona complures, post eam verò non pauci, nonnunquam etiam magnis de causis aliqui nocte cęnarent: quo illud Augusti pertinet in epistola ad Tiberium, cuius mentionem *c* Suetonius fecit, ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter sabbathis ieiunium seruat, quam ego hodie seruaui, qui in balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducaui prius, quam vngi inciperẽ: testatur quoque Antoninum imperatorem *d* Galenus, hyeme in palæstram ingredi solitum Sole occidente, æstate autem hora nona, vel ad summum decima: illius autem ministros eorum corpora serius curasse:

c in Augusto.

d lib. 6. de san. tu c. 5.

curasse: igitur Antoninus hora nona nunquam cęnabat: nam cibus palæstram (in quam se non ante nonam conferebat) sequebatur: sed eodem loco Galenus prodidit: plurimos, & pene infinitos, nũquam, nisi sole occidẽte, hoc est post nonam semper, cibum sumpsisse, illos scilicet, qui (inquit) alijs viuentes, toto die, ministrare soliti, cum ad extremum diei a dominis discesserant, tunc deniq; sui corporis curam gerebant.

Verum hyeme quoque plurimos ante occasum solis cęnare solitos, *a* Vitruuius docuit, cum triclinia hyberna occidentem spectare hybernum debere admonuit, quoniã vespertino lumine opus sit: etenim frustra hoc admonuisset, nisi cęnandi tempus hyeme quoque solis occasum præuertisset: contra quam nostro seculo: nam tempore hyberno nocte vel multa semper cęnatur: lucubramus quoque ante cęnam, cum illi post cęnam, siue ante somnum, siue post, nocte adhuc multa lucubrarent: quod intelligi potest ex illo Celsi *b* documento, sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post cõcoctionem; cur enim non ante cibum, nisi quia non erat lucubrationi locus, cum ante noctem plurimi cęnarent. *c* Domitianus non vltra solis occasum conuiuabatur. Sed habemus etiam Plinij secundi exemplum, qui ab eius nepote *c* Plinio dictus est, ęstate a cęna luce surgere, hyeme verò intra primam noctis, lucubrare autem a Vulcanalibus hora septima, vel octaua, sæpe etiam sexta, atque imperatorem similiter lucubrantem adire ante lucem. Hæc de cęna.

a lib. 6. c. 7.

Lucubrationis tempus.

b lib. 1. c. 2.

c Suetonius in Domitiano.

d lib. 3. epist. ad Marcum.

Prandij verò tempus fuisse, dixerim, horam sextam, vel septimam, quod Martialis vulgatissimo illo epigrammate, Prima salutanteis, quietis tempus vocauit, Sexta quies lassis; septima finis erit: sexta

Prandij tempus apud Romanos.

ſcilicet hora, prandio primum, deinde ſomno in ſeptimam recreabantur: octaua autem conferebant ſe ad palæſtram, & lauacra: Sufficit in nonam nitidis octaua palæſtris, inquit eodem epigrammate, & *a* alibi, Nunciat octauam Phariæ ſua turba iuuencæ, Et pilata redit, iamq; ſubitq; cohors, Temperat hæc thermas, & iterum *b* alibi, Octauam poteris ſeruare, lauabimur vna, ſcis, quam ſint Stephani balnea iuncta mihi. qui ſerius ibant, magno tum ſui, tum amicorum, & miniſtrorum incommodo; quod præter conſuetudinem eſſet, hoc faciebant: itaque non eſt mirari Martialem, de Fabiano conqueri, quod hora decima, vel ſerius in thermas illum ſequi deberet. Laſſus, vt in thermas decima, vel ſerius, hora te ſequar Agrippæ, cum lauer ipſe Titi. Sed ad rem. Catullus etiam ad Gellium, Mane domo cum exis, & cum te octaua quiete, Et mollis longo ſuſcitat hora die; ſignificauit, tum mane poſt ſomnũ nocturnum, tum a meridie poſt quietem, & ſomnum meridianum, candidis, ob impudicam vtroq; quietis tempore conſuetudinem labris videri: eſt autem neceſſarium exiſtimare, & intelligere, ante ſomnum meridianum ſumpſiſſe cibum, prandium ſcilicet, (vt ante dixi, & Plinij maximè exemplo confirmaui) hora ſexta: vel ſeptima, vt Antiochum & Telephum dixit *c* Galenus prandere hora ſeptima.

a lib. 10. epigr. 48.

b lib. 11. ep. 55.

c lib. 5. de ſan. tu. c. 4.

Ientaculi hora & Merendæ,

Ex dictis autem de hora tertia, par eſt exiſtimare, illam ientaculo dicatam fuiſſe. Merendam Feſtus teſtatus eſt, pro prandio ab antiquis dictam, quod ſcilicet medio die caperetur: quaſi iam eius tempeſtate non amplius meridie, ſed ſerius locum haberet: itaque Nonius cibum dixit, qui poſt meridiem datur, ſcilicet, ipſo meridie, hora ſexta, vt dixi, prandium capiebatur. *d* Athenæus quoque ſignificauit, inter

d lib. 1. dipnoſ.

pran-

prandium, & cęnam cibum solitum sumi, vocatum δειλινὸν a quibusdam, vt ait: ex quo fortasse in lexico vetusto græcolatino ἄριστον δειλινὸν versa est merenda: etsi minus rectè Athenæus videtur accepisse τὸ δειελιήσας apud Homerum, vt ante dictum est. Comesationi noctem nonnulli tribuunt, cęna tamen prius assumpta: fortasse quoniam Suetonius de Vitellio inquit, epulas trifariam semper, interdũ quadrifariam dispartiebat, in ientacula, prandia, cænas, & comesationes: cum enim, vt hic ponitur, cænam comesatio sequatur, in noctem incidat necessarium est. De Domitiano etiam inquit, conuiuabatur frequenter, sed non vltra solis occasum, nec vt postea comesaretur: etsi alias fortasse pro quocumq; intempestiuo, & minimè sobrio conuiuio accipi potuit comesatio, cuius origo nominis, Varronis *a* testimonio, Gręcum est nomen κῶμος, lasciuiam præsertim, & procacitatem significans, cui nocte potissimum locus datur, vt Comus, pro Deo a veteribus Gręcis habitus, in noctę cum facibus, & lampadibus pingebatur, comitante lasciuorum iuuenum caterua cymbalis, crotalis, tibijs pulsantium clamore, & reboatu cuncta obstrepentium. Sed hæc, ad intelligendum mores, & ritus Romanorum, fortasse sunt, quàm res ipsa postulat, pauciora; obiter enim in hunc sermonem incidimus; ad id verò ostendendum, quod volebam, fortasse plus satis: videor enim satis superq; fecisse, ad ostendendum, antiquorum viuendi rationem (quod ad refectionum numerum attinet) a nostra diuersam non fuisse, & maiorem hominum partem sæpius die, natura veluti duce, cibum sumere consueuisse: quæ res; si modus adsit, adeo vt natura, & ratio quasi conspirent; salubrior est, quam semel tantum conuiuari, qnemadmodum initio dixi, Hip-

Comesationis tempus.

a ¶ li. 6. de lingua lat.

b lib. 1. de studiosorũ san. tu. c. 11.

K pocrate,

pocrate, & Celso auctoribus: quibus consentiunt recentiores pleriq;, maximè verò Marsilius Ficinus, & *a* Alexander Petronius.

a lib. 5. de victu Romanorum. c. 5. & 12.

Cur salubrius sæpè, quam semel die comedere. Cap, XV.

CVIVS rei ratio explicanda iam est: etenim verum est, eum, qui cibũ sæpius capit (modo non amplius, quam natura ferat) pulchiorem, robustiorem, & seipso vegetiorem fieri, quàm si semel tãtum acciperet: hoc verò idcirco euenit, quod genus hominum similitudinem cum eo plantarum genere habet, cuius radices summas tantum occupant telluris partes: a quibus magna vi sol perpetuò humorem exhaurit: quamobrem assiduis quidẽ, sed moderatis imbribus indigent: assiduis, vt quod frequenti solis percussu subripitur, crebro pariter pluuiarum accessu compensetur: moderatis, quia humor nimius exiguum plantarum calorem facilè extinguit, & illas, neque erigi, neque sinit aura perflari: modico autem proceriores euadunt, flores, atque fructus tempestiuè producunt: quòd si pluuiæ non sint, irrigandi necessaria cura succedit. Est igitur homini, sicuti animantium multis generibus, pro summa, & superficiaria illa tellure (vt ita dicam) stomachus: qui in animali recens edito per quàm exiguus est, & caloris plurimum habet (nam quæ crescunt corpora, eum plurimum habent, vt Hippocrates monuit) quamobrem frequenti eget refectione: nam exiguum, quod capit, vi caloris ingenti confestim exhauritur: ne igitur corpus, si cibus desit, absumatur (vti plantas humore deficiente arescere manifestum est) frequentior esca

præ-

præsidio est: vbi verò corpus iustum incrementum consecutum iam est, in ætate florente, cum adhuc viget calor, tam crebra quidem refectio necessaria non est; quia licet adhuc multum alimẽtum requiratur, tamen capere stomachus iam auctus vna, vel altera esca tantum potest, quantum, cum paruus erat, pluribus; in senio verò pauciore quoque opus est alimento (ideo enim Hippocrates paucioribus egere senes fomitibus scripsit: quia iam calor innatus paucissimus est) hic tamen non efficitur, quin omni ætati salubrius sit sæpe, quam semel die, comedere: nam in omnibus illud probandum magis est quod magis secundum naturam est, cibum verò sæpe assumere, magis secundum naturam est, quoniam iam inde ab ortu primo ad hoc nos inuitat natura, & necessariò sic assuefacit, vt non facilè sit ab hac consuetudine absque periculo discedere: quo spectant ea, quæ dicebantur, cum initio secundæ contra continentiam rationi occurrebam: itaque senes quoque diutius seruabuntur, si sæpe, quam si semel comederint, modo mensuram non contemnant.

Propterea nec omnino probandi sunt *a* Arabes, qui statuerunt, ter biduo comedendum esse, vt altero die bis, altero semel cibus sumatur: nam, vt mensura, quæ cuiq; congrua sit; seruanda semper est, ita statuendum est, crebram refectionem salubriorem esse. Nec me mouet, quod aiunt, horis octodecim tertiam concoctionem compleri: & salutare esse, illa perfecta, cibum sumi; nam spacium, primo, octodecim horarum arbitrio eorum definitũ est: deinde tertia concoctio non est expectanda, vt cibus accipiatur, sed fames, quæ primam concoctionem sequi solet: tum cibos magis, quam tempus, meriti expedit: postremò, nec primam concoctionem expectandam esse,

a Auicẽna 3. p. doctr. 2. c. 7. & 2. parte Cantice. Auerroes 6. col. c. 6. & ad Cant. Auic. parte 2. tracta. 1. com. 12.

vt tutò cibus ſumatur, etenim nec ſemper, nec plerumq; noxius eſt cibus, qui, priori nondum concocto, ſumitur, quod illa oſtendunt, quæ, de ciborum ordine differentes alio loco digeſſimus. Sed illorum commoda, qui ſæpe, & modicè ſemper comedunt, & inſimul incommoda illorum, qui raro quidem, ſed intemperanter explentur, ſuperius expoſita ſunt.

Iam de illis aliquid dicam, qui raro, & parum, deq; illis, qui ſæpe, & multum accipiunt. qui ſæpe, & multum priſcis temporibus comedebant, fuere po

Edaces. Athletæ. a 1. aphoris 3.

tiſſimum Athletæ: de quibus *a* Hippocrates; qui vixit, quo tempore gymnaſia, & ars gymnaſtica vigebat, illa nobis reliquit, Habitus gymnaſticorum, qui ad ſummum deuenere, periculoſi, ſi in extremo

b lib. 3. de rep.

conſtiterint Plato *b* athletas ſomnolentos, & habitu

c lib. 8. polit. c. 4. & lib. 4. de ge. animal. c. 3.

eſſe ad ſanitatem dubio, teſtatus eſt. Ariſtoteles *c* dixit, ſæpe numero Athletis formas corrumpi, & diſſimiles euadere: quin & corporum incrementa intercipi, argumento, quod illorum, qui Olympia vicerunt, vix duo vel tres reperti ſunt, qui ijdem adole-

d Hortatione àd bonas artes.

ſcentes, & viri ſint victoriam conſecuti. Galenus *d* athletas, qui iam ab eo ſtudio recederent, pleroſq; dixit breui perijſſe, & qui ſenes euadebant, miſerrimam ſenectutem duxiſſe, lippos, edentulos, & vacillantibus membris: ex ijs verò, qui ſe exercebant ali-

e Galen. lib. de ſan. tu. ad Traſybulum.

quos *e* repente obmutuiſſe, aliquos ſenſum, atque motum amiſiſſe, & omnino attonitos euaſiſſe, aliquos deniq; (qui ſcilicet leuius offendebantur) ſanguinem aut vomuiſſe, aut expuiſſe: reliquos verò, qui athletæ non erant, & ſæpe, ac plurimum comedebant, vitæ breuioris extitiſſe, morbis obnoxios fuiſſe, & ex ijs multos repente ſuffocatos occidiſſe, facilè credimus experimentis noſtri ſeculi commonefacti: neque enim opus habemus exemplis vete-

rum

rum heluonum, vt fiat nobis huius rei fides.

Sed *a* Celsi auctoritatem non prætermittam dicentis, ea corpora, quæ more athletarū repleta sunt, celerrimè & senescere, & ægrotare: cumq; de edacibus hæc dicantur, ne sibi persuadeat quisquam, bibaces fore immunes. Qui bibaces, & edaces simul sint, non adeo multos reperies, immo scriptum est ab Hippocrate, *b* hoc fieri non posse, οὐ γὰρ οἷόν τε ἅμα πολυβόροις εἶναι, καὶ πολυπότας: sed fieri non posse, intelligimus, quod rarissimè fit, vt alibi *c* notabamus: nam instar monstri est, quod de Milone Crotoniata, & Maximino Romanorum imperatore proditum est, de quibus antea quoque diximus: & Liuius, Papyrium Cursorem cibi, viniq; capacissimum narrauit, quod res esset, propter raritatem, memorabilis. tamen si qui vtroq; delinquunt, grauioribus malis obnoxij sunt: nam qui altero tātum peccant, hi quoque periclitantur, nec bibaces securiores edacibus credendi sunt: nam etsi vinum facilè venas subit, & inde promptè ad vrinæ vias defertur; quo remedio potores immodicæ potationi solent sufficere, vt vomitu edaces voracitati (quamuis vomitus magis, quam mictus in nostra sit potestate, & idcirco ebrietas difficilius vitari possit, quam cruditas ex edacitate) quapropter notatum est ab *d* Aristotele, oleum aduersus ebrietatem conferre idcirco, quod habet facultatem prouocandi vrinam, etenim διό τι οὐρητικόν ἐστι; licet igitur vinum mingatur facilè, contra verò cibus, quo copiosior est, eo diutius in corpore moretur; atque ideo lædi minus bibaces à vino, quam edaces à cibis facilè aliquis crederet; tamen non leuiora sunt bibentium incommoda, quam comedentium, nisi etiam grauiora sint: etenim grauius is peccat, qui corpori simul, & animo iniuriam infert;

a lib. 1. c. 1.

Bibaces.

b lib. de aere, locis, & aquis.

c lib. 3. c. 2. variarum obseruationum.

D. lib. 9. dec. 1.

d 3. psobl. vlt.

infert; quod vinum facit immodicè ſumptum; quàm qui ſoli corpori nocet: à potu autem nimio animum lædi, ex delirio conſtat, in quod per ebrietatem incurritur: corpori iniuriam fieri à vinolentia, notiſſimum etiam eſt: Ariſtoteles *a* teſtatus eſt, ebrios fieri tremulos, balbutientes, laterum doloribus, cæteriſq; huiuſmodi morbis citiſſimè capi: quod ſi caſus etiam repentinos, & ſubitas mortes inſpicias, non minus inter potores eas reperies, quam inter edaces occurrant: nam ſi Valentinianum, & Iouinianum cibo nimio exanimatos legiſti, inuenies etiam reges, qui à vini potu vel repente exſpirarunt, vt de Andebunto Anglo ſcriptum eſt: vel letali morbo correpti, paullo poſt obiere, quòd de Alexandro Macedone aliqui tradiderunt. Domitium Afrum clarum oratorem, cibo nimio cænantẽ obijſſe, legis apud *b* Euſebium: & Arceſilam, philoſophum nobilem, mero nimio infuſo ebrium vitam profudiſſe, Diogenes ſcripſit in eius vita: confirmat hoc Alexander auctor problematum libro primo, vbi quęrit, multi cur ebrij mortui ſint: non enim quærendum fuit, cur moriantur, niſi pro comperto habuiſſet, multos ea de cauſa periiſſe. Socrates autem apud Xenophontem *c* dicebat, nimio potu corpora nobis, & animas perturbari, atque adeo reſpirationem quoque impediri, vt ne ſermonem quidem edere valeamus.

a 3. probl. 1. 5. & 25. 30.

b Chronicis.

c Sympoſio.

Nec cibo vinum ideo præferri debet, quod celerius nutriat, quam cibus: nam cibus nutrit magis: nam ad nutriendum, non requirit ſolum natura, vt fames eximatur; quod vinum etiam facit, vt Hippocrates *d* obſeruauit, & ſcripſit; ſed vt eiuſmodi re eximatur, quæ poſſit diu animal ſuſtinere, ad cætera munera, quæ neceſſariò ſunt obeunda: maximè verò ad generandum: cuius rei potio idonea non eſt, ſed cibus,

d 2. aph. 22.

bus, qui idcirco etiam magis est necessarius, quam potus: itaque & robustiores homines fieri videmus cibo multo, quam potu multo, sic athletas cibi potius studiosos, quam potus nouimus, quamobrem dicta est ἀναγκοφαγία a cibo, non autem ἀναγκοποσία à potione: audaciores vinum efficiet quidem; nam insaniam inducit; vt dixi, & audacia pro insaniæ foribus stare videtur; audacem Aristoteles *a* dicebat eum, qui in periculis nimium sibi fidit, quod si quis pericula etiam ignoret, omnemq; formidinem adeo deposuerit, vt nec terræmotus timeat, nec procellas, hunc insanum appellat; audaciores, inquam vinum efficit, sed ad labores, & ad ferendos impetus, minus, quam cibus, idoneos reddit: & quamquam dictum est, sine Cerere, & Baccho friget venus, scire tamen licet, eam calere in ijs minus, qui Baccho multo, quam multa Cerere gaudent: propterea vinolenti iure ab Aristotele *b* inepti ad Venerem dicuntur, semineq; esse infæcundo, quod & Plutarchus *c* repetit: sed & ex Aristotele ratio alia sumi potest, semen necessariò a cibo proficisci, τὸ σπέρμα ἐκ τροφῆς: quod est valde probabile: nam crassa est seminis substantia, & ideo ex crassiori corpore copiosiorem eam, & crassiorem, atque ideo fæcundiorem prouenire, rationi consentaneum est: & licet Aristoteles vsus sit nomine τροφῆς; quod propriè non significat cibum, vt à potu distinguitur, sed communiter, & vniuersè pro alimento (vinum verò est quoddam alimẽtum) accipitur; tamen scire est, in problemate *e* altero; vbi similiter quæritur, cur ebrij ad venerem idonei non sunt; in eodem sensu σιτία legi, quæ vox propriè cibos significat, vt à potu, & vino disiunguntur: à cibis autem, semen similiter dicit venire, ἐκ τούτων, itaque altero problemate τὸ τροφῆς pro cibo priuatim

Cibus, quàm potus, magis necessarius.

Cibus robustiores, vinum audaciores efficit.

a lib. 3. de moribus ad Nicomachum.

b sect. 3. pro. 4. 11. & 31.

c Sympos. 3. prob. 5.

d sect. 3. probl. 11.

Semen a cibo.

e sect. 3. probl. 32.

tim

tim nempè genus pro parte videtur acceptum.

Nec his repugnat S.Paulus *a* inquiens, nolite inebriari vino, in quo est luxuria: quoniam non minus cauendas monuit *b* comesationes: & animaduertendum est, lasciuiam ab hilaritate facillimè prouocari, vinum autem excitare hilaritatem promptius, quàm cibum, itaque videri obuium magis, ac promptum ex vini potu luxuriæ peccatum, quàm ex cibo. Sed non ideo fieri, vt veneri vinum aptiores homines reddat: sed contra accidere, nam vt celeriter ex vino libido nascitur, ita celeriter emoritur: & procedente ebrietate omnino venus extinguitur: nec id solum de summa, & vehementi ebrietate intelligendum est, cum iam corpus dissolutum consistere non amplius potest; etenim nemo negabit, tum venerem penitus elanguisse, ac solutam esse: sed gradum ebrietatis intelligimus, cum ebrius etiam consistit, & Venere vti potest, nisi vis eius vino fracta esset. nec S. Paulus ait, in ebrietate luxuriam esse, sed in vino speciatim: dum enim accingit se potor ad ebrietatem, primo hilaritatem percipit, quæ lasciuiam, & Veneris desiderium conciret: quamobrem cum vitāda per se ebrietas est, nam turpissima est, & hominem dedecorat; quod silentio Apostolus prætermisit; tum vitanda est, quia luxuriæ obnoxij efficiuntur potores, dum ne eo prouehantur bibendo, vt dissoluti procumbant, & obdormiscere cogantur.

a epist. ad Ephesios. c. 5.

b epist. ad Romanos. 13. & ad Galathas. 5.

Quæ igitur ex vino est, libido, celerrimè frangitur. at ex cibo firmior est, diutius consistit, & semen fæcundius efficitur. cum igitur debilius ex vino nutrimentum nobis adueniat, necessarium est, vt vinolenti corpore infirmiore sint, & ob id etiam morbis obnoxij magis: nam illud Celsi *c* verum est, omnibus morbis infirmitatem seu imbecillitatem maximè

c lib. 1. c. 3.

mè obnoxiam esse: & est notatum, ac litteris *a* traditum, vinolentos senectutem accelerare, intempestiua caluitie deformari, canos ante tempus producere: imbecilliores autem, si qua re peccent, grauius lædi, quam robustiores, colligimus ex Hippocrate, qui tenuem victum paullo pleniore, dixit, esse periculosiorem, quia natura, vt Galenus interpretatus est, victu tenui debilior redditur. verum est, vinum facilius foras elabi: nec malè scriptum à Celso *b* putandum, si qua intemperantia subest, tutiorem esse in potione, quam in esca: nam stomachus illorum, de quibus loquitur, imbecillis facilius ab immodica vini expletione, quā cibi, se expediet; debilius enim alimentum robustiore melius, & facilius conficitur; si verò huiusmodi sit in potione intēperantia, a qua facilè se expedire non possit, eam non leuiora excipient damna, quam à cibo nimio proficisci consuerint: illorum igitur, qui multum, ac sæpe tum comedunt, tum bibunt, damnanda est vitæ ratio, eaque morborum periculis maximè subdita existimari debet.

a Plutarchus symp. Dec. 3. pro. 5.

b lib. 1. c. 2.

Victus nimis tenuis damnatur.
Cap. XVI.

SED neque laudare, neque imitari, alios debemus, qui tenue, & exiguum alimentum, & raro accipiunt: quicquid enim extra mediocritatem est, & ad extremum alterum vergit, vel in eo consistit, periculosum est: quia summa damnatur satietas, expletioq;: idcirco Hippocrates *c* summè tenuem, & maximè exquisitam viuendi rationem, non in ægris tantum damnauit, sed in sanis quoque periculosan

c 1. aph. 4. & 5.

esse notauit: nam qui ita vixerint, nullum iniuriæ genus vereri non debent: nullumq; vel leue peccatum est, à quo grauiter offendi non possint: repentina quæuis aeris mutatio, exercitatio, aut labor paullo vehementior, conuiuium paullo lætius, somnus paullo breuior, tristis nuncius non magnæ eriam rei, quoduis denique, quod in alteram partem modicè declinet, obesse vehementer potest: neque hi liberè ijs fungi muneribus possunt, quæ hominibus maximè conueniunt, res domesticas curare, amicis præstò esse, Rempublicam adiuuare, quibus qui operam dant, ij tot repentinis, & tam diuersis casibus expositi sunt, vt, si tam tenui, & exquisito victu vtantur, ne paucis quidem diebus res eas tractare tutò possint: sed debent (si sanitate frui velint) in summa quiete; & in eodem tenore, ostreæ, vel stirpis instar (vt Plutarchus dicebat) seorsim ab amicis, & ab omni publico munere, semper degere, quod si non sit solum victus tenuis, sed etiam rarò cibus, & potus sumatur: vt semel die, vel alternis, vel rarius (si humano more iudicandum est) maius quoque periculum imminebit: nec aliquis hoc vitæ genus suscipiet, qui in humana societate sese velit cæteris hominem præstare.

In eo se poterit exercere, qui in aliquo secessu, humanis rebus cunctis posthabitis, vnam, æternamq; illam (quam tamen omnes desideramus) beatitudinem versare animo velit, Deumq; O. M. contemplari, & summa atque innumera in homines collata eius beneficia recolere, atque omni studio & opera eiusdem cultum prosequi, eundemq; assiduis precibus tum sibi, tum reliquo humano generi propitium reddere, ac conciliare: quod monachi quidam præsertim Aegyptij olim factitarunt, vt sacræ historiæ au-

ctores

ctores testantur: alioqui nota *a* Hippocratis sententia est, semel die cibum capere, μονοσιτίην, gracilitatem inducere, & exsiccare: quoniam efficit, vt carnis humor ab animali calore consumatur, de qua re initio in quinta argumentatione dictum est; quid ergo fiet, si tantum alternis diebus, vel rarius, & parcè quoque cibus sumatur? iam verò nihil dicendum est de ratione, quæ habenda ætatum est, temperaturarum, habituum, anni temporum, & consuetudinis: nam generatim hoc agimus, vt ostendamus, cibum nimis tenuem promiscuè in omni ætate, & temperatura, & habitu, & anni tempore, vti etiam nimis liberalem fugiēdum esse: de consuetudine illud solum admonendi sumus, ne repente vel ab edacitate, vel ab inedia consueta; ad exquisitam, & congruam mediocritatem, sed insuetam, nos referamus, nam, πάντα, inquit *b* Hippocrates, ἐξαπίνης μέζω πολλῷ τοῦ μετρίου μεταβαλλόμενα ἐπὶ τὰ, καὶ ἐπὶ τὰ, βλάπτει: quæ repente multo extra modum in hanc, vel in illam partem permutantur, nocua sunt: sed debemus paullatim vel demere, vel adijcere: omne enim, quod multum est, vt *c* alibi dicit, naturæ est inimicum, quod verò paullatim fit, periculo vacat. πᾶν γὰρ τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. τὸ δὲ κατ' ὀλίγον ἀσφαλές: Hactenus igitur ostensum est, continentiam posse nobis magno, ac præcipuo ad bonā valetudinem auxilio esse: nec diutius posse inediam sine periculo ferri: ac satius esse, bis die, vel sæpius; sed modicè semper, quam semel; siue multum, siue exiguum; aut sæpe, sed nimium comedere.

a lib. 2. de victu in acut.

Consuetudo vt mutanda.

b lib. 2. de victu in acut.

c 2. aph. 5.

Conclusio omnium.

De cibi, & potus mensura. Cap. XVII.

HOc autem loco non intempestiuè aliquis quęret, quæ nam tum cibi, tum potionis mensura seruanda sit, quisve in his modus sit adhibendus: quamuis enim ridendum nonnullis videatur, certa quadam mensura, cibum, potumq; accipere; & reuera risu dignum sit, si quis altera manu stateram suspendat, altera verò de statera cibum ori admoueat; animaduertere tamen expedit, sumi nihil à nobis, etiam non animaduertētibus, nisi mensura quadam certa, & pro pondere: siue enim paterfamilias suis domesticis, siue dominus seruis, villicus rusticis, caupo hospitibus, princeps aulicis suis alimenta præbeat, certo semper pondere, ac certa præbet mensura: si item a pistore panem emas, carnes a lanio, in macello, pisces, & vinum in caupona, certa numerata pecunia certum cuiusq; rei pondus datur: itaque à nobis, vel inscijs, pondere, ac mensura omnia sumuntur: propterea factum puto, vt quod viritim pro alimento dabatur, Demensi nomen acceperit: scilicet à metiendo potius, quā à mense, sicuti demensa verba Cicero appellat; alienum ergo non videbitur, si de cibi, ac potus mensura nonnihil disseruerimus.

Demensi.

Cibi, & potus antiquorum mensura cum nostra comparatur. Cap. XVIII.

AC primum non erit inanis fortasse labor, perquirere, & explicare, an in vulgari cibi, & potus

tus modo alia vetuſtiorum, quam noſtri temporis
ratio extiterit: vt deinde cõmodius exponatur, quid
à ſanitatis conſeruandæ ſtudioſo faciendum ſit. Et
quia de moribus antiquorum fingendum nihil eſt,
non poſſumus aliquid affirmare, niſi quod litterarũ
monumentis traditum reperimus: inde igitur colli-
gimus, vulgare Demenſum panis, quod olim pro Panis demẽſum
diurno cibario viritim dabatur, fuiſſe Chœnicen, ſeu apud antiquos.
quantum chœnice capiebatur: notum eſt autẽ men- Chœnix.
ſuræ genus chęnicen fuiſſe, quæ ipſis quoque Home
ri temporibus, vel antiquioribus in vſu fuit, vt ſibi
facilè is perſuaſerit, qui libro Odyſſeæ decimonono
legerit, οὐ γὰρ ἄεργον ἀνέξομαι, ὅσκεν ἐμῆς γε χοίνικος
ἅπτηται, καὶ τηλόθεν εἰληλουθώς: quod eſt, non pa-
tiar illum, qui chœnicen meum attigerit, ceſſare,
quamuis e longinqua regione aduenerit: quæ verba
Telemacho Vlyſſis filio attribuuntur, vbi Didymus
Homeri interpres indicat, menſuræ nomen, chœnix,
prò eo poſitum, quod menſura capitur, itaque vel
pro pane vel pro panis materia: quam menſuram
nonnulli tandem eſſe arbitrantur, quæ Hebraice Budæus li. 5. de
Homer, vel Komer dicta eſt, cuius mentio ſæpe aſſe.
quidem in Sacris litteris habetur, ſed potiſſimum
libri Exodi capite ſextodecimo, videtur pro illa ac-
cipi menſura, qua Dei præcepto manna in dies ſin-
gulos viritim colligebatur: licet alij plus, quam chę-
nicen continuiſſe tradiderint. illud nobis compertum
eſt, Herodotum libro ſeptimo mirari, Xerxem tanto
exercitui potuiſſe alimenta ſuppeditare; &, volen-
tem Herodotum alimenti illius inire rationem, hoc
ponere, Tritici, ſcilicet, chœnicen à quoque milite in
dies ſingulos acceptam: notaui etiam vnum apud *a* a lib. 7. epidem.
Hippocratem Eratolai ægritudinem deſcribentem,
quod huc ſpectare videtur, illum enim, dixit, cibum

ſemel

semel die sumpsisse ad vesperam, & panis mensuram subcinericij fuisse dimidiam chœnicem, ἐμονοσίτε δὲ, inquit, ἑσπέρην. ἄρτος ὡς ἡμιχοίνικος ἐγκρυφίης: vt probabile sit, diarium panis demensum integrum ab Hippocrate quoque chœnicen existimatū: quando, qui moderatius & semel die vescebatur, semichœnicen sumpsisse notauit: quam mensuram si quis edendo superasset, vt vorax & helluo notabatur, vt Arcas ille nomine Aristus apud *a* Xenophontem, qui in Seuthæ Thracis conuiuio dictus est panem assumpsisse ὅσον τριχοίνικον, tres fere chœnices æquantem: cui simile de athletis infra dicetur.

a lib.7.de ascensu.

Sed & posteriores Græcæ linguæ interpretes, cibarium diurnum dixerunt, chœnicen vocari, quamobrem apud Athenæum *b* nescio quis pro chœnice nomen aliud effinxerat, ἡμεροτροφίδα, ac si diceres Diurni cibum: & Laertius Diogenes in Pythagora; cum interpretatur illud; super chænice ne sedeto; significare futurorum æque ac præsentium curam habendam esse, ἡ γὰρ χοῖνιξ, inquit, ἡμερήσιος τροφή cibus diurnus. capiebantur autem chænice sextarij bini, vt multis Budæus *c* ostendit, & Epiphanius *d* perspicuè tradidit, & si partem exiguam ad binos sextarios adiecit: quam ob rem non est Gaza audiendus, qui pro chœnice, sextarius, vertit apud *e* Theophrastum. Sextarius verò duodecim cyathos continebat. Cyathus, Hesychio auctore, vncias duas, vel, vt Festus significauit, vnciam, & vnciæ paullo minus quam dodrantem: vt videlicet sextario contineantur vnciæ vigintiquattuor cum Hesychio, aut viginti cum Festo: erunt igitur in chœnice vnciæ vel octo vltra quadraginta vel solæ quadraginta. Ex quibus (quod mirari licet, à Budæo prætermissum) quattuor Athenis magni panes conficiebantur (est

b lib.3.dipnos.

c lib.5.de asse.
d lib.de mensuris, & ponderibus.
e lib.8. de hist. plant. c.4,

sermo

sermo de panis materia) octo verò parui, vt Aristophanis enarrator Vespis notauit, ad illa verba τέτταρα εἰς τὴν χοίνικα.

Cibus igitur diurnus, & vulgaris quattuor panes fuere, quorum singuli ex farinæ tritici libra, vel libræ sextantibus quinque conflabantur: à qua ratione parum, aut nihil distat, quod à Catone scriptum est, libro de re rustica. nam ijs, qui in familia villici opus facerent, in singulos menses hyeme dando scribit tritici modios quaternos: modius autem capiebat octo chœnicas: fuere igitur dandæ in mensem duæ chœnices supra triginta: videlicet, in singulos dies chœnix, & libræ fere quadrans: cui mensuræ per æstatem semodium addebat, quo quatuor chœnices continentur, libræ videlicet sedecim, vt scilicet selibram in singulos æstatis dies amplius, quàm hyeme, præberet: rursus compeditis per hyemem dabat pondo quaterna; in dies scilicet; est autem pondo libra. Vbi vineam fodere cæpissent, dabat pondo quina, idest libras quinque: ijs verò, qui minus fatigabantur, villico, villicæ, epistatæ, opilioni modios ternos in menses singulos, vt in dies acciperent libras ternas, & circiter sextantem, vncias, inquam, duas de quadraginta, quibus similia accipimus à Theophrasto, *a* qui athletas sesqui chęnicem absumere solitos a lib. 8. de hist. plan. c. 4.
testatur (quantum compediti apud Catonem, quando fodere vineas cępissent) libras videlicet quinas, boni tamen tritici, quale apud Bœotios nascebatur: namque vbi leuius triticum erat, vt Athenis, ijdem libras octonas & trientem absumebant, οἱ μὲν ἀθληταὶ ἐν τῇ Βοιωτίᾳ τριημιχοίνικα μόλις ἀναλίσκουσιν, ἀθήναζε δὲ ὅταν ἔλθωσι, πενθημιχοίνικα ῥᾳδίως, vbi perperam Gaza pro chęnice sextarium accepit, quia est semichenix sextarius, vt ex dictis antea notum

est,

eſt, itaque illa τριημιχοίνικα, πενθημιχοίνικα vertenda ſunt tres ſextarios, & quinque ſextarios: quamobrem in hac panis ratione viſi ſunt Gręci cum Romanis conuenire.

De pulmenti autem modo, res non eſt tam manifeſta: idem Cato inquit, vbi oleę comeſæ erunt, halecen, & acetum dato, oleum dato in menſes vnicuiq; ſextarium: ſalis vnicuiq; in annos modium ſatis eſt: hæc ait, ex quibus conijcere licet, perquam exiguum huic hominum generi obſoniũ dari ſolitum: oleæ quantum dederit, non expoſuit: in alijs rem aperuit: halecen, & acetum, inquit, dato: halecen hoc loco interpretantur genus piſciculi & uilis, & minuti. at unus halex cum libris quatuor, uel uncijs panis quadraginta conferri uix poteſt: oleum hic non ad lucernas datur: eſt enim ſermo de pulmentario propoſitus: cum autem olei ſextarius in menſes daretur; quod in annos modij dodrãtem implet; id quod pro diurno obſonio dabatur, uix unciæ dodrantem ſuperabat; ſi uidelicet, ſumas cyathum de Heſychij ſententia: alioqui minor adhuc modus fuiſſet; quinque uidelicet drachmarum, & tertiæ partis drachmæ, cum in uncia drachmæ octo contineantur. Sal Græcis quoque erat obſoniũ, ut ex Ariſtophanis Acharnenſibus intelligimus, quando cum cæteris obſonijs ibi recenſetur, ἢ χοιρίδιον, ἢ σκόροδον, ἢ χόνδροις
a lib. 2. de rep. ἁλός, & à Platone *a* in obſoniorum ſuæ reipublicæ ciuibus apponẽdorum numeratur, ὄψον ἕξουσιν ἅλας τε, δηλονότι, καὶ ἐλαίας, καὶ τυρὸν, καὶ βολβοὺς, καὶ
b lib. 15. λάχανα: erat etiam Perſis, ut Strabo *b* teſtatur in-
c lib. 31. c. 7. quiens, ἡ δὲ καθ' ἡμέραν δίαιτα, ἄρτος μετὰ τὸ γυμνάσιον, καὶ μάζα, καὶ κάρδαμον, καὶ ἁλῶν χόνδροις, καὶ κρέα ὀπτὰ, ἢ ἑφθὰ ποτὸν δ' ὕδωρ. de Romanis uerò Plinius, *c* inquit, Varro etiam, pulmentarij uice uſos

vete-

veteres, auctor est: esitasse enim salem cum pane, & caseo, vt prouerbio apparet: hoc autem confirmatur dicta Catonis auctoritate. Sed & Christiani maiores nostri salem cum pane olim ieiunij quibusdam temporibus comedere consueuerunt, quod apud Epiphanium *a* me legisse memini: & nota est Montanistarum hæreticorum Xerophagia ex Tertulliano: qui pane solum, & sale, ac leguminibus vescebātur, & aquam bibebant: dato, igitur, in annum salis modio (vt ait Cato) si ratio dierum ineatur, diurni olei modum, à Catone propositū, salis modus boni ponderis drachma superabit: quæ res minima est, & hūc in modum dici potuit, obsonium cibi fuisse vehiculum, cibiq; nomine panem propriè venisse: quoniam Græci σιτίον, & σῖτον genere neutro cibum vocarunt, σῖτος verò genere masculino frumētum, quasi σιτίον dictum sit, quoniam illius materia est σῖτος, id est, non solum triticum, sed omne frumentaceum, vt Suidas testatur: obsonio tamen omnes non indigebant: est enim tritum, & vulgatissimum illud à Socrate dictum, se obsonare ambulando famem consueuisse: quamobrem concludi potest, veteres illos Romanos, & Græcos existimasse, solidi alimenti pondo quaterna in dies satisfacere posse: & crediderim illos, qui pulmentarijs vberius vescebantur, quantum pulmentarij sumebant, tantum de pane detraxisse: illos scilicet, qui politiorem, & delicatiorem vitam viuebant, vt scilicet pleriq; vel naturæ instinctu, vel peritorum consilio, eam sibi ciborum mensuram præfiniuerint, vt quaternæ in singulos dies libræ confici possent, quasi calor innatus visus sit, posse singulis horis sextantem concoquere, quemadmodum certo spacio, & tempore, certa frumenti mensura pistrino molitur, vt non sit facile, in Cleanthis sententiam

a lib. 3. contra hæreses ad finē. b lib. de ieiunio contra Phychicos.

Obsonium cibi vehiculum.

Σιτίον σῖτον σῖτος.

discedere, qui negabat (vt refert *a* Cicero) vllum esse cibum tam grauem, quin is die, & nocte concoquatur; nam si grauitatem cibi, atque copiam non coniungebat; hoc non erat magnum, ad vim caloris ostendendam, argumentum: quicquid enim sit, quod concoctionem admittat; si sumatur exiguum, & alia, quæ vna sumuntur, pauca similiter existant; non solum die, nocteq; concoqui dixerim, sed nullam quoque habere admirationem: at si multum, & intemperanter, & immodestè; quod non raro fit; ingeratur; multos, opinor, inuenies, qui se die, nocteq; non concoxisse testabuntur.

a lib. 2. de Nat. Deor.

Quod verò dixerim, cibi solidi libras quaternas communem mensuram, quę in dies sumebatur, apud veteres extitisse huic non repugnat *b* Sacrorum librorum auctoritas tradentium, Ezechieli antiquo vati Deum cibi diurni mensuram præscripsisse stateras viginti, quæ mensura, quam libra, minor est; nam singulos stateres semunciam pēdere, auctorem habemus *c* Epiphanium, & *d* Augustinum, præter ea, quæ Budæus notauit libris de asse: hoc, inquam, non aduersatur dictis, quoniam alia est vulgaris ratio, quam illorum, qui pietatis ergo, ad scelerum expiationem, & ad Dei O. M. conciliandam mortalibus voluntatem, & gratiam, parcè, ac duriter viuere debent, & solent, vt dictus vates. Oportet autem accipere, qui libras panis quatuor comedebant, illos obsonio perquam exiguo contentos fuisse, qui multo vescebantur obsonio de dicta panis mensura pro obsonij ratione detraxisse. itaque non obstabit his, quæ posuimus, Galenus de puero epileptico scribens, cui in prandio panis trientem dari præcipiebat, in cęna verò, quod reliquum erat, bessem: vt totus panis libram non superaret. scilicet obsonium liberaliter eidem

b Ezech. c. 4.

c lib. de mens. & ponderib.
d ad psal. 137. to. 8.

dem permittebat & præterea de ægro erat sermo, cuius longè alia est. Si igitur antiquorum in cibo mensurando rationem cum hac, qua nos vtimur, conferre libuerit, illi maximè propinquam reperies: nam passim ita viuitur, vt in singulos conuictus panis libra plus minusve offeratur, carnium verò, aut piscium selibra, siue dodrans: quibus addi solet, quod primò cibo; vt salsamentum, aut legumen, aut olus, aut aliquod frumentaceum ex iure, & id, quod summo cibo sumitur, vt caseus, aut pomum: quæ libras circiter quaternas pendere, si periculum feceris, inuenies. Hæc de cibis.

Sed nec alia potionis ratio videtur esse: nam vini in singulos dies cuiq; dari solent libræ fere quaternę: & qui modestè, & frugaliter viuūt, ter quaterve vno conuictu bibere solent, ac quælibet potio selibram, plus minusve pendet, adeo vt potus fere ciborum mensuram exæquet. Hæc nostrorum vulgata ratio est. Cato capite quinquagesimo octauo de re rustica, alias dandam dicit heminam in dies, scilicet hyeme, absumpta lora: alias sextarium, Vere videlicet, Februario, Martio, Aprili, Maio (vt mihi videbatur) alias sesquisextarium, scilicet quatuor, qui dictos sequuntur, mensibus, in fine quorum vindemia fieri solet; quibus mensibus plus etiam panis, quam ante, præbendum monuit: ex quibus apparet, apud illum potionis modum à ciborum mensura superari: nam, quo tempore plus vini exhibet, vix libras exhibet ternas; cyathum enim si binas vncias cepisse sumas, in sesquisextario (quæ maxima eo loco mensura à Catone posita est) ternæ tantum libræ capi potuere: sed aliquis non malè diceret, sermonem Catoni de meraco esse (nam eo loquitur tempore, cum iam est absumpta lora) cui aquam arbitratu suo ita quisque

miſcuerit, vt potum cibo æqualem reddere potuerit. Itaque locum Catonis non pugnare cum noſtra ſententia; videlicet vt cibi, ita potionis illorum modum noſtro parem extitiſſe.

Sanè Cæſar Auguſtus (quod teſtimonio Suetonij perſpicuum eſt) parcè tum comedere, tum potare conſueuerat: bibebat autem in ſingulos conuictus, ſemiſextarium, aut; ſi liberalius bibere ſtatuiſſet; ſextarium: ſic etiam fercula modo præbebat terna, modo ſena; quo ſcilicet largiorem cibum potus quoque largior diluere poſſet: edere autem ſolebat panem ſecundarium, piſciculos minutos, caſeum bubulum manu preſſum, ficuſq; (ſuo ſcilicet tempore) virides, quæ viuendi ratio non videtur ab ea eſſe diſſimilis, qua noſtri, qui modeſtè, & tẽperanter viuunt, vti ſolent: qui raro vini meracioris plus, quam heminam (ſic poſſet vocari minor hæc menſura, quam *folieta* vocamus) ſæpe minus bibunt in prandia ſingula, atque cęnas: quod ſi edaces, & noſtri ſeculi helluones, atque potores egregij cum antiquis conferendi eſſent, facilè oſtendi poſſet, ne hac quidem laude noſtros à veteribus ſuperari: Olim ego iactantem noui paraſitum, quod in cæna, ſummo cibo, dulciaria id genus, quæ *papardelle* Romæ dicuntur, quingenta comediſſet; quæ ſingulæ ſemunciæ fere pondus habent; ac bibiſſe vini menſuras circiter quinque, quas Romæ *boccali* vocant, quantum duo fere antiquorum congij capiebant. Sed & noui nobilem Germanum Othonis Cardinalis Auguſtani familiarem, qui, cum magnam ſanguinis vim aluo deieciſſet, roganti medico narrauit; cęna ſe heſterna vini boccalos duodecim hauſiſſe, ſcilicet congios fere quaternos: vt Nouellium Tricongium ſuperauerit: nec dubito quin aliquis etiam exiſtat, qui cum Rhodio

Xenagora certare possit, cui cognomen ab amphora, quam totam hauriebat; ἀμφόρεια inditum esse a tradiderunt. Sed fuit inter edaces nobilissima femina; quæ, me hæc prodente, viuebat senex, singulisq; diebus capos pinguissimos binos totos comedebat, & ex cæteris edulijs (regio more instructa mensa) partem bonam absumebat. Verum, cur eadem non debet esse, tum cibi, tum potionis mensura hisce postremis, quam prioribus illis temporibus fuisse legimus, siue moderatos, & continentes, siue contra incontinentes homines respexeris? nonne genus hominum est idem, & natura eadem? proculdubio eadem figura, & magnitudine, eisdemq; præditos facultatibus stomachos fabricatur natura: quamobrem vt eadem, qua priscis temporibus, necessitate ad famis, sitisq; remedià adducimur, ita eadem mensura expleri naturaliter possumus. Neque antiquiora secula accusanda magis sunt, quã nostra, quod apud vetustos auctores, crapulæ, & ebrietatis mentio fiat; quoniam hodie quoque sunt gentes, quibus maximè familiaris ebrietas est, quæq; vetusto Scytharum more meracum immodicè potant.

a Aelianus lib. variæ histor. 12.

Qua mensura cibus, & potus sit sumendus. Cap. XIX.

CVM ergo par videatur cibi, & potionis modus noster, & antiquorum, quid agat is, qui est de sanitate solicitus? non ille quidem Græcos imitabitur; quos Lacedæmonijs Xenophon b comparabat; debere quemq; comedere, & bibere, quantum capere venter possit: quod Lycurgus, cum bonæ valetudini aduersari, animaduertit, tum vitæ muneribus obeun-

b lib. de rep. lacedæmon.

ōbeundis impedimento esse, quæ vel ieiunum, vel cibo moderato refectum hominem requirunt: itaque Lycurgus instituit, Lacedæmonij vt cibi tantum capere assuescerent, quantum satis quidem esset, ne vacui forent, sed vt ex repletione onus euaderent, atque, si necessitas posceret, ieiuni possent in laboribus esse, & famem diutius ferre: non erit igitur venter mensura cibi, potusq; censenda: sed nec de statera, seu lance sumendus cibus est; etsi non defuerit, qui nostro seculo id fecerit: nec demensum; vel ex peno patrisfamilias, vel aliunde præstitum; totum absumēdum semper est, vel ei non est aliquid vnquam adijciendum, veluti sibi par, & adamussim æquale existeret: sed crassa quadam Minerua debet quisque sibi mensuram, vt deinceps explicabitur, ex ipso sensu præscribere: quæ non eadem potest esse, nec debet, sed alia, atque alia pro temporis ratione, locorum natura, ciborum genere, exercitationibus, & laboribus: æstate enim pleriq; solent de cibo demere, & potioni adiungere, hyeme verò e contrario: quod etiam medicinæ auctores salutare esse docuerunt; & quamquam Cato familiæ villici hyeme paullo minus cibi docuit præbendum, quam æstate; scripsit tamen, vini plus dandum æstate, quam hyeme: sed ille; quod ad cibum attinet; de operis loquebatur, & ijs hominibus, qui per æstatem plus necessariò laborant; de quibus *a* Hesiodus quoque, ἀφαυρότατοι δέ τε ἄνδρες εἰσὶν, ἐπεὶ κεφαλὴν, καὶ γούνατα σείριος ἄζει. αὐαλέως δέ τε χρὼς ὑπὸ καύματος: compeditis, Cato inquit, per hyemem pondo quatuor, vbi vineam fodere cœperint, pondo quinque: hæc ille. at medici de viuendi ratione, & sanitate tuenda ad eos maximè scribebant, qui vitā hanc vmbratilem exercent: palæstra enim, frictio, deambulationes matuti-

a Opera & dies.

næ,

næ,& vespertinæ, lauacra, Lunam, Solemq; vitare, frigora ante ortum,& post solis occasum, auras fluminum, & stagnorũ cauere, & alia huiusmodi, non possunt rusticis, & alijs id genus hominibus; qui quotidiano labore victum quæritant, absque risu proponi. Sed hoc obiter.

Illud ad hunc locum pertinet, casus varios occurrere, quamobrem certa ciborum & potionis mensura, cuiq; congrua, definiri non potest: sed necesse est, in re præsenti vel addendi, vel demendi consilium capere: nam, vt Hippocrates libro tertio de diæta dicebat, πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα. πρῶτον μὲν αἱ πύσιες τῶν ἀνθρώπων διάφοροι ἐοῦσαι, ἔπειτα καὶ αἱ ἡλικίαι, μὴ τῶν αὐτῶν δεόμεναι. ἔτι δὲ καὶ τῶν χωρίων αἱ θέσιες, καὶ τῶν πνευμάτων αἱ μεταβολαὶ, τῶν τε ὡρέων αἱ μεταστάσιες, καὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ αἱ καταστάσιες, αὐτῶν τε τῶν σιτῶν πολλὴ διαφορὰ, id est, etenim multa prohibent, primum quidẽ dissimiles hominũ naturæ, postea & ætates, non eisdem rebus egentes: amplius verò & locorum situs, & flatuum mutationes,& temporum transmutationes,& anni constitutiones, & ciborum ipsorum varietas plurima: hæc, inquam, impedimento sunt, ne certam generatim mensuram statuere possimus: itaque in singulis se debet medicus exercere, &, quantum vnicuiq; dandum sit, non ex libræ lance, sed ex hominis sensu conijcere, quemadmodum optimus auctor Hippocrates admonuit, cuius illa sunt libro de veteri medicina, μέτρον δὲ (οὐδὲ σταθμὸν, οὐδὲ ἀριθμὸν οὐδένα ἄλλον) πρὸς ὃ ἀναφέρων εἴσῃ τὸ ἀκριβὲς, οὐκ ἂν εὑρσίης ἄλλο, ἢ τοῦ σώματος τὴν αἴσθησιν: quod est, mensuram autem (neque pondus, neque numerum vllum) ad quã referens id agnoscas, quod quadrat, non inuenies aliã, quã corporis sensum: quamobrem *a* alibi do-

a lib. 1. & 3. de diæta.

docuit, fieri non posse, vt absenti cibi, ac labores congruè præscribantur, μὴ παρεόντι δὲ ἀδηνύχτῳ ὑποθέσθαι ἐς ἀκριβείην σῖτα, καὶ πόνοις, nec aliud voluit, a cum dixit, τὰ βρώματα, καὶ τὰ πόματα πείρης δεῖ, εἰ ἐπὶ τὸ ἴσον μένει: cibi, & potus experientia egent, si in æqualitate maneant: quid hoc enim est, nisi, sensus testimonio opus esse, vt sciamus, vtrum cibus, & potus congruè sumatur?

a lib. 2. epidem.

Nautæ similis medicus.

Sed est sanitatis tuendæ studiosus perito nautæ per quam similis, qui pacato & tranquillo mari cursum, quem cœperit, prosequitur: sed vbi signum aliquod tempestatis animaduerterit, vbi Euri, Noti ve minas, aut Africi terrorem præsenserit, mutatis subito velis, aliam nauigandi rationem instituit, & procellæ periculum mature declinat: quamobrem notissima illi oportet esse futurarum tempestatum indicia: huic igitur similis quisque debet esse, qui vel suam, vel aliorum sanitatē tuendam susceperit: quamdiu enim aliquis sanus est, & valetudine fruitur integra, nec vsquam interrupta, tamdiu putandum est, iusta illum & sibi congrua cibi, potusq; vti mensura, nullaq; egere vel subtractione, vel adiectione: at nota illi esse debent, atque perspecta morborum signa futurorum: qui, cum à nimia alimenti copia ortum ducant, de suo nos aduentu tantum, ante quam adueniant, signis commonefaciunt, vt illos liceat, mutata vitæ ratione, plerumq; euadere, & declinare: hoc autem est, quod à se Hippocrates inuentum scribere veritus non est libris de diæta: vbi, cum negauerit, posse ciborum, & laborum mensuram inueniri, quę cuiusq; hominis naturę tam apte conueniat, quin necesse sit, spatio, & tempore (etsi minima in dies accessio fiat) aliquid abundare, quamobrem morbi nascuntur; asserit quoque à se inuentam rationem,

tionem, qua imminentes, ante quam fiant, morbi cognoſcuntur: quam rationem libro primo propoſitam, tertio explicauit, vt in meis quibuſdam ad Hippocratem notis expoſui: ex eo igitur Hippocratis loco morborum ſigna imminentium; quos facit alimenti copia, & repletio; operę pretium eſt compendio hic recenſere.

De ſignis repletionis. *Cap. XX.*

CVM enim quæſitum ſit, qua menſura cibi, ac potus ſumendi ſint; nec vlla communis menſura omnibus congrua reperiatur, ſed obſeruandum ſit, quid cuique obſit, vel proſit, ita vt, ante quam fiant, cauere morbos poſſimus: quibus hæc ſigna comperta erunt, his etiam quæ menſura quæritur, perſpecta erit, & cognita: cum his autem, quæ Hippocrates docuit, nonnulla à poſteris obſeruata memorabo, maximè verò, quæ Alexander Petronius ſcripſit libro quinto de victu Romanorum; nam quæ idem libro quarto retulit, ex ipſius Hippocratis libro tertio de dięta deſcripta eſſe animaduerti; & ne videar ſine ſymbola ad has epulas acceſſiſſe, vt abundantius huic parti ſatisfiat, non omittam, quæ me quoque rerum vſus edocuit. Quemadmodum igitur tempeſtatum præſagia alia ex ſole, alia ex luna; alia ex reliquis ſtellis petuntur, alia in aere apparent, alia in aquis, alia ex terra ſunt; ita futurorum morborum, ex ciborum repletione, indicia digeſſi, vt alia ex capitis partibus petenda ſint, alia ex thorace, & ventre, alia ex partibus extremis, alia ex his, quę corpori vniuerſo contingunt. Signorum repletionis diſtinctio.

Vbi itaque ſanus aliquis tempore multo bis, terve ſingulis diebus, vel ſæpius, aut rarius, ſed pro eius

consuetudine, comederit, atque potauerit, & alioqui nihil incommodi sentiat; nec alia adsit externa morbi causa, se laborare expletione, suspicari debet, cum capitis dolorem aliquem sentiet, aut turbationem, pondusve, seu punctiones: cum pustulas inter capillos obortas animaduerteret: cum pruritus in fronte aderit, vel quasi puluis: cum mordebuntur oculi, vel lacrimabuntur, vel humore tenui, multoq; madescent, cum quasi puluerem aut lapillos in illis sentiet: cum ijdem bibendo intumescere, & lacrimas fundere, cum splendores ante ipsos (μαρμάρυγας Græci vocant) versari videbuntur: cum rerum obiectarum duplicatæ imagines apparent: idem quoque suspicari oportet, si palpebræ graues sint, si ex tactu in oculis ipsis dolor sentiatur, si lippitudo oriatur, si vertigo, si somni turbulenti, longiores solito, iucundiores, grauiores, intempestiui: item si conuiuia, & escas somniet, præsertim ficus, & vuas, sed & carniũ esum, & cibi cuiuscumq;, aut alias absurda, vel nefaria visa occurrant; vt in cæno volutari, aquis mergi, cadauera inspicere: alioqui notauit Hippocrates, *a* consuetos cibos, & potus per somnum oblatos inopiam alimenti significare, & animæ tristitiam, τὴν ἔνδειαν τροφῆς, καὶ ψυχῆς ἀθυμίην: sed rebus magis, quam auctoribus credendum videtur: sanè sicuti inediam passo consueta in somnis esca cernatur, hoc inediæ tribuendum est, si saturo eadem occurrat, expletionis est signum certissimum.

Signa repletionis ex capitis partibus.

a lib. de insomnijs.

Nec aliud conijciendum est, cum nares alicui plenæ videntur, nihil tamen potest emungere, cũ etiam sternutat frequenter, cum morsus in eisdem sentit cum mucus plurimus descendit, cum fumi odor, qui non extat, sentitur, aut alius quiuis odor similiter repræsentatur: etenim hoc imaginum genus, cum ex-

trinsecus

trinſecus non accedat, vt fieri ſecũdum naturam deberet, internam originem habeat, oportet, à qua naturalem præter rationem ſenſus moueatur: hoc verò in homine, qui alioqui ſanus ponitur non aliunde, quam ab humore ſuperfluo, ac corrupto, fit, quem alimenti vbertas nimia producit: quæ res efficit etiã, vt ab alijs ſenſibus falſo de rebus iudicium fiat, vt de oculis quoque dictum eſt: ſic etiam Aurium ſonus ſatietatem portendit, & cum quiddam audire putamus, atque ſi vel muſca, vel auicula præteruolaret, aut fluuius laberetur; aut cantum, & modulationem audire videmur item ortæ in auricula puſtulæ, & vlcuſcula: adhæc oris ſiccitas, amaritudo, dulcedo, ſapor alienus extra cibi tẽpus, ciborum, & potionum ſapores de more non ſentiri; aut quia ſine ſapore cibi videantur, aut habere non ſuum; ſaporem item cibi, aut vini inter edendum mutari, & iucundum minus eſſe, quam comeſtionis initio, docet cibi modũ, & potus ſuperari: inſuper lingua albis ſordibus illita, vel pallidis, vel coloris cuiuſuis, qui alienus ſit, idem docet. Oſcitatio quoque frequens eodem pertinet. Dentium item ſtridor cum horrore poſt exercitium: & eorundem quaſi dolor cibi initio, atque cum mutuo conſtringuntur, ſi quaſi in gingiuas cereas inſerti videantur. Saliua, rurſus, ſalſa, aquoſa, multa, valdeq; dulcis. Sputa multa, craſſa, lenta, & pituitoſa, vel ſtatim ante, vel poſt cibum: labiorum adſtrictio, perinde ac ſi quis meſpila, vel acerbum aliquid eiuſmodi comediſſet: tumefactio quoque eorumdem, quapropter inter comedendum à dentibus mordentur. vlcuſcula modo in palato, modo in lingua, modo in labijs, modo in hac, modo in alia oris parte: item faucium aſperitas, tonſillarum, & vuæ tumor, & inflammatio: faciei pallor inſolitus, & puſtulæ à

latinis dictæ vari, à Græcis ἴονθοι: insuper colli dolor, tumor, grauitas, rigor, qui mobilitatem eius, & conuersionem impediat.

Signa expletionis ex thorace.

Eadem coniectura sumitur ex dolore, & morsu costarum in sinistro præsertim latere: sumitur quoque ex mammis, si videlicet iusto pleniores fuerint in feminis; quod tamen & in maribus quibusdam notatur: ex voce, cum subrauca est, & debilior, quam consueuerit: & tussi, quæ inter edendum inanis oriri solet, quæq; irritatur sputo intra fauces, qua hora cubitum itur: hoc idem nuntiat repentina, tenuisq; destillatio vel interdiu, vel noctu, vel in somno, vel in vigilia, à sumpto cibo quarta hora, vel quinta, quæ destillatio fere hominem strangulat, & tussim inducit molestam: eodem quoque densa spiratio pertinet, atque difficilis, quæ tamen in potione potius erratum, quam in cibo *a* Hippocrati significat: fœdus etiam spiritus notandus, vel acidus, vel fœtens: fœtet adultis ob dentium quandoq; putorem, qui si non adsit: expletionem adesse intelligimus: itaque *b* legimus, Parthos, ob indiscretos cibos spiritus fœditati obnoxios: huic molestiæ mali Assyrij grano mederi: cuius vice in eundem finem fœniculi semen nobis est: acidus spiritus frequens puerulis est, quod vulgo vermium esse signum existimatur, sed est in adultis quoque cruditatis, vel repletionis indicium, à qua tamen vermes nasci solent.

a lib. 2. prædictionum. προῤ

b Plinius li. 11. c. 53.

Signa repletionis ex ventre.

Expletionis illa quoque signa sunt, satietas, nausea, ciborum fastidium, inappetentia, grauitas, & durities circa ventriculum; quamobrem aliqui, se veluti panem integrum in eo habere, existimant; fames intempestiua cum stomachi grauitate: sitim non habere, cum quis multum comedit, aut sitire plurimum, panis solitam mensuram admittere non posse,

etsi

etsi non abhorreat, potum quoque consuetum haustu continuo, de more, sumere non valere: ructus acidi, fœtidi, nidorosi, crudi, frequentes: singultus, punctiones circa ventriculum, & in eodem flatus molestus quidam instar nodi, vt aliquibus videtur: sonus etiam, & veluti murmur, etsi Menæchmus ille Plautinus inanitatis hoc esse signum arbitrabatur, cum medico roganti, en vnquam intestina tibi crepant, quod sentias? respondebat, vbi satur sum nulla crepitant: quando esurio crepant. Notæ quoque expletionis sunt, ventris post cibum tum grauitas, quæ dicta est, tum inflatio, item tormina, & dolor: insuper deiectio subita, tenuis, & aquosa, quę fit simul atque aliquis expergiscitur: deiectio rursus liquida, cruda, multa, frequens, alba, fœtida, quæ tamen dolorem non afferat: sed insolita ventris constrictio expletionem sequitur, præterea crepitus crebri, fætentes, sulphur olentes, & insoliti: mictio quoque solito frequentior, vel præter morem cohibita: urina item tenuis, decolor nimis crassa, albaq; & calida, & quæ ueluti pungit: accedit: his lumborum insolita grauitas: manuum calor, & pedum (id ex hepatis calore inani opinione iactitant) pustulæ scabiei instar in manibus, & exiguæ uesicæ succo tenui refertæ: pedum fętor, & humor: manuum rursus grauitas, & quasi torpor, & crassitudinis sensus, quamobrem non facilè clauduntur: genuum etiam grauitas, & tibiarum: eodem quoque pertinet totius corporis dolor, & grauitas, item lassitudo, horror post exercitia, pruritus, salsas sentiri carnes, si qui suas delingat: lectum quoque præter morem durum uideri, emaciari sine morbo, membra oscitanter extendere, uirosum esse, seu hircum olere: quamobrem à Plinio *a* Persæ dicti sunt, madere unguento soliti, ut odoris commendatione

Signa ab extremis partibus sumpta.

Signa ex his sumpta, quæ toti corpori contingunt.

a lib. 13. c. 1.

tione

tione virus ingluuie natum extinguerent. Demum expletionem adesse docet mæror, & iracundia, cum sine causa, vel leuissima de causa hominem afficiunt.

Hęc signa sunt, quibus intelligere est, debitam cibi, & potionis mensuram non seruari, sed plus, quam opus sit, nutrimenti sumi: quæ tamen signa cum non sint omnia expectanda, neminem etiam esse existimo tam ignarum, qui hoc cogitet: nam vel ex his vnum satis nos potest de periculo commonefacere, quod si fortè nota ex his aliqua inediam sequetur manifestam, tunc econtrario censendum est: nec vanum videri debet, quod causas contrarias ijdem effectus consequi dicantur: nam Hippocrates hoc non de conuulsione, & singultu solum asseruit; cum sexta *a* aphorismorum sectione vtrumq; vel à repletione, vel ab exinanitione fieri asseruit; sed in doloribus, morbis, & curationibus, libro de locis in homine, hoc pro naturarum varietate passim euenire, copiosa oratione declarauit: si igitur ex dictis aliqua signis inediam nonnumquam sequentur; vt alias demere de cibo, & potu debemus, ita tunc adijcere oportebit: at rarissimum est, vt hæc inediam sequantur: itaque sæpius subtractioni studemus, quam adiectioni, vt rectè ab Hippocrate *b* scriptum est, *πολλῷ δ' ἧσσον ἐπὶ τὴν πρόσθεσιν ἰτέον: ἐπεὶ τὴν γ' ἀφαίρεσιν ὅλως ἀφελεῖν πολλαχοῦ λυσιτελέει*, & ideo aduersus repletionem multo sermone contendimus: & quamuis alia ætas alium cibi, & potus modum exposcat, sitq; habenda ratio consuetudinis, tempestatum, & regionum: hæc signa tamen communia sunt, & his ipsis, satietatem hominis cuiusvis, quocumq; loco, & tempore intelligere licet: propterea quoque non immeritò *c* Galenus admonuit, cibi & potus mediocritatem circumscribi concoctionis perfectione,

a aph. 39.

b lib. 2. de rat. vict. in acut.

c lib. art. med. c. 85.

fectione, & excrementorum symmetria, mensuræ certę atque ponderis mentione penitus neglecta. quę sententia est summæ instar omnium, quæ hac de re hucusqne disseruimus.

Vtrum cœna an prandium leuius esse debeat. Cap. XX.

CVm iam autem exposuerim, vtilius esse prandere, quam dumtaxat cęnare, & omnino præstare, bis, vel sæpius, modicè tamen, quam semel die cibum, capere; cumque non pauci sint, qui si fortè paullo vberius pransi fuerint, cœnare parcius coguntur; immo sint, quos necesse est perpetuò semel tantum die abundè comedere; hinc orta quæstio est, quę multos fatigauit, vtrum leuior esse cœna debeat, an prandium: in qua integris, & longis commentarijs aliqui laborarunt, alij contra parce, ac tenuiter nimium illam attigere. eam igitur, ne quid omittam, quod huic negocio conueniat, ita tractabo, vt mediam ineundo rationem, & nihil, quod necessarium videatur, omittendo, strictim, & omni morosa oratione (quoad fieri poterit) præcisa, & dimissa, rem totam sim amplexurus. Quoniam autem alia videtur beneualentium ratio habenda esse, quam ægrotantium, propterea seorsim vtraq; perpendi, & examinari consueuit. Quod igitur ad sanos attinet, ita statuendum videbatur: cęnam prandio pleniorem facilius ferri; & tutius admitti: est enim maximè secundum naturam, vt cibum somnus excipiat, non vespere tantum seu nocte, verum in meridie quoque, & ante, immo cibus non ideo solum vtilis est, & necessarius, vt nutriat, sed etiam vt somnum, vitæ non *Quid sanis conueniat.*

minus,

minus, quam alimentum necessarium, accersat, atque conciliet: cui verò nox etiam non videatur quieti animalium, somnoq; condita? Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem. Corpora per terras, syluæq;, & sæua quierant Aequora: cum medio voluuntur sidera lapsu: Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæq; volucres, Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis Rura tenent, somno positæ sub rupe silenti, Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Nec existimandum est; frustra naturam rerum cibis tantam ad conciliandum somnum vim tribuisse, & nos tam pronos in somnum cibis ingestis, atque sumus, effecisse: & quamquam sui ortus initio interdiu æque, atque noctu homines dormiant, ideo tamen geniti sunt, vt, cum iustum corpori incremẽtum accesserit; & virium robur; interdiu vitæ necessarijs inquirendis studeant, & laborent, nocte verò conquiescant, & somno recreentur: videtur itaque mihi maximè secundum naturam esse, tunc plus cibi sumere, cum licet etiam magis somno indulgere: quod nocte fit: sic & Hippocrates *a* hieme, & vere vberius nutriendum notauit, quoniam ijs temporibus somni sunt longissimi, & ventres calidissimi, & alibi *b* diem anno ita comparauit, vt Galenus *c* expresserit, hiemem nocti similem esse: sic etiam athletæ, vt multum comedebant, ita multum somno indulgebant, nisi nos Plato fallit, qui libro tertio de republica scribit, habitum athletarum somnolentum esse, & athletas vitam dormire, & Galenus libro primo *d* de facultatibus alimentorum, inquit, quod eorum plerique, qui laboribus se conficerunt, à prauis cibis minus lædantur, ea causa est, quod ijs somni sint profundiores, quæ res ad coctiones multum ipsis adfert

a 1. aph. 13.

b lib. 2. epi. sect. 1. & 6. epid. sect. 1.

c ad lib. 6. epid. com. 1. t. 25.

d Cap. 2.

mo-

momenti: itaque vt meridianum somnum, tãquam naturæ aduersarium, damnamus, aut certè nonnisi breuissimum condonamus, ita cibum meridianum (nisi laborum, & consuetudinis ratio habenda sit) aut vitare penitus, aut leuissimum accipere debere- mus: non id tamen damno, quod ante probaui, hoc est, sæpe die cibum sumere, sed vim perpendo, quam somnus habet: est enim tanta, vt, si cui vigilandum, & lucubrandum sit, ille nequeat id sine periculo fa- cere, nisi cibo, potuiq; consueto aliquid demat: non tamen debet penitus abstinere, nam sine somno quo- que cibus est necessarius.

Prandendum quidem igitur, vel liberaliter, non tamen intemperanter: sed vbi casus ferat, vt prandio cęna impar futura sit, vberius cęnãdum probo: quia naturalis magis somnus est nocte post cęnam, quam à prandio circa meridiem, indeq; factum est, vt om- ni fere seculo multi extiterint, qui semel die cibum capere coacti, vt ante dixi, cœnam potius sibi dele- gere, quam prandium; quamobrem in communi quoque sermone, tam apud Græcos, quàm apud la- tinos, receptum est, vt, qui diceretur semel die come- dere, ille cęnare intelligeretur: ideo legitur apud Hip pocratem, *a ἄριστον τἀναντία διαπρήσσεται τῇ μο- νοσιτίῃ*: prandium contraria facit, quàm cum semel a lib. 2. de diæ- ta. estur: scilicet, qui semel comedit, non prandet, qui prandet, non semel comedit, nam cęnare quoque in- telligitur, & rursus *b* inquit, *μονοσιτίῃσι χρὴ διάγειν*, b lib. 3. de diæ- ta. idest, semel die cibum capere expedit: id verò si fieri non possit *μικρὸν ἀριστῆν*, modicè prandere, ergo, qui prandere dicebatur, is non semel die comedere intel- ligebatur: & qui semel dicebatur comedere, hunc prandio abstinuisse significarũt: quem loquendi mo- dum Celsus *c* quoque vsurpauit, inquiens, hieme c lib. 1. c. 3.

conuenit, semel die cibum capere: si prandet aliquis, vtilius, & exiguum aliquid sumere: vsurparũt etiam sancti doctores multi, vt Ambrosius, *a* inquiens, qualis Christianus es, cum Domino ieiunante tu prandes? & Augustinus, *b* inquiens, nullus prandere præsumat, nisi fortè ille, quem ieiunare infirmitas non permittit.

a Ser. 34.

b Serm. 62. de tempore.

Fuit autem vetus consuetudo, vt qui ieiunabant, vespere tantum reficerentur, non Iudæorum tãtum, quos vsque ad vesperum ieiunasse passim in sacris legimus voluminibus, vt ante quoque notatum est; quam consuetudinem Saracenos, ac Turcas imitatos nouimus; Sed maiorum etiam nostrorum, qui ieiuniorum tempore, aut solis occasum exspectabãt, aut certè non ante nonam, cibum sumere audebant, quamobrem aliqui ieiunium dixerunt, prandij subtractionem esse, quoniam cum ieiunium celebrabatur, cęnare dumtaxat licebat, hoc est ad vesperum comedere; quamuis nostro seculo cęna in prandium mutata videatur; multi igitur sic assueuere, vt dumtaxat cęnarent: erant tamen multo plures, qui bis, & sępius die comedebant, vt superius ostendi. sed, qui semel, fuerunt semper aliquo insigni numero, & hi ex præcipuis, qui vel litteris operam dabant, vel in Reipublicę administratione, & negocijs forensibus, & aulicis plurimum distinebantur: quorum causa sępius, quàm ob reliquum vulgus, existimo medicæ artis peritos de ratione tuendæ valetudinis locutos esse, & commentarios exarasse. vt verò non negauerim, aliquos, vel absque incommodo, aut dumtaxat pransos, omissa penitus cęna, aut pransos vberius, quam cęnatos; vt sæpe videmus, & salutare quoque esse experimur; crediderim tamen, hoc pauciorum fuisse, atque ideo illam inualuisse loquendi consuetudinem,

tudinem, vt μονοσιτεῖν Græci, semel cibum capere Latini de ijs priuatim dicerent, qui, prandio omisso, vesperi tantum vescebantur.

Neminem verò noui, qui si paullo modum excessisset prandendo, non se deterius habuisset ex corporis grauitate, & segnitie, quæ satietatem sequi solet, dum, ob id, minus est ad cætera vitæ munia idoneus redditus, quàm si pari mensura cęnando solum se expleuisset: quoniam quies, & somnus, qui sequitur, maximam illius molestiæ, quam satietas parere solet, partem aufert, sedatque: contra verò multi, maligno in rebus gerendis commodo, vel toto die abstinent, vel modicum in prandio sumunt, quod ego quoque pari cum bonæ valetudinis, tum studiorum fructu, sæpe sum expertus: confirmatur hæc sententia Hippocratis *a* illa auctoritate, cuius ante, in aliũ tamen finem, mentionem feci, quem locum Celsus *b* interpretatus est, inquiens, hyeme plus esse conuenit: semel die cibum capere, nisi, si nimis venter astrictus est; si prandet aliquis, vtilius est exiguum aliquid sumerere; hieme igitur constat, hos auctores probasse cęnam prandio vberiorem: æstate verò & potione, & cibo, inquit idem, sæpius corpus eget: ideo prandere quoque commodum est, prandium verò ait Hippocrates (hoc enim Celsus omisit) exiguum esto: de cęna relinquens in medio, vt intelligamus, debere copiosiorem esse, quàm prandium, etsi tunc parciorem, quàm hieme, nam æstate omnino paucioribus vesci oportere, affirmauit. hoc quoque significauit libro acutorum docens, mane sorbitione vtendum, vespere autem ad cibos transeundum.

a lib. 3. de diæta.

b lib. 1. c. 3.

Galenus etiam, se ita sentire, docuit, cum libro *c* methodi septimo in secunda esca valentius alimentum dandum asseruit, ob quietem, somnumq;, quo

c c. 6.

excipitur cęna, & ob longitudinem temporis: quod etſi de ægris ab eo dicitur, de ſanis tamen eſt etiam intelligendum, cum quia eædem cauſæ in ſanis locum habent, tum quia Galenus hoc approbauit athletarum exemplo, qui, cum ſani eſſent, in cęna valentioribus veſcebantur, ſcilicet, in prandio ſolũ panem, in cęna verò etiam carnem comedebant, vt idem

a 1. acutor. 18. ait *a* ad libros Hippocratis de ratione victus morborum acutorum, qui ſignificauit quoque, libro ſex-

b cap. 7. to *b* de ſanitate tuenda, ſe; vbi prandendum eſſet; propterea quod ſerius ſibi cęnandum foret; ſolum panem ſumpſiſſe: vt ſuo quoque nos exemplo doceret, parcius prandendum eſſe: quam ſentẽtiam quoque dilucidius explicatam legimus libro de diſſolutione continui, ſiue Galeni ſit genuinus, ſiue adſcri-

c lib. 1. fæn. 3. doc. 3. c. 2. ptius. Auicenna; *c* ſenum viuendi rationem explicans, & Galenum vel imitans, vel interpretans, cum dixit illos debere ter die comedere; cęnam debere ampliorem ſumi, perſpicuè aſſeruit: ſi fuerint fortes, inquit, in cęna ſua augmentum paruum faciant, ſcri-

d cap. 100. pſit autem Galenus libro *d* artis medicæ, ſenibus conuenire τὸ ἀναληπτικὸν, καὶ ἀναθρεπτικόν, in hoc autem firmioris materiæ cibos in cęna ſumendos,

e cap. 6. idem docet libro *e* methodi ſeptimo: vtrum verò cęna vtilior ſit ob eandem cauſam, quamobrem Daph

f circa initium lib. 7. nus ille Epheſius medicus ab Athenæo *f* inducitur, cęnas nocturnas collaudare; quia ſcilicet concoctio ab illo putrefactio dicebatur, lunaq; vim habere putrefaciendi, & nocte dominari; non eſt in præſentia quærendum; cum ijs Galenus contradixerit, qui concoctionem eſſe putrefactionem exiſtimarunt; nam quamobrem cęna vberior prandio eſſe debeat, cauſas alias ſatis (vt arbitror) idoneas ante retuli.

Argu-

Argumenta, quibus vberius prandium probatur, quam cœna. *Cap. XXII.*

QVae verò huic ſententiæ aduerſantur, hæc ferè ſunt. Cum enim contrariæ quoque opinionis auctoribus viſum ſit, tunc vberiorem cibum homini conuenire, quando melius ille confici poteſt; quod hi nocte ſomni vi, atque ope effici ſumpſerunt, illi interdiu ſolis auxilio, & motus, ſeu laboris, & exercitationis, fęlicius fieri, ſibi perſuaſerunt: & exiſtimarunt, noctem crudis potius humoribus, quam cibis concoquendis idoneam eſſe: & dixerunt, eſſe animalia, quæ manifeſtè per hyemem cibis parcendo nos doceant, hyemale, & nocturnum frigus concoctioni impedimento eſſe: nec deeſſe homines, qui æſtate melius, quam hyeme concoquunt: quod monet, credendum etiam, illos interdiu, quam noctu. melius concoquere, & quia dictum eſt ab Hippocrate, *a* vbi fames, laborandum non eſſe; quia interdiu ſolemus omnes in laboribus eſſe, ideo debemus in fame non eſſe, & tum ieiunare, cum vacare à laboribus licet. crediderunt etiam Galeno id placuiſſe, quoniam libro *b* quinto de ſanitate tuenda, narrauit, Telephum Grammaticum, & Antiochum medicum hac viuendi ratione, qua in prandio plus aſſumebant, ad vitam producendam, & ſanitatem ſuſtentandam, plurimum profeciſſe. quibus accedit Salernitanorum auctoritas medicorum, qui libello ad Regem Anglum hæc habent: Ex magna cęna ſtomaco fit maxima pęna, vt ſis nocte leuis, ſit tibi cęna breuis: & aliqui auctorem Ariſtotelem *c* prædicant, qui cęnandum parcius,

[Margin notes: 1. arg. — 2. arg. Opinio concilia toris diff. 131. — 3. arg. — 4. arg. — 5. arg. — a 2. aph. 16. — 6. arg. — b cap. 7. — 7. arg. — 8. arg. — c 3. probl. ij.]

Responsio ad arg. ad prim.

cius, docuerit. hæc ex aduerso feruntur: in quibus tamen nullam vim inesse, facilè ostendam: nam, quantum ad solem attinet, & motum, non equidem negauerim, vt moderato solis calore, ita labore pariter moderato natiuum hominis calidum aliquo pacto roborari: dico tamen, non ita roborari, vt propterea ad concoquendum aptius euadat: tunc enim fortius concoquit, cum maiore vi stomacho circunfunditur, quod sibi à sole, & labore euenire non potest: ab his enim ad extimas parteis reuocatur, vt rubor, & sudor; quem sol, & labor facillimè excitant; perbelle ostendit: & necesse est ita fieri, quoniam sensus in extimis partibus positi sunt: quapropter, cum se facultas sentiendi exercet; cum videlicet vigilamus; quod interdiu naturaliter fit; necesse est, calidum innatũ, quo sine sensus nullus exerceri potest: quando ipsum calorem audire, & videre Hippocrates *a* asseruit, hoc est animam caloris ope præcipua: ita enim licet cum Galeno *b* interpretari, qui primum naturæ instrumentũ calorem vocat (vt omittamus *c* interim Aristotelis documenta) ob hanc, inquam, causam, calidum natiuum necesse est, interdiu, & in vigilibus foras spectare; cum contra in somno in profundum vergat, quod sæpe Galenus *d* tradidit: & licet in somnis etiam sæpe sudor oriatur; nihilominus tamen; quoniam sentiendi vis non exercetur, tunc etiam maiore intus conatu, quam foris, calor operatur: itaque nec in labore, nec in sole ea vis est, quæ calorem ad concoquendum magis possit, quam somnus, promouere.

a lib. de carnib.

b lib. 14. de vsu partium. c. 6.

c lib. 2. de anima. tex. 130. lib. 9. de part. an. c. 7.

d lib. de vsu pulsuum c. 7. in lib. 6. de mor. vulg. com. 5. tit. 10.

Ad secundum.

Neque distinguenda sunt concoctionis tempora vt dies cibis, nox humoribus crudis præficiatur: cum enim naturalia opera omnia vnum opificem habeãt calorem insitum, huic nulla vis est intelligendi, aut discer-

discernendi, vel, si dicendum foret (quia hoc *a* Hip- a lib. de carnib.
pocrates dixit) intelligere, & discernere; nulla est vis
seipsum ita cohibendi, & temperandi, vt hoc attin-
gat, ab illo verò abstineat, sed necessariò, quidquid
in corpore est, promiscuè calefacit, & calefaciendo,
res omnes ad vsum, ad quem factæ sunt, quocumq;
tempore promouet: &, quemadmodum eodem sole,
vel (vt canit poeta) Limus vt hic durescit, & hæc vt
cera liquescit vno eodemq; igni, sic vno eodemq;
animantium calore eodem tempore cibi, & humo-
res concoquuntur: & Galenus *b* docet, calorem na- b lib. de vsu pul
tiuum in somno non minus cibos, quam humores suum. c. 7.
concoquere, vt cum libro de *c* vsu pulsuum ait, in c c. 7.
somnis calorem natiuum intro magis, quam foras
delatum, & ob id multum circa viscera collectum,
atque circa ventrem cibos, & succos concoquentem;
& reliqua, quo loco cibos, & succos χυμοὺς καὶ τὰ
σιτία ex æquo nominat: immo somnum nonnun-
quam dicit concoctioni ciborum conducere, succo-
rum omissa mentione, vt libro tertio *d* de causis pul- d c. 10.
suum, vbi inquit, somnus incidit, cum natiuus calor
ad alimentum se conuertit, τῆς ἐμφύτου θερμασίας
πρὸς τὴν τροφὴν ἐπιστραφείσης: sic & libro secundo *e* e c. 2.
de facultatibus alimentorum, somnos ait profundos,
ad ciborum cõcoctionem conferre, τῶν ἐδεσμάτων,
succorum mẽtione penitus prætermissa, quod etiam
ex sexto de *f* morbis vulgaribus intelligitur, vbi scri f com. 5. tex. 10.
ptum est, calido naturali in somnis vergente in pro-
fundum, ciborum concoctiones meliores fieri, αἱ πέ-
ψεις, inquit, τῶν σιτίων ἀμείνους γίνονται. dicit qui-
dem alibi, *g* naturam eandem attrahere, affigereq; g li. 1. de facul.
partibus alimentum, assimilare, & superfluitates reij natur. c. 12.
cere: sed hæc munera temporibus non distinguit:
Verum aliud alij stato ordine succedit, pro alimenti

præ-

præsertim ratione, quod concoqui primum in stomacho, deinde ferri in venas debet, per quas postea delatum, ad corporis partes alendas, ibi demum partibus ipsis affigitur, & simile redditur: sed ita hæc fiũt, vt singula nihilominus æque interdiu, atque noctu fieri possint, nam, si naturæ vires respexeris, intelliges, nullo vnquam tempore illas ociari: quo enim tempore cibus in ventriculo concoquitur, eodem in visceribus in venis, & in singulis partibus, & trahendi, & affigendi, & similia efficiendi, & excrementa quoque reijeiendi facultas exercetur: nec deest vnquam his facultatibus materia: nam quando etiam cibus, vel crudus, in stomacho continetur, tunc venæ, sanguine semper distentæ, materiam præbent, in qua vires naturæ simul omnes perpetuò possunt occupari.

Ad tertium argumentum. Esse verò animalia, quæ deterius hyeme concoquant, sententiam hoc nostram minimè conuellit, nisi hæc animalia homines sint, vel, si sint, nisi vel omnes; vel plurimi, non autem pauciores sint: natura enim vel in omnibus, vel in pluribus est: immo non solum scire oportet, esse vel brutas animanteis, vel homines aliquot, qui melius æstate concoquant; sed insuper necesse est intelligere, an etiam ipso æstiuo tempore in vigilia melius, quam in somnis idem efficiant: fieri enim potest, vt ob caloris infirmitatem aliqui difficulter hyemem ferant (nam auctorem eundem habemus Hippocratem, senes æstate, & quadam autumni parte melius valere) qui tamen vberius in cœna, quam in prandio nutriendi sint, vt de senibus ipsis ante dixi: qui cum in æstu quoque malè concoquant, nisi dormiant, hyeme benè concoquent, si foco, & vestibus iniuriam frigoris euadentes, somnum idoneum ceperint. nec obijciat aliquis,

Ad quartum argumentum.

3. aph. 18.

quis, vti ante nobis licuit, noctem hyemi comparare, vt haberemus, nocte vberius edendum; vt hyeme, docente Hippocrate, fit; ita licere alijs, æstatem diei similem facere, & ideo asserendum, eos, qui æstate melius concoquunt; interdiu quoque semper melius concoquere, quam nocte; hoc, inquam, non obijciat, quoniam, hyeme quoque cęnã statuimus vberiorem prandio sumendam, quod somnus excipere cęnam solet: quod si, præter naturam, atque communem consuetudinem vigilare noctu, necesse sit, interdiu verò post cibum somno capiendo tempus suppetat, tunc die ante somnum largius comedendum, quam vespere, cum vigilãdum est, omnino dixerim.

Quod verò attinet ad laborem, idem, quod Hippocrates, sentio, non conuenire sine noxa laborem, & famem. Sed non sequitur, in medijs laboribus plus edendum esse, quam illis confectis, quietis, ac somni tempore aduenientem: nam de labore mediocri Galenus *a* se nobis exemplum præbuit: cum enim ob visitationes, vel ciuilia negocia prandendũ erat, solo pane, sine obsonio, & sine vino, vescebatur: vt intelligamus, necessariò copiosiorem cęnam illum mansisse: quod de se dubio procul dixit, vt se exhiberet alijs imitandum, qui idem quidem seruabant, sed obsonio penitus, ac potu carere recusabant: docebatq; exercitationem esse noxiam post cibum: idcirco salutare esse, leue prandium. de vehementi labore ita quidam senserunt, vt crediderint, necessariò vberius prandium in vehementi labore exhibẽdum: quod tamen ei contrarium est, quod ante de athletis dixi, quos Galenus testatus est, in cęna validiore alimento famem eximere consueuisse, & vbi, libro primo de facultatibus alimentorum, illos; qui toto die laboribus, & priuatis operibus conficiuntur; idcirco

Ad quintum argumentum.

a lib. 6. de san. tu. c. 7.

damnat, quod inanitio; quæ labores necessariò sequitur; efficit, vt e ventre in carnes succus non semicoctus modo, sed nonnunquam etiam omnino crudus, & incoctus rapiatur; illic, inquam, asserit quidem, id genus hominum & ante, & post cibum illum & crassi succi, & concoctu difficilem; quem Galenus memorat; laborasse; non tamen asserit, liberalius prandium sumpsisse, quam cęnam: immo, cum ad concoquendum alimentum profundos somnos affirmet prodesse plurimum; verisimile est, Galenum existimasse, cęnam liberaliorem ab illis sumi solitam: de qua re vt aliquid apertius diceret, locus ille non requirebat: certè constat, de ijs à Galeno scriptum non esse, vt illorum viuendi rationem aliquis imitetur: neque commodum est, vt operarij sese in prandio cibis expleant, quoniam inde experientur laborem grauiorem esse, & plus discriminis habere: satius autem est, illos cibo modico vires sæpe reficere, postea largius cęnare, & demum quieti, ac somno se tradere.

Ad 6. arg. Neque Antiochi, & Telephi exempla fauent aduersariorum opinioni: non enim narrata sunt à Galeno, vt lectores monerentur, senes illos vitam vixisse prorsus innocentem, & (vt ita dicam) omni carentem crimine, sed vt tantum intelligerent, commodum esse ad vitæ prosperitatem, senes ter die cibum capere: vtrum verò plus, aut minus in cęna, quam in prandio sumpserint, nihil confert ad eam rationem, quam Galenus examinat, qui (vt videtur) ne cogitauit quidem hoc eo loci à se fuisse explicandum: aliqui verò tam enixè huic opinioni adhęserunt, vt multis conati sint probare, senes illos vberius alimentum in cęna, quam in prandeo accepisse, quod tamen (mea opinione) assecuti non sunt: nam Ga-

leni

leni verba mihi diligenter cogitanti, hoc tantum docere, visa sunt: senes illos ter die, &, licet non eadem semper mensura, semper tamen moderatè comedisse, & ideo diutissimè vixisse: in eoque vniuersa Galeni oratio versatur, vt doceat, vtilius esse ter die cibum exiguum offerre: quapropter exempla hæc idonea sunt, ad confirmandam sententiam, quam ante exposui, nempe vtilius esse sæpius die, ac modice, quam raro, & multum comedere: nō autem ad probandum, cęna prandium, aut prandio cęnam liberaliorem sumendam.

Nec me mouet Salernitanorum auctoritas, quia non comparabant cęnam prandio, nec dixere, minus in cęna, quam in prandio sumendum, sed intemperantiam dumtaxat fugiendam monuerunt: dixerunt enim, magnam cęnam stomacho molestam esse; at quis neget, magnum prandium stomacho molestum futurum? magna cęna est dubia cęna, de qua Horatius, *a* vides, vt pallidus omnis cęna desurgat dubia? quam nos quoque damnamus, non tamen inde sequitur, prandium debere liberalius esse, dixere enim ijdem, cœnato parum, at non dixere, multum prandeto. Aristotelem verò cęnam, docuisse, debere parciorem sumi, quam prandium; miror, aliquem credidisse: nam illius verba hæc sunt, hac de re quidam (Græce enim est, τίνες, etsi Gaza vertit, pleriq;, non fideliter: fidelius enim vetus interpres dixit, quidam) prandere largè, cęnare parce præcipiūt: quæ verba docent, non ipsum Aristotelem, sed alios quosdam hoc docuisse: qui tamen non simpliciter hoc docebant, sed vt salubrior esset venus nocturna: nos hic quærimus, quid simpliciter, & plerisq; salubrius existat. Erit igitur huius disputationis summa, generatim & vniuersè vtilius esse sæpe & modicè

Ad 7. arg.

a li. 2. ser. sat. 2.

ſemper comedere: quod ſi neceſſe ſit, vt cęna prandium, vel hoc illam ſuperet, tutiorem incontinẽtiam (ſi incontinentia dicenda erit) in cęna, quam in prandio futuram: hactenus de ſanis.

Quid in ægris ſeruandum. *Cap. XXIII.*

DE ægris verò, etſi multa ab alijs dicuntur, mihi tamen videtur opus eſſe paucioribus: nam ſi de febribus ſermo ſit, ab Hippocrate *a* moniti ſumus, non eſſe Solis curſum obſeruandum, ſed febrium acceſſiones, vel inuaſiones notandas, in ijs enim oportet abſtinere: in alijs ſimiliter morbis; ſi periodum aliquam habeant, & alias magis, aut minus ægrum malè afficiant; cum leuior morbus eſt, tunc cibo tempus idoneum eſt: ſi febris aliqua, vel aliud ſit morbi genus, quod periodis careat, & eodem tenore ſemper languentem torqueat; in hoc ſeruanda eſt norma ſalubrior, vt moderatè ſemper nutriatur; quod ſi ſecus conſueuerit, tunc conſuetudo tutius ſeruatur, quam ſi ad meliorem rationem transferatur. Quod ait *b* Celſus in febribus, quæ acceſſionibus carent, ſe ad mediam noctem decurrere, probabile quidem eſt, ſed cumulatè non ſatisfacit, quia conſuetudinis rationem ſilentio prætermiſit; monet autem idem Hippocrates, *c* perpendendam vim eſſe, atque modum ægritudinis in quibuſq;, neque non hominis naturam, & ægroti in viuendi ratione conſuetudinem.

a 1. aph, 11. li. 4. de victu acutor. 39.

b lib. 3. c. 5.

c lib. 2. de victu acutorum.

Sed dubia in hac re quędã ſunt penitus non omittenda, & errores etiam aliqui non ſunt omnino diſſimulandi. Obijcitur à quibuſdam, nunquam debere cęnam prandio vberiorem in morbis ſumi: quoniam

inna-

innatus tunc calor morbi materiam aggreditur ad concoquendum, à quo munere non est cibo reuocandus. Sed his ante respondi, cum admonui, falso existimari, alio tẽpore cibos, alio crudos humores concoqui. dices fortasse, non idcirco reuocari calorem, quia materiam morbi penitus deserat, sed impediri, quia non potest vtrumq; simul æque fęliciter, atque alterum tantum superare, quod conceditur: sed non sequitur, interdiu magis edendum, quasi tunc natura non sit de materia morbi concoquẽda, solicita, aut non æque ac noctu: nam omni tempore in cibis, & humoribus promiscuè (vt ante dictum est) exercetur: alioqui sunt vires cibo semper sustentandæ, atque interim ferre æquo animo oportet, si materiæ morbi aliqua quidẽ fiat accessio, sed exigua. cumq; potiorem *a* habere semper virium, quam morbi rationem medicus debeat; erit ętiam eo minus noxiũ, vespere largius nutriri, quo fuerit ægri (si ita contigerit) consuetudini consentaneum.

Dubium primum.

a Galen. lib. 9. methodi. c. 13.

Dubium insuper est de capitis præsertim affectionibus: quia, nocte dicunt capita magis impleri vaporibus: quod quia noxium est, idcirco parcius; quo pauciores oriantur vapores, cęnandum esse, existimant: at hoc, vt minimè nego, sic euenire, ita magni non interesse profiteor, si tamen modus adfuerit: debet enim aut exortu vaporum, aut alia quacumq; ratione, somnus per cibum conciliari, qua de rẽ ante dixi. itaque sit cęna vberior prandio, sed absque intemperantia, & pro morbi ratione, nec repugnet consuetudo, in eo leuius periculum est, quã si contraria ratione somnum impedias, & cruditates adaugeas: quamobrẽ & capitis mala augeri necessariũ est, vigilia enim, auctore Hippocrate, *b* morbum maturari non sinit, & cibos potusq; cõcoctioni rebelles efficit.

Dubium secundum.

b lib. 2. de victu acutor.

Postre-

Dubium tertiũ.

Poſtrema occurrit dubitatio de epilepticis, nam in eorum curarione Galenus, & Auicenna pugnantia dixiſſe reperiuntur: alter *a* enim verbis perſpicuis firmius alimentum in cęna, alter *b* verò exhibet imbecillius: quo loco iure Matthæus Curtius illos reprehendit, qui ea ratione concordiam auctorum ſtruebant, vt alterum dicerent de curatione, alterum de cautione verba facere: nam vtriuſq; ſermonem legenti ea paſſim occurrũt, quæ curationem ab vtroq; inſtitutam doceant: iure quoque ab eodem illi arguuntur, qui cęnam & veſpernam, cum fuiſſe diſtinctas apud grammaticos animaduertiſſent, Galenum de cęna locutum antiquo more, dixerunt, quod poſtea prandium vocatum eſt: ac ſi Galenus, vt Romanus, cum Catone, vel Q. Fabio Latine verba feciſſet: non autem, vt Græcus, Antonini temporibus; cum multis iam ſæculis veſperna exoleuiſſet; vocabulum tam Romanis ea tempeſtate, propter vetuſtatem, peregrinum, quam Græcis ignotum, rimatus eſſet, vt Feſtus: quod de Galeno dici non poteſt: quem etiam conſtat in ipſo conſilio de puero comitiali laborante, dixiſſe Græce ἄριστον de matutinis epulis & δεῖπνον de veſpertinis: vt Hippocratem, Ariſtotelem, & reliquos poſt Homerum Græcos auctores feciſſe, ſuperius abundè expoſui.

a Galen. in conſilio de puero epileptico.
b Auicenna lib. 3. f. 1. tr. 5. c. 15.

Quis verò credat, quod alij commenti ſunt, auctorem alterum æſtiui tantum, alterum hiberni rationem temporis habuiſſe? nimis alienum, & abſonum eſt, cordatos viros in præceptis cõmunibus aliquid, quod duntaxat partem aliquam reſpiciat, ſine vlla admonitione, miſcere: immo illud dixiſſe, ac profeſſos eſſe, quod intelligi non potuiſſet, niſi qui contradiceret, inuentus eſſet: nam Galenus, cum in cęna plus ab ægro ſumendum dicit, ijs vtitur verbis, quæ

non huic magis tempori, quam illi accommodātur; quapropter cognosci non potuisset, Galenum de sola cęna, quæ interdiu æstate sumitur, locutum esse, nisi Auicenna in contrariam sententiam discessisset: pariterq; Auicennam de cęna, quæ hyeme noctu accipitur, fuisse intelligendum, ignorassemus, si fortè Galeni liber, quo contrarium probatur, temporis iniuria, non extaret: etenim Auicennæ verba non minus, quam Galeni, promiscuè de omni tempore dicta videntur. Ad hæc, ij, qui vespernæ mentionem hoc loco fecerunt, debuissent animaduertere, cęnam apud Romanos sæpius, etiam hyeme, diurnam fuisse, vt ante monui, raro nocturnam; itaque deceptos intelligimus, qui secundam, tertiam & quartam horam noctis cęnæ tributam putarūt: facta est quidem aliquando cęnarum antelucanarum mentio, vt à Cicerone aduersus Catilinam, sed tamquam rei absurdæ, & à communi vsu abhorrentis. Sed neque Matthæus Curtius harum rerum se peritiorem ostendit, qui horam nonam dixit esse nostram decimamoctauam, & decimamquartam esse nostram vigesimam tertiam: quam interpretationem sine repręhensione præterire non possum: nesciuit egregius vir, horas alias esse dictas æquinoctialeis, alias inæquales: & has hyeme breuiores interdiu, noctu verò longiores æquinoctialibus fuisse: æstate autem contra, die longiores, nocte verò breuiores. Romanosq; olim inæqualibus vsos, cum nostra ætate Roma & Italia tota æquinoctialibus vtatur: quamobrem necesse est, nonam inæqualem Solstitio incurrere in vigesimam æquinoctialem, addito quadrante, plus minusve. Bruma verò in vigesimamsecundam æquinoctialē, sed quadrante fere minus: æquinoctijs autem in vigesimam primam adamussim. Ignorasse quoque

Lib. de prandijs & cęnæ rationes

Cur-

Curtius videtur, nullam à Romanis horam quartamdecimam numeratam esse, qui horas diei duodecim, & totidem nocti, quocumq; anni tempore tribuebant: quamobrem necesse fuit, illas esse inæqualeis, vt dictum est. In hac igitur controuersia reliquum est opinari, vel Galeni sententiam Auicennę non placuisse, vel librarij alicuius culpa Auicennæ lectionem deprauatam esse, (quod Curtius notauit) & ob id ex Galeni perspicua tam Græca, quam Latina oratione castigandam esse.

Cum autem statuimus; cęnam vberiorem liberaliori prandio tutius admitti; non pugnamus cum illa sententia, quam ante defendimus, salubrius, scilicet, esse eodem die sæpe, ac moderatè semper, quam semel, ac multum capere: nam qui sæpe, & moderatè comedit, minus oneratur, ad corporis, atque mentis munera, & functiones, promptior remanet, & non minus, nisi etiam magis somno fruitur, quo non cęna solum, sed &, si quid ipsius prandij reliquum est (vt plerumq; est) concoqui potest: qua viuendi ratione non est illa quidem salubrior, qua copiosior cęna probatur; nam sępe maior cibi copia somnum vel impedit, vel differt, vel interrumpit, & lõgiorem noctem desiderat; sed eam sequi præstat, quam econ uerso liberalius in prandio vesci, quod est, ob labores, & negocia, quæ prandium necessariò excipiunt, permolestum: nam *a* Galenus docuit, non leuiter eos lædi, qui cibo graues se exercitationibus dedunt: itaque; etsi contingit sæpe, vt ille melius dormiat, qui, pransus liberaliter, incęnatus dormitum vadit; tamen vberior cęna præferenda est: quoniam tutius post cibum quiescimus, quam laboramus: & exercemur: quod si ob somnum, minus, quam natura requirit, firmum, ac profundum, aliquid desit; ipsa

a lib. 6. de san. tu-c 7.

quietis

quietis longitudo, & in ea somni repetitio illud resti-tuet: naturale autem quietis, & somni tempus cęnæ succedit. Sed illius obliuisci numquam debemus, nullam esse tam firmam viuendi legem, nullamq; de hac ipsa re sententiam tanta argumentorum firmitate, ac robore fulciri posse, quin eam facilè conuellat, aut frangat sensus iudicium, si huic fortè vel sententiæ, vel legi, aut hominis consuetudo, aut naturæ proprietas, qualiscumq; sit, aduersetur, cui medicus incumbere maximè debet, qui non hominem, sed Petrum, & Franciscum curandum suscipit: itaque non solum debet, quid homini generatim conueniat, inspicere: sed quid Petro, & Francisco conducere possit, diligentissimè animaduertere: ne, dum præceptis communibus hominem seruare nititur, priuata ratione Franciscum interfecisse reperiatur.

Tempus inter prandium, & cœnam. Cap. XXIV.

HOc autem loco iure, & meritò aliquis quæret, quanto spatio, ac tempore interposito, prādium cęna sequi debeat: magni enim interesse videtur hoc intelligere, cum maximè conducat, ad illum errorem euitandum, quo Auicenna *a* deteriorem nullum esse professus est, cum, scilicet, cibus prior, crudus adhuc, excipit posteriorem: est verò hæc illa ἀκαιρία, quam Galenus recenset inter concoctionis impedimenta, de qua non est alienum aliquid dicere ante, quam propositæ quæstioni responsum afferatur. Olim exposui in ea disputatione, quæ de ordine in cibis seruando à me edita est, dicamq; in postremo huius tractationis volumine; non esse necessarium, vt os ven-

a lib. I. F. I. doct. 2. c. 7.

triculi infernum, quo cibus concoctus elabitur, clausum semper expectet absolutam eorum, quæ in ventriculo recepta sunt, concoctionem: neque sumẽdum esse ab vtero argumentum, qui, concepto semine, clausus patiendi tempus expectat; quoniam vterus vt officio, ita structura à ventriculo differt: exposui quoque brutas animanteis, & pueros, & edaces quosdam viros esu crebro docere, non posse fieri, quin è ventriculo aliquid egrediatur ante totius ingesti cibi plenam, atque perfectam concoctionem: id verò vt plurimis nullo incommodo contingit, ita pueris est necessarium: etenim vt iustam corporis molem adipiscantur, perpetuo membra cibo, potuq; distenta habere oportet: at si quicquid esca vna comeditur, prius esset concoquendum, quàm aliquid illius egredi e ventriculo posset, vasa conciderent, & necessariò, magno accretionis impedimento, conuenirent: at si crebro cibus ingeratur, vt à pueris fit; cum prius ingestus adhuc in vẽtriculo crudus continetur; quamobrem aliqua eius pars nondum egressa sit; vsque adeo stomachus distendetur, vt eum disrumpi demum necesse sit: itaque ad hæc vitandum incommoda, & absurda, stomachum oportet puerorum, nondum planè concocto priore cibo, nouum recipere, & prioris partem aliquã iam concoctam (ostendi enim eadem disputatione, non simul cibũ vniuersum confici posse) ad intestina demittere: cui rei ipsa ventriculi structura respondet, quæ duo habet ora e regione, vt altero recipere, & altero simul dimittere aliquid possit: vterus verò, vbi iam concepit, naturaliter neque emittit, nisi fœtu iam absoluto, neque pariter admittit, quoniam parte, qua concipit, eadem & reddere conceptum debet: & ex hoc, quemadmodum tum docebamus, posse aliquid è ventriculo con

coctum exire, dum reliquum in eodem ventriculo contentum, concoquitur; ita nunc intelligimus; dum cibus in eadem parte concoquitur; posse, sine animalis incommodo, nouas escas admitti; idq; eidem naturæ prouidentiæ, cuius initio mentionē feci, consentaneum esse: quæ abundantiæ studiosa noluit, vt, instar vteri; qui semel concepto semine nihil deinceps recipere, nisi rarissimè, solet; ventriculus clauderetur: sed ita constituit, vt quocumq; tempore, & loco cibus inueniretur, recipi valeret: sed quia cum hoc est aliquod periculum, ne immodicè, & incontinenter edatur, & bibatur (quæ morborum caussa est præcipua) brutis instinctum quendam largita est, quo intelligant, satis cibi sumptum esse, & homini rationem, qua epularum similiter modum, atque mensuram cognoscat; cum tamen infantes, pueriq; bruto potius & ipsi instinctu, quam ratione ducantur, nisi maiorum consilio auscultent: quamobrem existimo, ita nos esse constitutos, vt, sine periculo bonæ valetudinis, cibus posterior possit priore nondum planè confecto misceri: idque non si modo fiat semel, & longo temporis interuallo, sed si etiam crebrò, & singulis diebus, modo expletionis non adsint signa, quæ superius recensui: & auctores, qui ciborum ἀκαιρίαν damnarunt, ita sunt interpretandi: voluisse illos quidem, vt debitum tempus seruaretur, & iustum inter escas spacium interponeretur, ne augeretur cruditas; sed, tum dumtaxat, præcepisse, continendū esse, cum cibi crudi notæ apparent; hanc enim cruditatem neque fingere, neque somniare debemus; illæ autem notæ (si quis diligenter obseruet) nunquam apparent; licet posterior cibus ante prioris conctionem ingeratur; nisi grauius erratum sit in ciborum modo, atque mensura: quod mihi multis huiusmodi experi-

mentis persuasum est: nam pleriq; homines bis die, æqua prope mensura, nutriuntur, atque cęnam inter, & prandium diei succedentis, duplum interuallum illius, quod est inter prandium, & eiusdem diei cęnam, interijciunt, & cruditatis signa non habent, ac benè valent: cumque ad concoctionem quies, & somnus, & tēporis longitudo conferat magis, quàm vigilia, cum labore, & breuiore temporis interuallo (vt ante dictum est) fieri non potest, vt octo horis tantum, atque sexdecim concoquatur: ideo verisimile est, ab his, quos dico, cęnæ tempore prandium non dum penitus confectum esse, sed aliquam eius partem excipi à cęna: sæpe quoque contingit, vt prandium paullo largius accipiatur; quamobrem somnus sequitur, & corporis grauitas, & segnities (notæ scilicet expletionis) quæ cęnæ tempore nondum recesserint; cumque cęna insuper sumatur; si ea non dubia sit, sed simplex, & exigua, non est impedimento, quin nocte, quicquid in stomacho est, conficiatur, adeo vt postridie nulla expletionis, nulla cruditatis nota reliqua sit: his autem intelligimus, cibo nōdum confecto nouum posse misceri sine detrimento.

Quod cum sit necessarium in minoribus natu, corpora quorum adhuc capere incrementum debent; fit etiam in alijs ætatibus sine periculo, ob longam à teneris consuetudinem: illi tamen timere debent, qui victui exquisito assueuerunt, & qui cruditates exagerant: non equidem negauerim, sicut frigida cernimus calentis feruorem aquæ inhiberi, ita cibi prioris concoctionem à recenti interrumpi; sed dixerim, non ea vi hoc fieri, quæ impediat, ne mox deintegro concoqui cibus vniuersus incipiat: nisi sit cibi exsuperans copia, & cruditatum aceruus struatur. Sed verum & illud est, quo longius interijcitur spacium,

eo

eo pauciores cibi reliquias inueniri, & ideo nouas escas securius admitti: itaque, vti antea statuebam, nullam esse ciborum mensuram, præter sensus iudicium; neque escam de lance petendam esse; ita & nunc assero, neque solario nos, neque horologio indigere, vt iustum dignoscamus inediæ interuallum, sed ab eodem sensu consilium posci oportere: cum, scilicet, fames accedit (quæ, pro ciborum natura, pro eorundem copia, pro exercitationibus, pro anni tempore, pro præsenti aeris constitntione, alias serius, aliàs ocius accedere solet) tunc satis ieiunasse nos intelligimus, tunc cibo tempus opportunum est, modo cibi præcedentis abundantia nouam famem suspectam non reddat: itaque non est mirari, si medici veteres hanc horarum subtilitatem prætermiserunt: sunt autem cruditatis notas diligēter persecuti: quas & nos attentius, quam solaria, inspicere oportet.

Sunt igitur octo (quod multis in vsu est) vel (vt aliqui statuerunt) nouem horæ inter prandium, & cęnam interiectæ; vel in paucioribus epulis pauciores, vt cum aliqui tertia, vel quarta hora, deinde sexta, vel septima, postea nona, vel serius reficiebantur, vt ante narraui; hoc minimum momentum habet ad bonæ valetudinis custodiam: nam pleriq; in morbos ob victus rationem incurrunt: & ex his plurimi, nulla in re ciborum solita mensura immutata, ægrotant: quia cum expletionis notas ignorent: & cruditatis noxas longè prospicere nesciant, & se cibi, temporisq; mensura vti putent, quæ careat culpa; non animaduertunt, quid cęli varietas, quid ocium, quid curæ, quid ipse annus vel commodi, vel incommodi afferat (cui incommodo, ciborum commutata mensura, promptè occurri potest) quamobrem necessariò tandem ægrotant: quòd si capitis dolor sponte acces-

accesserit, breuem in sole moram causabuntur; si nocte præter morem sudauerint, aut in virium imbecillitatem, aut in grauiora tegumenta culpam referẽt; si pondus in ventre fuerit, id à flatu fieri iudicabunt, quem genuerit degustatum alicuius oleris momentum, vel carica; & quicquid sit, quod molestiam afferat (nisi ructus aliqui praui orti sint; quæ res ne pueros quidem latere solet) omne aliud cogitant, quàm satietatem, & cruditatem: & medicos, repletionis remedia vel ieiunio, vel purgatione ventris parantes, mirari solent: difficile est enim, vt sibi persuadeant, cum qua re diu sani vixerunt, & alij plures non ægrotant, ex ea se morbum contraxisse, ignari scilicet, quid rerum, quæ singulis diebus accidunt, afferre varietas possit: & hominum corpora quantum inter se differant, vt sanitate fruantur, vel in morbos incidãt: sed potest etiam horarum obseruatione contrarium vitij genus accidere: nam, vt mensura non vna omnibus conuenit; quam nonnullæ ampliorem naturæ postulant; alioqui citius debito senescunt, sic nouem, vel octo spacium horarũ aliquibus noxium esse potest ob longitudinem. Itaque horarum obseruatio existimanda potius est inanis, & aliquando noxiæ curiositatis, quàm fructus magnifaciendi. Hæc igitur de cibi, & potionis modo, atque mensura dicta sunt hucusque.

De abstemijs. Cap. XXV.

IAM verò ordo eorum, quæ ante proposita sunt poscere videtur, vt de vini continentia verba faciam, qua scilicet hæc disceptatio ad bonam valetudinem conducere videtur, non est enim huius loci, contra ebrietatem declamare, & ea dedecora recensere, qui-

bus

bus se potores incontinentes subijciunt. Illud autem primo sumendum est, gentes, ac nationes, & multas, & magnas, vti nunc, ita olim omni sæculo vino caruisse: & licet multis locis, vini loco ex frugibus, herbis, & fructibus, vti nunc, sic etiam præteritis sęculis, varia potionum genera, vinum imitantia, condita sint; alibi tamen hæc quoque cum vino defuisse, & solius aquæ potum cognitum esse, immo apud gentes innumeras; ad quas vinum potest ex ijs locis, quæ vino abundant, vel commodissimè comportari, & quibus vuarum copia ad vinorum confectionem non deest; lege cautum esse, ne bibant; sic olim Iberos, ait Athenęus *a* ex Phylarcho, etsi ditissimos, aquam bibisse, & apud Locrenses Zephyrios Zaleuci lege capitale fuisse, vinum bibere. qui nunc Mahometi sectę addicti sunt, lege non vinũ, sed aquam bibunt, ritu scilicet Sarracenorum, qui ante Mahometis quoque tempora aquam bibebãt non vinum; quod Spartianus docet, vbi narrat, Pescennium Nigrum in victos à Sarracenis milites tumultuãtes, & dicentes, idcirco, quod vinum non accepissent, se pugnare non potuisse, graui illa castigatione vsum esse, dicentem, Erubescite, qui vos vincunt, aquam bibunt, propterea Asiæ, Africæq; pars magna, & in Europa Thracia, atque Gręcia ferè tota; vinis quondam, perinde ac viris, nobilis, & fęcunda; nunc aquã bibit. Germaniæ; quæ à Rheno flumine, & Alpibus in ortum, & Septentiones latissimè patet; pars maxima, & Britannia in hordeo quidem vinum quærit: sed Indos occiduos; prioribus sęculis incognitos; aquam bibisse manifestum est, idemq; facere Iaponios, ante hoc seculum à nostris penitus ignoratos, certissimum est: nonnulli quidem apud illos, ex oryza vinum exprimunt, sed aquam bibunt plerique,

&

Multi vino non vtuntur.

a lib. 2. dipnos.

& eam quidem sæpe (quod magis mireris) calētem.

Sed quia historiam non condimus; paucis rem exemplis illustrasse satis esto. Si quis tamen remotarum gentium commemorationi non acquiescit, hoc addam; probatos extare vetustos auctores; qui asserunt, *a* Romæ olim feminis, vinum bibere, non licuisse: immo nec seruis, nec etiam liberis à pubertatis tēpore ad annum vsque trigesimum quintum: illud verò certissimū est, multa Christianorum millia, pietatis ergo, non alio potu, quàm aquæ vsa esse. hæc igitur mihi cogitanti visa est illa sententia maximè probanda, vini potum non esse naturalem, nec necessarium. Plinius dicebat, duos esse liquores corporibus humanis gratissimos, vini, & olei, sed olei necessariū, quasi vellet significare, vini necessarium liquorem non esse, seque ita existimare; dixerat autem, *b* saluberrimum ad potus aquæ liquorem à natura datum, quo cætera omnia animantia vtuntur: ac si, ob id quod cætera animantia aquam bibunt, statuendum sit, illius potum naturalem esse, atque necessarium: sed non ob id tantum ego id affirmauerim, sed etiam quod maxima hominum pars vino abstinet, & aqua sitim extinguit: quod antea explicaui: nec malè argumentum a brutis animalibus ducitur; nam etsi non parum distamus à brutis, propter rationem, qua illis excellimus; sentiendi tamen, generandi, & nutriendi facultate eisdem affines existimus.

a Plinius li. 14. c. 13. Atheneus li. 10. dipnos. Aelianus var. hist. lib. 2.

Vini potus non est naturalis.

b lib. 14. c. 22.

Neque obijcere debes, ergo & nos fœnum, & carnes crudas comedere oportere, vel frugibus incoctis, aut solis fructibus vesci: etenim neque animalia bruta omnia fœnum comedunt, aut fruges, vel fructus deuorāt; canes, & feles exemplo sunt: sed sunt etiam, quæ carnem non attingunt, vt equi, boues, capræ, &

alia:

alia: coctisq; cibis alia delectantur: cum igitur bruta ad cibos variè affecta sint, eundem tamen omnia potum sequuntur: quem esse naturalem, & necessarium iure dixi, immo vinum nobis non magis, quam brutis animantibus ideo conuenit: quia nos illud bibamus, illę solam aquam: sed nobis conuenit, quia non est nobis naturaliter contrarium, & longa fit a teneris consuetudine familiare: at bruta quoque animalia vino assuescent, si copia non desit: eoque intelligetur, illis etiam non esse naturaliter contrarium. Plinius *a* inquit, at nos vinum bibere & iumenta cogimus; vtitur autem verbo, cogimus, non quia repugnet natura, sed vsus. Aristoteles libro de ebrietate (hoc enim ab Athenæo *b* relatum est) Simiam scripsit, Elephantemq; vino inebriari, ideo simiarum, cum ebriæ sunt, venationem fieri. Raphael *c* Volaterranus inquit, ipse quoque vidi Romæ vrsum ex Vrsinorum ædibus cellas vinarias passim quas per vrbem ingredientem, doliaq; exhaurientem: sed equos etiam nouimus vino assuefieri, & hoc cecinisse de equis Hectoris Homerum: *d* rependite mihi (ait ad illos Hector) commeatum vobis ab Andromache traditum, quæ triticum apposuit, vinumq; temperauit: νῦν μοι τὴν κομιδὴν ἀποτίνετον, ἣν μάλα πολλὴν Ἀνδρομάχη, θυγάτηρ μεγαλήτορος Ἠετίωνος, ὑμῖν παρ προτέροισι μελίφρονα πυρὸν ἔθηκεν, οἶνόν τ' ἐγκεράσασα πιεῖν: & hoc est, quod Iulius Pollux *e* dicebat, apud Homerum equis pro cibo triticum etiam dari, &, si credimus (inquit) pro potu vinum: vini igitur vsus necessarius non est.

Bruta vinum bibentia.

a lib. 14. c. 22.

b li. 10. dipnos.

c lib. 32.

d Iliad. 6.

e lib. 1. c. 11.

Vini potus noxius est. *Cap. XXVI.*

SED neque est etiam bonæ valetudini simpliciter vtilis: nam quæ communi quudam consensione ægrotis negamus, vt vinum, quod ne dilutissimum quidem, concedi solet in plerisq; capitis affectibus, in articulorum doloribus, in inflammationibus, in febribus, in vlceribus, in fractis, & luxatis ossibus: quamobrem inquit ille; vinum ęgrotis, quia prodest raro, nocet sæpissimè, melius est non adhibere, quam spe dubiæ salutis in apertam perniciem incurrere; & quamuis medentium nonnulli professi fuerint, tuto se ægris daturos; hoc tamen nec culpa sæpe, nec suspicione vnquam vacauit; quæ igitur in ægris passim damnantur, ea quoque sanis suspecta oportet esse, quasi morbos illos prouocantia, quibus arcendis ablata conducunt, qua enim ratione morbos pellere didicimus, eadem etiam vt eosdem caueamus, niti debemus, vt probatissimi auctores docuerunt. vini igitur abstinentia; si vt ad pellendos, ita ad euitandos morbos prodest; sanis hominibus tutior, quam vini potio, censenda est.

Vinũ minus adiuuat concoctionem, quã aqua.

Cumque magnam in nobis vim ad bonam, vel malam valetudinem concoctio, vel cruditas habeat, vini potus aquæ potui est postponendus, quia vinum, quam aqua, minus est ad concoquendum accommodatum, quod etsi παράδοξον nonnullis, immo plurimis videbitur; nam vinum *a* stomacho debilibus prodesse, Apostolica *b* etiam auctoritate con firmatum est; & *c* multos ex ijs, qui vinum bibunt; integra frui valetudine manifestum est. Galenus *d* verò passim ait, concoquendi facultate aquam à vino superari: intantum, vt, quo loco Hippocrates *e* scribit,

a arg. 1. pro vino.
b S. Paulus ep. 1. ad Timot. c. 5.
c arg. 2.
d arg. 3.
e lib. 6. epi. sect. 4.

ſcribit, Aqua vorax, ibi diſtinguat inter voracitatem, & concoquendi potentiam: aqua enim; quia frigefaciendo, ſanguinem ventriculi tunicas rigantem, in anguſtum cogit; famem excitat; quamobrem multus ingeritur cibus: concoquere autem, & multum comedere diuerſa ſunt, vinum, inquit, ad concoquendum aptius eſt, immo & ad diſtribuendum, ad ſanguinem bonum generandum, ad lotium ciendum, & ad reſpirãdum, quam aqua: immo quo eſt meracius, alias *a* dixit, eo plus his prodeſſe, qui retinere, & concoquere alimentum volunt. calor *b* inſuper, opifex concoctionis eſt, vinum verò calidum, aqua frigida eſt; ergo illud magis, quam hæc, concoctionem promouere, dicendum eſt: ſed Hippocrates *c* nonne aſſeruit, aquam tardi eſſe tranſitus βραδύπορον ob frigus, & inconcoctilitatem eius, διὰ τὸ ὑπόψυχρον, καὶ ἄπεπτον εἶναι: dixit etiam, *d* vinum famem auferre, quod de aqua non dixit, quo ſignificare viſus eſt, vinum facilius, quam aquam concoqui: itaque Galenus, *e* vini propriam dixit mutationis celeritatem, & minima egere, præſertim rubrum, mutatione, vt ſanguis fiat: propterea, inquam, etſi paradoxon videtur, quod affirmem vinum minus, quam aquam, ſtomacho prodeſſe ad concoquendum: tamen id firmiſſimis mihi perſuaſum eſt argumentis, ac primum ipſam rei naturam inſpicienti: quod enim verè, ac propriè nutrit, cibus eſt: nam, vt aliquot exemplis ante docui, ſine potu viuere aliqui naturaliter potuerunt, cum abſque cibo nullus: ſuntque animalium plura genera, quæ nunquam bibunt. Ariſtoteles *f* inquit, genus autem auium cum omne potu exiguo contentum eſt, tum aduncis nullus omnino vſus bibendi eſt, præter quam pauciſſimis quibuſdam, quæ & ipſę raro vtuntur: qualis potiſſimum tinnunculus

a lib. de ſalub. diæta partic. 20.
b 4. arg.
c ex lib. 3. acutor. arg. 5.
d ex 2. aph. 21. arg. 6.
e ex Gal. 3. lib. de tempera. c. 2. & lib. 3. de alim, c. arg. 7.
Argumenta contra vinum.
f lib. 8. de hiſt. an. c. 3.

est: miluus etiam uisus est bibere, quamquam raro. hæc ille: est igitur cibus, qui potissimum nutrit, qui cum per angustos calles in corpus vniuersum ferri debeat, soluatur primum, & tabescat in ventriculo opus est. hoc autem promptius, & absolutius plerisq; animantibus euenit, si liquor aliquis cibo misceatur: hoc igitur commodum ipse potus nobis affert, qui est insuper cibo pro vehiculo, vt facilius in venas subire queat: quod Erasistratus *a* quoque opinatus est, & à Galeno scriptum est, qui ex Hippocratis auctoritate humorem tenuem sanguini in venis admistum, ὄχημα τροφῆς, appellauit libro *b* quarto de vsu partium: est enim ille humor necessarius, vt alimentum commodè in venas transumatur: ὑγρασίη τροφῆς ὄχημα, inquit Hippocrates postremis verbis libri de alimento.

Potus commoda.

a Plutarc. sympos. Dec. 6. probl. 3.

b cap. 5.

Cibum igitur tanto fęlicius confectum iri, & distributum puto, quanto potus tenuior fuerit, & calorem natiuum detinere minus poterit, qui calor eo diutius detinetur, quo durior, & crassior materies est, in qua versatur: vinum autem crassam quandam, atque terrenam materiam continet, vt constat, quoniam longo feruore crassescit: & à *c* Galeno dictum est, quod crassius est, nutrire quidem magis, sed tardius confici, atque distribui: aqua verò omni vino tenuior, calorem natiuum minus potest, quam vinum quodvis detinere: & ideo concoctionem adiuuare magis potest: exposuitq; Galenus eodem quarto de vsu partium, aquam animalibus priuatim ad alimenti distributionem conducere. Insuper verisimile mihi videtur, concoctionem cibi in corporibus nostris elixationi similem esse, vt *d* Aristoteles docuit, cui Galenus *e* consentit: at elixatio fit à calore humidi, seu liquoris, in quo res concoqui debet: quæ

c lib. 3. de alim. facul.

d lib. 4. meteor. sum. 1. c. 4.

e lib. 3. de facul. nat. c. 7. lib. 2. de vic. rat. in ac. tex. 22.

igitur

igitur humidiora, eo ſunt ad elixationem, & concoctionem aptiora: at vinum Hippocrates *a* cenſuit calidum, & ſiccum eſſe: & *b* Galenus ſcripſit, muſtum ex primo, vinum verò aliud ex ſecundo, aliud ex tertio tum calefacientium, tum exſiccantium ordine eſſe: *c* aquam verò etiam ſumme calidam ſemper humectare: iure igitur dicimus, aquam, omnis ſiccitatis expertem, magis, quam vinum, ad concoquendum idoneam eſſe: quæ fuit ſententia (vt *d* Athenæus retulit) Pliſtonici medici vetuſtiſſimi, quem *e* Galenus inter probatiſſimos enumerauit: & à nobis ſtare *f* Hippocratem credimus dicentem ὕδωρ βορόν quoniam hoc conſentaneũ ijs eſt, quæ ante de aqua dicta ſunt. *g* Celſus inquit, vbi expletus eſt aliquis, facilius concoquit, ſi, quicquid aſſumpſit, potione aquæ frigidæ includit: & aduerſus tardam concoctionem prodeſſe dixit, *h* omnes potiones aqua frigida includere: neque eſt alia potior cauſſa, quamobrem multis in morbis, vt ante dictum eſt, vini vſus ſuſpectus ſit, & noxius reperiatur, quam quod vel aliorum concoctionem ciborum retardat, vel ipſummet difficulter concoquitur, vel vtrumq; : quapropter ſuccus inconcoctus tantus congregatur, vt neceſſariò morbos vel inducat, vel foueat, vel adaugeat. Vini, adhæc, contumaciam *i* Celſus notauit, cum, inſtantes frequẽter diſcuti morbos, admonuit, ſola vini abſtinentia, quod ſubtractum, inquit, plus quam ſi cibo quid dematur, adiuuat: contra verò aquæ facilitatem *k* oſtendit, cum potiones ita diſtinxit, vt aſſeruerit, valentiſſimam eſſe, quæcunq; ex frumento facta eſt, itemq; lac, mulſum, de frutum paſſum, vinum aut dulce, aut vehemens, aut valde vetuſtum: in media verò materia eſſe, acetum, & id vinum, quod paucorum annorum, vel auſterum, vel

lene

a lib. 2. de diæta.
b li. 8. de ſimpl.
c li. 1. de ſimpl.
d lib. 2. dinos.
e lib. 3. de arif. c. 5.
f lib. 6. epi. 4.
g lib. 1. c. 2.
h lib. 1. c. 8.
i lib. 3. c. 1.
K lib. 2. c. 17.

lene est: aquam autem omnium imbecillissimam esse: dixerat autem, fere sequitur, vt quo valentior, quæque materia est, eo minus facilè concoquatur: aqua igitur, quia imbecillissima, debet facillimè concoqui. neque solum obest, si intemperanter vinum bibatur: nam; etsi modice sumpti sua quædam commoda existunt, de quibus aliquid postea dicendum erit; tamen in his etiam, qui sobriè, & temperanter viuũt, cum ægrotant, subtractum vinum magnas atque euidentes vtilitates afferre, experimentis innumeris compertum est; quo argumento intelligimus, moderatum quoque illius vsum criminis omnino expertem non esse.

Cur aliqui potu vini non lædantur. Cap. XXVII.

CAETERVM duo sunt animaduertenda, primum, consuetudinem potestate parem naturæ sæpe numero euadere, & naturæ iura sibi vindicare, alterum, non esse existimandum, nullum esse vini vsum, perinde ac si vel frustra, vel ad perniciem receptum foret: immo sunt multæ, ac magnæ illius vtilitates, quas tum experiri, tum apud auctores varios legere, cuique in promptu est: consuetudine igitur fit, vt mulri vinum bibendo minimè lædantur, & multi, si abstinere eo velint, non leuius offendantur, quam si quis aquam bibere assuetus ad vini potum temere transeat: non est tamen vis tanta consuetudinis, quin aliqui ex assuetis vini abstinentiam sibi quoque vtilem nonnunquam experiantur: est enim tanta earum rerum varietas, quæ cibi, & potionis necessitatem (seu genus, seu mensuram spectes) variare

riare ſolet; vt ipſamet, quibus aſſueti ſumus, noxia quandoq; non aliter, quam inſueta, reperiantur.

Vini autem cōmoda, prȩter illum potionis vſum, quem ante dixi; quo aqua vino inferior non eſt; niſi fortè ſit etiam ſuperior; hæc ſunt: vinum celerrimè nutrit, &; quod Hippocrates egregiè notauit; famem abolet: non quidem; vt aliqui exiſtimant; quia momento celerius in venas ſubeat, & ad iecur perueniat, vbi in ſanguinem confeſtim vertatur: nam ſubita famis extinctio huic rationi tribui non poteſt: etenim vinum ſimul atque in ventriculum deſcendit, fames ceſſat, nec ante quam ceſſet, vinum ad iecur pertranſit: quia ad illud, niſi concoctum ſit, minimè fertur, concoctio verò tempus aliquod requirit: &, quamquam Galenus *a* dixit, vina rubra, & craſſa ad ſanguinem generandum aptiſſima eſſe, quia minima egent mutatione; vt ſanguis fiũt, idem tamen aſſeruit, eadem concoqui debere, &, quo ſunt craſſiora, eo ad concoquendum, & ad diſtribuēdum difficiliora eſſe, & ait, in ipſo ventriculo conficienda eſſe, non in ſolo hepate, vt quidam exiſtimarunt; quod Auerroes *b* teſtatus eſt, ac neſcio, vtrum Galeno digna vox fuerit dicente, vinum rubrum & craſſum faciliime in ſanguinem mutari, quando conſtat, in ventriculo vini tum ſaporem, tum colorem, inter concoquendum perire, ac omnino vinum in aliam naturam, antequam ad venas feratur, degenerare: ſanguinem autem non prius fieri, quam in venas ſubierit: vt nihil penitus referat, nigrũ eſſe, vel album ſiue potum, ſiue cibum, vt ex eo ſanguis oriatur.

Vini commoda.

Vinum cur famem eximit.

a lib. 3. de alim.

b lib. 7. collig. c. 16.

Sed nutrit vinum celerrime, & promptè famem eximit: quoniam fames, cum ventriculi inanitatem ſequatur, ingeſto vino, inanitatis ceſſat moleſtia: ſed hoc habet commune cum aqua, & alijs liquoribus,

qui

qui pariter implere ventriculum possunt; verum materia crassiore, quam aqua, vinum constat, ideo ad nutriendum accommodatius: & odorum est, quamobrem spiritus, qui in fame deficiunt, protinus reficiuntur: saporemq; habet; cuius iocunditate plurimum recreamur: habet præterea inclusos quosdam spiritus, qui, dum potatur, subito exiliunt, & suauiter corpus calefaciunt: quo non aquam tantum, sed lac, & potiones alias, quæ ex frugibus, pomis, herbisq; componuntur (quæ tamen habent naturam vino proximam) post se relinquit: sed & vino recreari stomachus dicitur non solum illorum, qui assueti eius potui, eo nonnunquam intermisso, stomacho imbecilles redditi sunt; sed aliquorum etiam, qui, cum assueti non essent, & malè ob stomachi imbecillitatem afficerentur; vino modico restituti dicuntur: vt aliqui e contrario, cum essent assueti, nec vsum eius intermisissent, in illud tamen incommodum inciderunt, quod vini abstinentia cauendū fuit: alijs enim stomachi ea infirmitas est, quæ aquam ferre; frigore fortasse aduersantem; non potest: alijs verò, quæ vinum nequeat; ob illius fortasse crassitiem; superare.

Hilaritatem præterea vinum conciliat: etenim certum est, duritatem curarum, & asperitatem, quæ animos nostros collidit, ac lacerat, hoc pacto mitigari, atque mollescere: itaque sapiens *a* ille dixit, date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo, & Plato *b* scriptum reliquit, vinum datum quasi remedium aduersus senectutis duritiem: vt enim igne ferrum mollescit, sic vino animus mollior efficitur. Hæc sunt commoda ex vino præcipua: reliqua verò vel ex his proficiscuntur, vt appetitum excitare, & vomitiones cohibere; quod stomachi robur, vino partum, sequitur; vel vini sunt, vt pro medicamento

a Salomō prou. c. 31.

b li. 2. de legib.

dicamento adhibetur, vt cum aduersus venena bibitur, aut vlceribus imponitur. Cum igitur hæc vinum commoda largiatur, Illud omnium bonorum consensu auctorum statutum est, vinum tuto nunquam bibi, nisi modestè, & temperanter sumatur: sed nec semper hac ratione tuto sumitur, quædam enim sunt tempora, cum præstat ab illo vt abstineant non solum ægri, vel incontinentes, sed sani etiam, atque modesti, ne in morbos incidant, veluti, cum post acrem laborē aliquis delassatus est, is enim ne ægritudine tentetur, cibi diminutionem, & aquæ potum salubriorem esse, quam vini, sentiet, si est Plutarcho fides abhibenda: qui etiam calidam tunc aquam sumendam scribit, iuxta illud *a* Tibulli, Et calidam fesso comparat vxor aquam. quamobrem dicere possumus, nulli ex toto vinum, aut aquam semper vtilem esse: at medicamentum esse vtrumque, cum inuicem assumitur; propterea non malè aliqui laudarunt, non solum si aqua vino admisceatur, sed etiam si per se sola inter vina, etiam diluta, bibatur, scilicet vini vim, atque vigorem aquæ lenitas frangit, & aquæ lenitatem stomacho plurimorum vini temperatio iucundiorem reddit, & quorum stomacho frigus solet infensum esse, ijs amicam aquam, & placidam permistum efficit vinum.

lib. de tuen. bona valet.

a lib. 1. elegia vltima.

Responsio ad argumenta pro vino. Cap. XXVIII.

EX his autem manifestum erit, vt sit prioribus occurrendum rationibus, quibus vinum ostendebatur maiorem habere vim concoctionis promouendæ, quàm aquam: cum *b* enim plurimi consuetudo

facienda ſit, inde proficiſcitur, quod nonnullorum ſtomacho aqua nocet, quodque multi ſine noxa vinum bibunt, quod verò *a* ea fuerit Galeni opinio, vinum plus prodeſſe ad cōcoquēdum, quā aquam; non eſt dubitandum, quia multis ille locis hoc perſpicuè affirmauit: quod ſi etiam non generatim, ſed ſolum de quodam hominum genere verba feciſſet, nihil fortaſſe diſſonum ab hac ſententia, quam explicaui, intellexiſſet: ſed cum videatur vniuersè omne genus comprehendiſſe, & ideo non conſentire his, quæ à me dicta ſunt; meminiſſe oportet, ab eo traditum eſſe libro methodi ſecundo, non debere auctores tyrannorum ritu iubere, ſed euidenti ratione, quod volunt, comprobare, ijs autem certè locis, quos ante memoraui, ſuam opinionem nullis confirmauit argumentis: propterea æquo animo ferre oportet, ſi nos eodem iure vſi fuerimus, quo ipſe nos vti docuit. Itaque dimiſſa auctoritate, rationes, quas examinemus, depoſcimus. At non *b* videtur alia eſſe ratio, qua probari poſſit, à vino concoquendi vi aquā vinci, quam illa, quæ à me quarto loco poſita eſt, calorem ſcilicet concoctionis opificem eſſe, vinum autem calidum, aquam frigidam eſſe.

a ad arg. 3.

b ad arg. 4.

Quæ tamen ratio me minimè mouet. Sed prius quam reſpondeam, tollenda æquiuocatio quædam eſt: nam vt aliquid ad concoquendum conducat, & agendo, & patiendo euenire, & intelligi poteſt. Vt igitur calor natiuus eſt auctor concoctionis, ita agendo illa concoctionem adiuuant, quæ calida ſunt, vt aromata, & cibi, qui, aromatum inſtar, ſimul, atque ingeruntur, calefaciunt; quod & vinum facit, quapropter calidum vinū dicitur, licet tactus frigidum eſſe demonſtret, contra quam aqua: nam cum per ſe frigidam eſſe ſenſus docet, tum etiam, cum hauritur,

calore

calore nullo corpus afficit, & idcirco frigida nuncupatur. Illa verò patiendo concoctioni auxilio esse dicimus, quæ facilè in succum nutritioni aptum, atque idoneum conuertuntur: & contra obesse, quæ dura sunt, & difficulter soluuntur. Cum autem sermo est de cibis, & potionibus concoctionem adiuuantibus, patiendi potius, quam efficiēdi rationem habemus, & meritò, quoniam nutritio natiui caloris opus est, calor, inquam est opifex, cibus verò materia, quam calor membris, quæ nutriuntur, similem reddit: cibi igitur est pati: quod si cibus aliquis, præter nutritionem, etiam aliquid operatur; quia scilicet calefaciat, aut frigefaciat, aut exsiccet, aut humectet; id iam non vt cibus, sed vt medicina facit: etenim medicinę scientia, & ars est effectrix quædam caussa, & medicamenta similiter, vt artis instrumenta, caussæ sunt effectrices sanitatis: nec dicat aliquis cibos omnes pari ratione esse medicamina, quia omnes calefaciunt; nam *a* Galenus docuit, quo aliquid nutrit, eo etiam calefacere; non, inquam, hoc dicēdum est, quod enim hoc modo calefacit, id propriè nutrimentum ab eodem Galeno dicitur, quod videlicet; in ventriculo concoctum, & in venis, iam nutrit, & corpori adiungitur: ex quo intelligimus, calefactionem, quæ alimentis generatim tribuitur, esse concoctione posteriorem, & concoctioni nihil prodesse: nunc autem loquimur de calefa ctione, quæ concoctione prior est, cui concoctioni auxilio esse credimus alimenta calefacientia; cum sint etiam frigefacientia quædam concoctioni minus propitia. calefaciunt autem, & frigefaciunt cibi, non vt nutriunt propriè, nam hoc modo cuncti calefaciunt; sed vt vicem subeunt medicamētorum: quorum alia calida, alia frigida sunt, quomodo & cibi alij calidi, alij frigidi dici meren-

a lib. 3. de temp. c. 2.

tur: cibi igitur, siue alimenta, patiuntur, agunt verò medicamenta: & idem, vt cibus, patiendo, vt pharmacum agendo concoctioni auxiliatur: itaque videre est, Galenum vires alimentorum enarrantem, notare passim, & vbique quæ facilè, aut difficulter concoquantur, quod est pati: in examine autem medicamentorum docere potissimum, quæ calefaciant, quæve frigefaciant, quod est agere: quemadmodum autem aromata quædam, ob duritiem concoctu difficilia sunt, aut concoqui nequeunt, etsi calefaciunt, vt gariofilum, nux myristica, piper, & alia: sic etiam cibi quidam erunt, qui similiter, vt aromata, calefacientes, ipsi concoctu difficiles inuenientur: quod Galeni probatur auctoritate, qui de citrio dicebat, tegumentum extrinsecus circundatum suaue olens esse, & aromaticum, non odore modo, sed etiam gustu: iure igitur concoctu esse difficile, vt quod durum est, ac callosum; quod si quis ipso vt medicamento vtatur, concoctioni nonnihil conferre, quomodo & alia omnia, quæ acrem habent qualitatem.

Vinum igitur calidum esse iure dicimus, scilicet vt medicamentum, quia statim, atque hauritur, calefacit manifestè, & hac ratione concoctioni nonnihil prodest, & magis prodest, quàm aqua: sed, vt cibus, siue vt alimentum, minus quam aqua conducit, quia crassius est, quam aqua, atque ob id maiorem, quam illa, operam requirit, vt concoquatur; vt superius exposui. Cum verò se mutuo superare concoquendi potentia vinum, & aqua videantur; nam hoc illam superare vt medicamentum, & ab illa superatur, vt alimentum, vtrius maior victoria est, vinine vt pharmaci, an aquæ, vt alimenti? vini calefactio, quam aquam superat, breuissimè extinguitur, & euanescit citissimè: atque ideo non videtur posse

ma-

magnopere ad concoquendum conducere, cum id & tempus, & ſpatium, & calorem aſſiduum requirat: ſed & aquæ frigus, quo concoctioni videtur aduerſa, citiſſimè ab innato calido extinguitur, quamobrem eo videtur concoctioni parum obeſſe: qua verò nutrimur, aqua tantum vino videtur facilitate concoquendi excellere, vt idcirco plus eſſe in aquę potu vtilitatis, & ſalubritatis, quam in potu vini, ſtatuendum ſit.

Sed *a* prompta eſt ex Hippocrate obiectio, aquā minimè coqui, vinum verò famem abolere: adde, à nobis ante ſumptum eſſe, aquam non nutrire. at prompta quoque reſponſio eſt, aquam nec nutrire, nec concoqui, ſi ſola, & ab omni cibo ſecreta, ſcilicet ſi à ieiunio prorſus, & vacuo ventriculo ſumatur: hocque Hippocratem voluiſſe, ex illis verbis intelligi, ὅταν ἐς κενεότητα ἐσέλθῃ, ideſt, vbi in vacuitatem ingreſſa fuerit: at cibis permixta & concoctilis redditur, & nutrit: ex aqua enim, & cibis ſuccus, χυλὸν Græci appellant, conflatur, qui in venas ſubiens, proprium euadit corporis alimentum: in ſanguinem ſcilicet vertitur, quod vltimum ſolet Ariſtoteles vocare alimentum, & propriè ex Galeni ſententia *b* nutrire tunc dicitur, cum relictis iam venis corpori adiungitur: quod verò fames à vini potu tollatur, non aliud probat, quam vinum eſſe alimentum, quod ſequitur etiam, cibos vino plus nutrire, quam aqua permiſtos; non tamen ſequitur, etiam facilius concoqui: ſæpe enim fit, vt quo aliquid magis nutrit, eo quoque difficilius concoquatur, & multis experimentis compertum eſt, coctos ex vino cibos, quam ex aqua euadere ſolidiores. Quid verò ſit de *c* Galeno dicendum, qui vinum facillimè mutari aſſeruit, habetur ex ijs, quæ ante poſita ſunt, vbi explicatur,

a Ad 5. & 6. arg.

b lib. 3. de temperam. c. 2.

c ad 7. arg.

catur, cur fames vino eximatur, & in responsione ad argumentum tertio loco positum.

Sed duo rursus obijciuntur, nam statuentibus, vinum esse e crassiore materia, quam aquam, videtur etiam dicendum, concoctioni magis prodesse: quoniam crassiora, & solidiora, etsi difficilius incalescũt, calore tamen recepto magis, quam tenuiora calefaciunt; sic enim *a* Aristoteles inquit, aqua magis, quam fumus, & lapis, quam aqua comburit; ergo & vinum ab innato calido calefactum, magis, quam aqua calefaciet, & magis concoquet. Sed respondemus, plus momenti esse in facilitate, qua cibus dissoluitur, quam in calore: neque etiam verum esse, quo quidque calidius est, eo plus concoctioni prodesse: esse quidem calorem necessarium, non tamen qui exurat, sed moderatum, qualem ipsa aqua, vel vino promptius, à calido innato potest recipere: alioqui cibus, potu omni solidior, facilius sine potu (contra sensus fidem) concoqui posset, nam validius concepto calore, vehementius calefaceret: & summatim notandum, ac memoriæ commendandum esse, nec aquæ, nec ciborum, nec vini calorem esse, qui concoquit, sed eum, qui in animantibus insitus est, cui quod minus reluctatur, id facilius concoquitur: & id, quia minus impedit, & caloris huius opus minus remoratur, magis iuuare, ac promouere cõcoctionem, dici solet: sed minus eum retardare molliora, tenuiora, quæ tractantur facilius, etsi frigidiora, hæc igitur & facilius concoqui.

a lib. 4. meteorol.

Altera est obiectio, non esse aquam vino tenuiorem, immo econuerso, vinum esse, quam aquam, tenuius, ab aliquibus existimari, quoniam spiritum quendam habet igneum, qui momento in corpus fere vniuersum distribuitur, sed est animaduertẽdum,

tenue

tenue aliud dici, quod vim agendi quandam demonstrat, & penetrabile appellatur, ac fortasse verius acutum, quam tenue dicitur: quo pacto vinum esse fateter aqua tenuius ob vim, qua subito penetrat, & calefacit, quæ dicta est, & in aqua non est: & nihil fere ad concoctionis facilitatem commodi præbet: tenue verò aliud dicitur, quod patiendi facilitatem quandam significat, quo pacto aqua vino tenuior est, quia facilius à naturali calore tractatur, & vincitur, quam ipsum vinum: argumento est autem, quod aqua foco apposita demum tota consumitur, & nihil post se relinquit: at vini, dum coquitur, crassum aliquid subsidet, quod in halitum verti non potest, & similiter quicquid hunc in modum tenue est, facilius concoquitur, quam quod non est, aut minus tenue est, quodque priori modo tenue dicitur, acutum videlicet, non facilius concoquitur, sed ob celerem eius eruptionem, & ad alia corpora penetrationem, subterfugere concoctionem dicendum est: cuiusmodi videtur esse spiritus ille vini igneus, quem dixi. Hæc igitur hactenus de vini commodis, & incommodis dicta sint.

Quibus præcipuè vini abstinentia vtilis sit. Cap. XXIX.

SI qui autem sunt, quibus vini abstinentia vtilis sit, ea profecto vtilissima est ijs, qui vitam sedentariam agunt, qui litteris operam nauant, qui liberalium disciplinarum studio distinentur: est enim à veteribus notatum, & litteris traditum, aquæ potoribus cum visum, tum omnem sensum acutiorem esse. Quid cibi ac potus incontinentia obesse ingenio

possit,

a Plin. lib. 35. c. 10.

possit, suo nos exemplo Protegenes *a* docuit, qui interea dum Ialysum pingeret (quæ tabularum eius palmam tulisse fertur) lupinis madidis traditur vixisse; quoniam simul famem sustinerent & sitim: ne sensus nimia dulcedine obstrueret. vini verò abstinentiam, de qua nunc agimus, litterarum cupidis maximè prodesse, Demosthenis, & Ciceronis exemplo nobis persuasum est: cum alterius orationes, Plutarchus *b* dixerit, aquæ potum referre: alteri verò vt probrum, obiectum fuerit (vt Dio *c* est auctor) à Q. Fusio Caleno, pro M. Antonio in Senatu dicente, quod aquam biberet, vt sermones posset contra Patritios Romanos elucubrare: prodesse quoque militibus, Niger Pescennius voluit docere, cum iussit (vt Spartianus in eius vita auctor est) in expeditione vinum à nemine bibi, nescio an à Platone doctus, *d* qui ex Carthaginiensium legibus, vetuit milites, dum in castris essent, vinum bibere. Quid verò de principibus, & magistratibus dicendum est, quibus non solum Plato vino interdixit, sed & Salomon *e* inquit, noli regibus dare vinum, ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum: viris autem Deo dicatis quanto salubrior sit aquæ potus, quam vini, Saladinus *f* docuit, vafer ille Sarracenorum imperator, cum captiuis quibusdam, vino & piscibus oblatis, voti & honestatis obliuionem induxit, quos non valuerat, apposita aqua, & carnibus, decipere. sed, ne sutor ultra crepidam, ut prouerbio dicitur, hactenus de uini continentia dixisse, satis esto.

b in Cicerone.

c lib. 6. hist.

d lib. 2. de legibus.

e Prouerb. c. 31.

f Gulielm. Neubrug. hist. Anglicanæ li. 4. c. 22.

Vtrum

Vtrum omni potu abstinendum sit. *Cap. XXX.*

IN qua disputatione etsi sumpsi, aliqua animalia potu semper carere; & superius in sermone de multorum dierum ieiunio, nonnulla exempla hominum nunquam bibentium allata sunt; tamen non est existimandum, salubrius esse omni potu abstinere: nam, vt intelligamus, quid in quoque genere natura velit, quidve sit illi consentaneum: non id oportet, quod paucis accidit, inspicere, sed quod omnibus, aut pluribus contingit: quæ enim hoc pacto non eueniunt, vel monstra, vel miracula, vel industriæ, & exercitationis opera creduntur. est igitur bibendi desiderium naturale, & necessarium: siquidem rarissimi potu omni abdicato viuant. Quæret igitur aliquis, cum possimus ita assuescere, vt nunquam bibamus, vtrum hunc habitum assequi, conari, bonæ valetudinis caussa, debeamus: nam ratione carere non videtur, si quis asserat vtilius esse non bibere, quam bibere: non enim necessarium videtur illud, quod potest remoueri: sicuti voluptates negabat esse necessarias apud Platonem *a* Socrates, quæ, si quis à teneris assuescat, auferri possunt: & ego ante sumpsi, vini vsum minimè necessarium esse, quoniam, sine vino multos degere, manifestum est. a lib. 8. de rep.

Verùm è contrario, potum plerisque animalibus necessarium esse, sensus ipse nos commonefacit, & ipse rerum vsus nos docet: non negamus, aliqua viuere sine potu, vt volucrum diuersa genera; sed in ijs, quæ bibere consueuerunt, quot reperiri licet, quibus potum non esse necessarium, affirmare iure merito possimus? rarum exemplum est, & dignum, quod litte-

rarum inseratur monumentis, siquis vnquam reperitur, qui potu semper abstineat: immo quasi monstrum, & portentum incredibile narrari solet: est igitur, vt ante dixi, vsus bibendi necessarius. potionis verò, postquam in ventriculum descendit, vsum esse duplicem, ante dicebam: cibum, scilicet, comminuere, atterere, & liquefacere, & eundem in venas deferre. Sed est prior his sitis extinctio: quam ob varias caussas vitare plerumq; non valemus: etenim cibus ipse solidus sitim inducit: labor quoque, quem effugere multi non valent, & non pauci spontè subeunt. Item inedia vel coacta, vel voluntaria, sitim accersit: & fames ipsa non raro subsidium à potu postulat: tanquam potus sit etiam ad eximendam famem necessarius: non enim frustra à viris grauissimis, quæsitum est, cur potione famelici liberentur, non autem cibo sitibundi: hoc enim ita se habere, sensus testimonio compertum est.

Immo siquis velit animum huic rei, & diligētiam adhibere; is facilè sibi persuadebit, potum, vt à stomacho excipitur, perinde atque cibum, famis abolendæ ministrum, & cibi auxiliarium, & eiusdem aliquando vicarium esse: sitim autem amouere, non vt à stomacho excipitur, sed vt per os, & fauces in illum descendit: atque proprium hoc esse potionis munus, cum alterum sit ei, ciboque commune: fames enim sanè videtur molestia quędam esse, quæ ab inanitate ventriculi inducitur; quæ tolli potest, quicquid sit, quod vacuam queat partem replere; sic in fame terram comedere lupi *a* dicuntur, & aliqui parce ac duriter victitantes, sola aqua ingesta sustentatos *b* Plutarchus affirmat: at sitis (si sensum eius diligenter inspicias) gulæ, & faucium potius videtur esse, quam ventriculi, etsi huius quoque sit: propterea

a Aristot. lib. 8. de hist. animal. Plin. lib. 8. c. 22.
b Symp. Dec. 6. probl. 3.

sitis

ſitis non auſertur cibis, ſed augetur : cibus enim, aut quicquid humidi eſt ab ore ad ſtomachum , quaſi ſpongia bibens, ſitim facit: aut partes illas, per quas ad ſtomachum deuoluitur, aliqua ſui portione ibi relicta, veluti gluten, ſublinens, humoris deſiderium inducit: quaſi nihil aliud ſitis eſſe videatur, quam moleſtia quædam, humoris (qui eſt potiſſimum in faucibus, & gula) defectum ſubſequens: qui humor potu reſtituitur: ſeu quia ſiccæ cibi reliquiæ faucibus, & gulæ hærentes, eluuntur: ſeu quia ipſo humore exſiccatæ partes imbuuntur, quod etiam in ea fit ſiti, quam labor, & inedia parit: nam corpus vniuerſum ex ſuccum per venas à ventriculo & inteſtinis, ipſeq; ventriculus à gula, faucibus, & ore humorem bibit, quem potus reſtituit.

Sed eſt etiam oris, & gulæ potius, quam ventriculi, quod aliquis malè à cibis afficiatur calentibus; cui affectioni auxilio eſt potus frigidus; ſicut calidus illos iuuat, qui vel naturæ proprietate, vel conſuetudine, calidis cibis gaudentes, humorem tantum in potu deſiderant, frigus autem recuſant: non quia ſitis naturaliter non ſit appetitus frigidi, ſicut humidi, quemadmodum ab Ariſtotele traditum eſt; ſed quia priuata ratione nonnulli eam moleſtiam ex calidis alimentis non ſentiunt, cui potu frigido occurrendum ſit. Verum fames, & ſitis ſæpe iunguntur, & eo fit, vtraque vt ventriculi affectio videatur. Cum igitur ex multis cauſſis neceſſariò ſitis oriatur, bibendiq; neceſſitas ineuitabilis naſcatur; & magna ſint alioqui commoda ex potu, quæ ante dicta ſunt; potus omnis abdicari nec poteſt, nec debet: neque pauciſſimorum exemplo, qui raro, aut nunquam bibũt, moueri debemus, quia quo natura, Deique prouidentia nos inuitat, ab eo facilè recedendum non eſt:

ſi quod in eo periculum eſt (quod certè in nimio potu ſolet eſſe) id facilè declinari poteſt, ſi eiuſdem prouidentiæ beneficium, rationem videlicet, adhibere aliquis velit. quæ monſtri ſpeciem ſubeunt, imitanda non ſunt, neque Socrates omnino negauit, neceſſarias eſſe voluptates, quæ remoueri conſuetudine poſſunt, ſed ita, ſi, cum inſunt, boni nihil operantur: at potionis commoda manifeſta ſunt, neque paria hæc ſunt, vini vſus, & bibendi vſus; etenim hoc genus, illa pars generis eſt: non autem ſemper de toto genere negandum, quod de illius parte negatur: ſit vini vſus non neceſſarius; vt expoſui; non inde efficitur nullum potum eſſe neceſſarium exiſtimandum: hæc hactenus.

De carnium abſtinentia. Cap. XXXI.

SED fuit etiam apud quoſdam celebris, de parcendo carnibus, opinio: de qua re locus hic iam poſtulare videtur, vt, quid ipſe ſentiam, paucis exponam. Non eſt autem huius inſtituti de Pythagoræorum ſomnijs, aut hæreticorum delitijs verba facere, qui carnium eſum abominati ſunt, & penitus condemnarũt, illi propter animorum à corpore ad aliud corpus migrationem; μετεμψύχωσιν appellabant, quam princeps eorum Pythagoras commentus erat; hi ob ſimulatam vitæ munditiem. de his, inquam, non ſum dicturus: quoniam illorum deliramenta ad bonam valetudinem minimè pertinent: propterea etiam ſilentio prætereunda eſt pia multorum affectio, qui vt apud Deum gratioſi magis euadant, ſuiſque angoribus, & accubitatibus benè de genere

humano

humano mereantur, vt in reliquo victu omni moderationem, & temperantiam sequuntur, ita sensuum dulcedinem, & voluptates abstinentia carnium frangere nituntur: quorum tam probāda pietas est, quam aliorum ridenda dementia,

Propterea Porphyrij quoque nugas, quibus suadere carnium abstinentiam conatus est, missas faciemus: quod verò huc pertinet, hoc solum inuestigandum, nonnullis *a* enim tanta homiui videtur esse cum brutis animātibus, dissimilitudo, vt rationi consentaneum videatur, brutorum animalium carnem naturæ humanæ non conuenire: *b* nec videtur natura fecisse hominem, vt carnibus vesceretur, nam animalia, quæ carniuora facta sunt à natura, eam habent corporis speciem, & figuram, quæ, vt est humani corporis constitutioni dissimilis, ita ad esum carnium videtur aptè conformata, aduncum rostrum, vngues acuti, dentium asperitas, alui robur, & spiritus ad concoquendum potentissimus, at in homine os planum, dentes, & vngues æquales, & lenes, venter debilis, spiritus, calorve imbecillis: quibus addunt; *c* cum crudæ non edantur ab hominibus carnes, sed aut elixæ, aut assæ, aut ex iure diuersorum iniectis generum condimentis; hoc esse argumento, quod hominis naturæ non congruant, alioqui crudæ assumi deberent, vt ab animalibus carniuoris solent: si igitur humanæ naturæ non conueniunt, ergo nec sanitati vtiles debent existimari, immo, *d* noxias esse docemur concoquendi difficultate, & molestis cruditatibus, quas in nobis pariunt: item *e* putredine, qua facilè, & grauiter capiuntur adeo, vt promptissimè in eis vermes nascantur. quapropter credere est, in humanis quoque ventribus ob illarum esum vermes generari, atque ideo pueris maximè insalubres

a Contra vsum carnis arg. 1.

b arg. 2.

c 3. arg.

d 4 arg.

e 5. arg.

esse.

a 6. arg. esse. & *a* quia, vt ægrotis prohibentur, ita bene valentibus non conducere, dicendum est, cum eadem remedia morbos pellere, & sanitatem conseruare credantur. Hæc obijciuntur.

Responsio. b ad 1. At quid his argumentis, quæso, concluditur? bruta *b* sunt animalia homini dissimilia: sed, quid plantis dissimilius? illarum tamen fructibus nutrimur, & vtilius, ac iustius (vt multis argumentis *c* aliqui docuerunt) vescimur. Homo *d* caret rostro, serratos dentes non habet, & huiusmodi, quibus carniuora esse prædita dictum est: fateor, sed habet his meliora ad venatum instrumenta, cauet, retia, missilia, & alia, quæ dentium acumen, vnguium, ac rostri aduncitatem vel adæquant, vel superant: ad concoquendum crudas carnes inferior quidem homo est: at, coctæ vt conficiantur, nec calor, nec spiritus homini deest: cum *e* verò negatur, carnes homini conuenire, quia crudæ ab eo non esitantur; quid hoc est, nisi feram ex homine constituere? dicamus pariter triticum, hordeum, far, & alias fruges nobis non conuenire, quia cruda non deuorantur, immo in alienam speciem, dum panis ex illis conficitur, transmutantur: nec sunt etiam condimenta damnanda; luxus iure quidem exploditur, sed condimentorum vsus est sæpe necessarius: his enim sæpe fit, vt ciborum appetentia veluti emortua, magno vitæ commodo reuocetur: neque illud *f* conceditur: esse concoctu carnes difficiles, & cruditates inducere (modo ne nimium ingerantur.)

c Porphyr. lib. de abstin. anim.
d ad 2.
e ad 3.
f ad 4.

Sunt nonnullæ quidem carnes valentissimi generis, quæ non facilè concoquũtur, sed sunt etiam nonnullæ infirmiores, quæ difficultatem non habent: sed plurimum mensura possumus: nam aliquis ex valentioribus nonnihil tuto assumet, qui in leuioribus sine

periculo incontinens esse non poterit: sic panis, & olerum vsus immoderatus, & cruditates parit, & morbos inducit: atque, illẽ inquit, *a* ego, qui me ostreis, & murę nis facilè abstinebam, à beta etiam, & malua deceptus sum. quod *b* verò facilè carnes putrescant, id vsum illarum magis probat, ob cognationem videlicet, & similitudinem, quæ nobis cum ceteris animantibus intercedit, quando & humana cadauera promptè putrescunt, & vermes producunt: similia autem similibus gaudent, & conseruantur: non enim quærimus, vt cadauera seruari queant; quod illa præstant, quæ putredinem arcent, & diutissimè manent incorrupta; sed vt viuentia sustineantur, quo alimento fit opportunè sumpto: quod autem pueris familiaris morbus sint vermes, non caro facit, sed edacitas, & expletio assidua, vt Galenus *c* est auctos, cum innato calore, qui in corporibus, quę crescunt, plurimus est: nam adulti, ac seniores, etsi plus carnium deuorant, vermes tamen non, vt pueri, gignunt, quoniam calorem innatum, atque illi, tantum non habent. Sed *d* nec medici semper ægrotis carnes prohibent, nec omnino in secunda valetudine aduersæ præsidia salutaria sunt: imminentes quidem, atque præsentes morbos eodem remediorum genere curari, Galeno *e* assentiemur: sed vt sanitatis, & imminentis mali status dissimilis (neutram appellat *f* Galenus dispositionẽ; οὐδ᾽ετέραν διάθεσιν) ita curatio dispar est: nam ille per similia conseruatur, hic per contraria corrigitur.

a Cic. ep. fam. 126. lib. 7.
b ad 5.
c ad 3. ph. 27.
d ad 6.
e lib. art. med. c. 99. de cur. rat. per sang. missi. c. 7. & 6. aph. 47.
f lib. art. med. c. 82.

Eius carniũ homini accommodalus.

Contra verò, carnium esum naturæ hominum esse accommodatum, his ostendi potest: etenim pauci admodum reperiuntur, qui carnibus non vescantur: immo si qui sunt, id eis non accidit naturæ contrarietate, aut repugnãtia, sed vel inopia; vt de Ichthyo-

phagis

phagis quibusdam dicitur; vel religionis studio; quod *a* Strabo ex Posidonio de Mesis scriptum reliquit, hi enim pietatis ergo ab animalibus abstinebant, melle autem, lacte, & caseo vescebantur. Sed ob valetudinem neque hos abstinuisse nouimus, neque alios, quos multos *b* Porphyrius memorat, Lacedęmonios, Persarum Magos, Indorum Brachmanas, & Samonæos, Syros, & variarum gentium Sacerdotes: immo de carnibus dici posset, quod Varro de Melle: Dijs & hominibus esse acceptas, quod veniũt in altaria, & in omnium mensas administrantur: illud verè dicitur, sacrificiũ Abel ex animalibus Deo Opt. M. gratius, quam Cain ex telluris fructibus, visum esse: & quamuis Abel sacrificium Deo acceptum fuerit, non quia fœtus ouium ab eo magis, quam terræ fructus diligerentur (vt *c* Sancti interpretes notarunt) sed ob piam illius voluntatem, vitæq; integritatem; ex eo tamen intelligimus, ab animalium sacrificio Deum non abhorruisse: & cædes animalium, vt ab homine alienas, non esse damnandas, quas sibi offerri Deus permisit, & comprobauit, quicquid de brutis animalibus sacrificandis à Porphyrio scriptum sit.

a lib. 7. georg.

b lib. 4. de abstin. animat.

c S. Aug, tract. 6. in epist. S. Io.

Sed veterem quoque opinionem, quod Pythagoras carnes non esitauerit, falsam esse, A. Gellius *d* docuit, Aristoxeni, qui Aristotelem audiuit, auctoritate, & ipsius Aristotelis testimonio, cuius Plutarchum meminisse, testatur. dubiam uerò huius rei famam fuisse, certè eo ostenditur, quod Pythagoras, cũm in Geometria quiddam noui inuenisset, Musis bouem immolasse dicitur: quamquam Cotta ille apud *e* Ciceronem dicit, id se non credere, quoniam Pythagoras ne Apollini quidem Delio hostiam immolare uoluit, ne aram sanguine aspergeret: quibus

d lib. noct. act. 4. c. 11.

e lib. 3. de N. D.

addi

addi poteſt, carnis eſum in ægris hominibus minus, quam fructuum, vel piſcium ipſorum, ſuſpectum eſſe: propterea in ſanis quoque præferri oportere. *a* Hippocrates admonuit, à fructibus abſtinendum eſſe, βέλτιον, inquit, ὀπωρῶν ἀπέχεσθαι, veteres nouimus, ægros, & ſanos, carnibus, & piſcibus promiſcuè veſci conſueuiſſe: cumque magna ſit in vtroque genere varietas; me non latet, vix aliquid commune ſtatui poſſe: itaque *b* Hippocratem recuſaſſe, de cibis generatim aliquid definire: ſed ſingulorum vim, & naturam conſiderandam eſſe, iudicaſſe: tamen *c* Galenus, carnes generatim, cum probe concoctæ fuerint, ſanguinem optimũ efficere, aſſeruit: atque ideo illius auctoritate conſtat, non eſſe ab eo fugiendas, qui bonæ valetudinis ſtudioſus exiſtat: cui *d* Auicenna ſubſcribere viſus eſt, cum dixit, ex pane minimè concocto grauius eſſe, quam ex minimè concoctis carnibus detrimentum: vnde & illud tam vulgatum manaſſe videtur, omnis generis repletionem malam, ſed ex pane peſſimam eſſe.

a lib. 3. de diæta.

b li. 2. de diæta.

c Initio lib. 3. de alim. facult.

d 3. 1. doct. 2. c. 7. in fine.

De cibi, & potus varietate, & ſimplicitate. Cap. XXXII.

RELIQVVM verò eſt ex his, quæ initio propoſita ſunt, de ciborum, ac potionum varietate, ac ſimplicitate verba facere: *e* varietatẽ enim ita nonnulli damnarunt, vt naturę contrariam eſſe dixerint, atque hoc ſibi perſuaſum eſſe, quod ceteræ animantes, quæ naturali inſtinctu ducuntur, ſimplici viuunt cibo contentæ, & hac de cauſſa ſunt firmiore, quam homines, valetudine: quod de ijs accipiendum eſt, quæ libertate gaudentes in agris degunt, & naturam

e Contra varietatem arg. 1.

ducem ſequuntur: nam, quæ curæ hominum ſubijci ſolent, & varietatem quandam ad ſaginam capiunt, eæ morbis perinde, atque homines, multis, & grauibus implicantur: quo videtur *a* etiam doceri poſſe, noxiam, & bonæ valetudini aduerſantem eſſe ciborum varietatem: quam ſententiam alioqui probant medicorum auctoritate, quos vident ægris variorum vſum eduliorum negare: & adijciunt, medicinæ auctores præcipuos eundem, vt noxium, cauendum, in ſuis commentarijs admonuiſſe: quos, veriſimile eſt, Hippocratem eorum ducem clariſſimũ ſecutos, qui, libro de flatibus, duplici nomine malam eſſe viuendi rationem, ſcripſit: aut quoniam plus, quam par eſt, aſſumitur, aut quoniam edulia varia, & diſſimilia ſunt, quæ turbas excitant, nec pari celeritate concoquuntur: &, libro ſecundo de diæta, condimenta idcirco damnauit, quoniam inter ſe viribus diſſidẽt, quæ ſententia non ſolis medicis placuit, ſed ab omnis pene generis auctoribus comprobata eſt: ita enim *b* Horatius, inquit, Variæ res Vt noceant homini credas memor illius eſcæ, Quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis, Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoq; tumultum Lenta feret pituita: vides vt pallidus omnis Cœna deſurgat dubia. Sic *c* Plinius: homini cibus vtiliſſimus ſimplex, aceruatio ſaporum peſtifera, & condimenta pernicioſiora. Delius Antiphanes (vt *d* Clemens Alexandrinus teſtatur) ſolam morborum cauſſam ciborum varietatem exiſtimauit. Plato, libro tertio de Republica, ciborum varietatem muſicæ varietati ita comparauit, vt ex hac morbos, quemadmodum ex illa intemperantiam, naſci affirmauerit, atque varietatem vel Homeri teſtimonio penitus damnauerit: namque Homerum

a arg. 2.

b lib. 2. ſerm. ſat. 2.

c lib. 2. c. 5.

d lib. 2. pædag. c. 1.

va-

variorum non meminisse condimentorum, immo nec piscium nec elixarum carnium arbitrabatur: scilicet *a* cibus varius facilius, citiusq;, quam simplex, corrumpi videtur, non secus, quam Reipublicæ accidat, quæ omnis generis hominum colluuie plena sit: in hac enim, vt vix potest concordia, & voluntatum coniunctio reperiri; quæ vel sola Respublicas tueri potest; sic & ex cibo vario alimentum corpori salubre, ac firmum accedere vix potest: cibis, inquiunt, idem, quod coloribus euenit: hi namque, cum simplices sunt durabiliorem, & præstantiorem picturam efficiunt: cumque alij ocius, alij verò serius concoquantur, quis non vereatur, aliquod ex hac diuersitate oriri corporibus detrimentum, perinde atque musici citharas, aliave organa diuersis munita fidibus tractantes sonorum confusionem suspectam nunquam non habent? cibus, *b* insuper, varius quam simplex, difficilius concoqui existimatur, vt etiam paratur difficilius: &, quia vires habet contrarias, obsistit concoctioni, sicuti pugnantia in oratione argumenta persuasionem ac fidem impediunt: de vino potoribus credendum est, qui nihil æque fugiunt, quam vinorum permixtionem, hac enim ocyssime induci ebrietatem experiuntur: qualis autem est ex vino ebrietas, talis ex cibo cruditas videtur esse: ergo, vt vinorum, ita & ciborum varietas, veluti concoctionis impedimentum, vitanda est. His *c* accedit, cibi copiam sine controuersia mille periculis obnoxios nos reddere, varietateq;, veluti lenocinio quodam, illius meretricis imperio nos subijci: copia enim, non secus omniũ corpora, quam meretrix adolescentium mentes ad perniciem inducit: nam adiunctam habet magnam varietas iucunditatem, escam videlicet, malorum: propterea Socrates, vt legitur apud *d* Xe-

a arg. 3.

b arg. 4.

c arg. 5.

d lib. 1. de Socrat. memorabilib.

nophontem, cum docebat, ad vitãdam expletionem, remedio esse, si cibis, qui non esurientes ad comedendum inuitant, minimè vescamur, nec bibamus vina, quæ vel à non sitientibus auide expetuntur; vnam varietatem damnasse creditur: etenim sibi vnum erat obsonium, fames, nullaq; erat non iucunda potio, cum nunquam biberet, nisi sitiret: sic olim Persæ vnum cum pane nasturtium (nisi quis venatu aliud opsonium cõparasset) suauiter comedisse, & aquam bibisse ferũtur: id quod ad sanitatem custodiendam expeditissimum videtur; quod *a* ipso etiam vsu rerum docemur, cum robustiora, & firmiori valetudine corpora illorum sint, quos simplici victu viuere necesse est: cuiusmodi rusticani sunt, operarum ingens numerus; famuli, mancipia, & id genus, sed & honestiores, ac splendidiores personæ; quas tradunt multas; cum bonam valetudinem, tum vitam diutinam per hanc viuẽdi rationem consecutæ sunt: qualem fuisse ferunt Cyrum cum illo Persarum victu, quem scribit Xenophon *b* valde senem esse defunctum, nec vnquam animaduertisse in senecta se imbecilliorem, quam in iuuenta, redditum esse: qualem Masinissam Maurusiorum regem, qui ante tabernaculum stans sine pulpamento cibum capiebat, cibario pane, & bellarijs militaribus contentus: & post annum nonagesimum secundum Carthaginenses bello superauit: qualem Cato seipsum apud Ciceronem describit, qui, annum agens quartum & octogesimum, nullum officij genus à se desiderari sinebat: & ita vixit, vt superuacaneis rebus non egere præclarum putauerit, & eodem pane, vinoq; eodem, quo serui, vesci consueuerit. Sunt quoque nationes quædam, & gentes (quarum historiam texere huius loci non est) quæ vniuersæ ob victus simplicitatem,

a arg. 6.

b lib. 8. de Cyri instit.

cum

cum sanitatis bono fruuntur, tum diutissimè viuunt:
vt mirandum *a* non sit, Hippocratem, libro de diæ- a arg. 6.
ta acutorum, deteriorem; sed sine varietate; viuendi
rationem, quam meliorem; sed variam, magis com-
mendasse: his igitur ciborum varietas accusari solet.

Contra verò argumenta non desunt, quæ eandem pro varietate ratione.
naturalem, atque vtilem esse, docere posse videãtur:
hocque in primis, secundum naturam illud à nobis
existimari, quod semper, aut plerumq;, seu omni-
bus, aut plerisq; contingit: rerum autem varietatem
omnes cupere, omnibus iucundam esse: togare equi-
dem singulos nemo potest, ineptumq;, ac ridiculum
est hoc cogitare: verumtamen si quisque semetipsum
ad examen reuocet, intelliget, ciborum varietatem
vt iucundam, ita naturaliter optabilem esse: scilicet,
non naturę impulsu, sed admonitionibus, & consilijs
hanc relinquimus, & cauemus: deinde quis negare
possit, secundum naturam id esse, quo animalia læ-
tantur, & pinguiora euadunt? hoc enim de varietate
ciborum ab *b* Aristotele scriptum est, vbi de suibus b lib. 8. de hist. anim.
verba faciens dicebat, illis ad alendum, & pingue-
faciẽdum varietatem esse optimam, gaudent enim,
inquit, vti cętera quoque animalia mutatione, χαίρει
γὰρ μεταβάλλουσα, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ζῶα, quæ ra-
tio est superioris sententiæ, τὸ δ' ὅλον, μὴ ποιεῖν
ἁπλῆν τὴν τροφὴν ἀλλὰ ποικίλην. scilicet ἄριστον πρὸς
τὸ πιαίνειν, in vniuersum optimum est ad pingue-
faciendum cibus non simplex, sed varius: colorum
mira varietas in hac mundi pictura oculis semper
obuia, & iucunda naturaliter, & amica nobis est be-
nè affectis, & ritè constitutis: variorum item odorum
fragrantia, variusq; sonorum concentus naturaliter
iucũdus est; cur igitur sapores varios accusabimus?
cibis adiunxit natura iucunditatem non frustra; non

temere

temere item varios procreauit rerũ, quibus alimur, sapores; ergo qui varietatem damnat, naturam quoque ipsam redarguere videtur.

Sed habet etiam vsus quosdam suos varietas in medicina: etenim ciborum fastidium in ægris delet, & appetentiam irritat, vt *a* Asclepiades scripsit, & res ipsa nos docet: & est traditum ab *b* Hippocrate, varietatem cibi, ac vini ijs prodesse, qui alui adstrictione laborant: neque *c* vera sunt, quæ obijciebantur: primò, scilicet, brutas animantes simplici vesci alimento: etenim notum illud est, quod (vt *d* Plutarchus, & *e* Macrobius retulerunt.) Eupolis comędiæ poeta scripsit; cum in ea fabula; quam Capras inscripsit; capras induxit dicentes, omnigena se vesci materia, abiete, ilice, arbuto, cythiso, smilace, lentisco, oleastro, fraxino, quercu, hedera, myrica, & alijs plurimis, quæ non viribus minus, quam nominibus inter se differunt: quod quamquam capris eo loco tribuitur, videre tamen est etiam in alijs animalibus: quæ libere vesci possunt, cuiusmodi boues sunt, quod genus dicebatur à Theophrasto *f* omniũ maximè omniuorum esse, atque si quis obijciat, dictam materiam vno quodam genere contineri, videlicet plantarum dumtaxat; Pliniumq; interpretatum sic esse hunc Theophrasti locum, atque si de solis herbis locutus esset: illa enim Plinij *g* (boues omniuoræ fere sunt in herbis) cum alijs, quæ præcedunt, ex eo, quem diximus, Theophrasti loco transcripta sunt; homines autem multo magis varia, & dissimili materia delectari, nempe herbis multiplicibus, diuersi generis fructibus, omnigenis frugibus; piscibus, auibus, quadrupedum deniq; multarum carnibus; hoc, inquam, argumentum facillimo negocio diluitur: nam brutæ sunt etiam, animantes, quæ non tantum car-

a Celsus lib. 3. c. 6.
b lib. de salub. diæta.
c Responsio ad arg. 1.
d Symp. dec. 4. problem. 1.
e lib. 7. Saturn. c. 5.
f lib. 9. de plantis.
g lib. 21. c. 8.

carnibus, frugibus, herbisq; , sicut homines, pascuntur, sed etiam omnigena comedunt semina, muscas, culices, vermes, & omnis generis insecta naturaliter deuorãt, quorum exemplum habemus domesticum gallinas; ne cornicem & Gauiam commemorem.

Omniuora, ex brutis animalibus quædam dicuntur, παμφάγα Greci appellant (mẽtitur enim apud *a* Plutarchum Gryllus, cum dixit, hominẽ solum omniuorum esse) sunt autem eiusmodi ex aquatilium genere ea, quæ molli cortice conteguntur, quæ non tantum carnes, sed & stercora, & lepides deglutiunt: cuiusmodi sunt etiam inter terrestria serpentes, & lacertæ, item (vt omittam canes, & sues, qui nobis ante oculos semper versantur) vri, & simiæ, quin & insectorum quædam παμφάγα dicuntur, vt ab *b* Aristotele scriptum est, quæ verò ab hominibus animalia curantur, non ob varietatem magis ægrotãt, sed ob pabulum, cui labores crebro minimè pares existunt, sed vel illud superant, vel ab illo superãtur.

a libro, an bruta ratione vtantur.

b lib. 8. de hist. anim.

Vtrum cibi varij seditionem pariant. Cap. XXXIII.

QVOD vero *c* de auctorum grauissimorum sententia dicebatur, accurate considerandum est: atque, cũ de varietate idem ego, quod illi, sentiam; scilicet, idcirco noxiam esse, quia nos adducit ad luxum, & intemperantiam: nam efficit, vt plus capiamus, quam bonæ valetudinis causa expediat; altera pars in controuersia est, quod videlicet Hippocrates dixit, varia edulia ob dissimilitudinem turbas parere, & non eadem celeritate confici, cuius auctoris, etsi grauissimi, sententia ad disquisi-

c ad 2. arg.

ſquiſitionem ideo reuocanda eſt. quoniam ipſe ſigni ficauit, non debere nos eam, veluti ab oraculo recipere: cum enim rationem attulerit, non compellere, ſeu imperare, at maluit ſuadere, & rationũ momentis perducere: etenim qui rationes affert, is auditorem, ſeu lectorem ſibi iudicem conſtituit, qui pondera rationum examinando, de propoſita ſentẽtia decernat: itaque iure ac merito facimus, ſi rationem Hippocratis perpendendam ducimus.

Eius vero duo ſunt membra: alterum eſt, quod ait, varia edulia ſeditionem, & turbas inducere, τὰ ἀνόμοια, inquit, στασιάζει: alterum vero, quod non eodem tempore, ſed alia citius, alia tardius concoquuntur. primum ergo primum examinemus, quod ſi res variæ eſſent omnes, cuiuſmodi homines ſunt, qui mores inter ſe diſſimiles habent; quę cauſa eſt ſeditionum ac turbarum maxima; hæc ratio conuinceret: ſed rem videmus in alijs aliter ſe habere: quia contrariorum temperatione omnia conſtant, & quamquam res à natura conditæ, ob uim contrariorum; quę ſe mutuo ſemper oppugnant, atque ideo nexum, quo quaſi uinciuntur, diſſoluunt; neceſſario denique corrumpuntur: id tamen eſt naturæ ingenium, ut ex contrarijs elementis opera pulcherrima conſtituantur, certum tempus duratura: ſicut apes ex diſſimilibus plantarum plurimarum floribus mella conficere doctæ ſunt, cur non ſimiliter naturam in nobis putem, e diuerſorum generum alimentis, ex uarijs ſaporibus, & condimentis poſſe optimum ſuccum elicere ad nutriendum? mihi certe conſtare uidetur, a uarietate protinus, & ubique ſeditionem neceſſario non oriri.

Alterum uerò; periculoſam, ſcilicet, uarietatem eſſe, quoniam alia citius, alia tardius concoquuntur

tur

tur; robur aliquod habere uideretur, si cuncta simul in uentriculo edulia concoqui oporteret; sed alio loco, *a* id necessarium non esse, abunde explicaui: hęc ad Hippocratis auctoritatem. cæteri auctores non aliam ob causam audiendi sunt, nisi quia recte nos admonent, uarietatem esse ueluti expletionis, & saturitatis lenocinium: ea enim fit, ut plus cibi capiamus, quam par est, at scire licet, hoc, non naturæ, quæ nunc inspicitur, sed imprudentię crimen esse, magnum est in uarietate periculum, quia uoluptatem delibare solum, & confestim deserere, homini difficile est: sed prudenti, & amanti nihil difficile, chordarum multitudo in musicis instrumentis, fistularum coniunctio multarum, multa uocum uarietas concentus efficit iucundissimos, quorum suauitas humanos ita perfundit sensus, ut nihil aliud, quā uoluptatem malint: eademque ad mollitiem, & luxuriam, fortitudine, & temperantia deserta, homines allicit: propterea in simplici musica periculi minus est, sic igitur ex ciborum, ac saporum uarietate facile in morbos incurrimus: scilicet hoc est, quod Plato significauit: non enim aliam ob causam periculum est in uarietate, nisi, quia facile succūbimus uoluptati: sed memento, te hominem esse, tibique rationem inditam, cuius ope efficias, vt voluptas tibi inseruiat, non autem imperet. Sic enim intelliges, magno vitæ commodo tantam rerum varietatem à natura procreatam, & nobis oblatam: atque non in re, sed in nobis ex varietate vitium esse. Homerum autem & piscium mentionem fecisse, & obsoniorum varietatem, & iucunditatem cognouisse, & indicasse, libris variarum obseruationum explicaui.

a in disput. de ciborum ordine.

Quod *a* verò cibum varium citius, faciliusq; corrumpi prædicant; quod discordia, lites, iurgia citius,

b ad arg. 3.

faciliusq; in ciuitate omnis generis hominum colluuie plena, quam vbi vnius gentis existunt ciues, oriantur; huic respondi paullo ante, cum dixi, res natura constanteis, etsi varias, coire tamē aliter, quam hominibus accidat: homo potest alicui velle & nolle conciliari: quæ verò naturæ opera sunt, ex contrarijs elementis ita sunt constituta, vt ipsi repugnantiæ id, quod sunt, acceptum referant: vt non inepte ille antiquissimus litem in primordiorum numero posuerit. Colorum quoque ratio non obstat: nam vt ex varijs necessariò coloribus pictura conficitur, ita varij sapores optimum possunt alimentum conficere: si verò pictura perennitatem ex colorum simplicitate assequitur, quid est in cibo simile, quod alimēti perpetuitatem efficiat? immo quia salubrior cibus est, quo facilius concoquitur, idcirco tantum abest, vt varius cibus ideo damnandus sit, quod facilius corrumpatur, vt hac ipsa de caussa sit simplici præferendus: nam quod facilè corrumpi potest, aut omnino, aut saltem, si modus adhibeatur, facilè quoque concoquitur. Neque citharæ, & aliorum organorum suspecta confusio est, nisi ob artificum imperitiam: nam aliàs Musica, seu Harmonia nihil est, nisi di-
a ad arg. 4. scordia concors. a

Sed quia èontrario dixere alij, cibos varios difficilius concoqui, quoniam difficilius parantur: dico, dissimilem esse concoquendi, & parandi rationē: hoc facit hominum industria, quæ varijs eget instrumentis, illud à natura fit, cui omnia præsto sunt: neque concedo, quod adijciunt, varietatem ciborum concoctioni, ob virium repugnantiam, obsistere; nisi plus assumptum sit, quam stomachus ferat: de qua re satis ante dictum est. Nec me ebrietatis exemplum mouet: neque enim fatebor, vinorum varietatem,

vinorum varietas cur citius inebriet.

nisi

nisi etiam iustum bibendi modū egrediantur, ebrios facere: dixerim tamen, cieri promptissimè à vinorum permixtione ebrietatē: nam in vino magna ad commouendum vis est, cuiusmodi in cibis non est: propterea celerius viam suam exerit vinum, quam possit ipsum natura formare, & suis (vt ita dicam) moribus imbuere: at ciborum segnior facultas est, & minus promptè nos afficit: atque, cum sæpe vtilis ciborum varietas reperiatur, nunquam nocet, nisi copia quoque cum ipsa coniungatur: vinorum varietas vel sola potest obesse: nam sapor vini excellentius quiddam est, quam ciborum sapor, & peculiarem quandam in nobis vim habet vel consensionis, vel repugnantiæ: etenim consensionis argumētum habemus, vini præsertim desiderium in ægris vsque ad insaniam: repugnantiæ verò, ægrorum gustatus à vino singulariter malè affectus, nam quibus alia omnia talia videntur, qualia sanis apparent, vinum vel dulce (vt sani iudicant) sæpe amarissimum sentiunt: idcirco à vinis vehementius, quam à cibis afficimur: nec secus gustandi sensus læditur, quam videndi, & audiendi, & reliqui, quos ab excellenti sensibili corrumpi, inter omnes constat: immo animal quoque ipsum ab ijs corrumpi, quæ tactum, & gustatum afficiunt, notatum est ab *a* Aristotele, ac litteris traditum. a lib. 3. de anima. tex. 67.

Ex quibus intelligitur, cruditatis, & ebrietatis dissimilem rationem esse: & iure meritò celerius à vino ebrietatem, quam ex cibis cruditatem oriri: nec sequi, si varietas vinorum ebrietatem promptè arcessit, ciborum quoque varietatem cruditatis caussam necessariam esse. *b* Quod deinde obijciebatur, à varietate homines adduci ad expletionem, & saturitatem, satis ante dixi, hoc non ciborum, sed hominum b ad 5. arg.

a ad 6. arg. vitium existimandum. *a* Neque nego, cautius egisse, & nunc agere, qui simplicibus cibis vescuntur: quoniam cum saturitate acrius simplicioribus, quam multiplicibus cibis contendimus: nam & cum scortis versari, & lupanaria, & ganeas frequenter adire, & continentem esse, ac Veneris laqueos euadere, difficillimum est.

b ad 7. arg. *b* De Hippocratis sententia, postremo loco, ignorandum non est, sermonem illi non esse de ciborum varietate, sed de consuetudinis mutatione: etenim mutationes esse periculosæ consueuerunt, adeo vt non solum timendum sit, si bonam aliquis viuendi rationem repente deserat, & ad malam conuertatur, verumetiam si, deteriori constanter assuetus, subito ad meliorem transferatur, quod generatim ab Hippocrate dictum, non solum non refellit ciborum varietatem, sed eo etiam probat, quo eos docet; qui varietate gaudentes longo iam tempore vario cibi genere vesci soliti sunt; ad victum simplicem repente sine periculo transferri non posse: non enim comparat varietatem cum simplicitate, sed deteriorem cum meliori: nam præstat, deteriorem seruare, quam repẽte deserere, vt meliorem sequamur, *φαύλη δίαιτα βρώσιος, καὶ πόσιος αὐτὴ ἑωυτῇ ἐμφερὴς ἀεὶ ἀσφαλεστέρη ἐστὶ τὸ ἐπίπαν ἐς ὑγείην, ἢ εἴ τις ἐξαπίνης μέγα μεταβάλλοι ἐς ἄλλο κρεῖττον*, vitiosa, inquit, victus ratio comestionis, & potionis, ipsa sibi ipsi similis semper, securior est ad bonam omnino valetudinem, quam si quis repente magnopere ad meliorem mutetur: quæ verba ad varietatem ciborum, & potionum non pertinent; sed communia sunt, ac de quacumq; victus ratione dici possunt, seu inter simplicem deteriorem & meliorem comparatio sit, seu inter variam vel bonam vel malam, & simplicem vel bonam, vel malam, seu inter varias, cum alia me-

melior, alia deterior queat esse: semper enim tutius in ea se aliquis continet, quam diu constanter seruauit, quam si subito ad meliorem, magna facta mutatione, transferatur.

Mutatio grauior abinedia ad saturitatem, quam contra. Cap. XXXIV.

SED opportune incidimus in hunc sermonem vt duæ non omittendę quæstiones paucis explicentur: cum enim plerique illam viuendi rationem sequantur, quæ ei pot'us, quod est nimium, quam mediocritati accedit (cum etiam aliqui non desint, qui parce ac duriter nimis victitant; qui tamen pauciores sunt) si quis admonitus salubriorem viam ingredi velit, is iure ac merito quæret, subitone, ac repente, an paullatim deserere consuetum viuendi genus debeat. ac rursus cum accidat, vt post longam inediam nonnulli, oblata ciborum copia, intemperanter statim impleantur, & contra alij cibo distenti multo confestim inediæ sese dedant; vtra mutatio grauior, & periculosior existimanda est? De priori quæstione breuiter dico, subitam defectionem probandã videri ob eam, quæ inter prauos mores, & morbos, sanitatem, & virtutem, notissima similitudo est: nec enim à vitijs ad virtutes paullatim transeundum est, sed quamprimum vitia deserenda penitus, illorumque memoria obliteranda: & licet non subito uirtutem (quia habitus est pluribus actionibus acquirendus) induere possimus, virtutis tamen officia valemus statim, vitiosis factis penitus omissis, exercere: itaque & ea statim deserenda, quibus male valemus, & ad ea accedendum, quibus bonam valetudinem

Non subito sed paullatim victus consuetus mutandus est.

nam

nancisci, & tueri possumus.

Huic tamen sententiæ Hippocrates repugnat verbis ante recitatis, & *a* libro secundo aphorismorum, vbi generatim, atque vniuerse omnem repentinam, & insignem mutationem, tamquam naturæ inimicam damnauit: τὸ κατὰ πολὺ. καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁποσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν σφαλερὸν, καὶ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον, cui consona est tota illa tractatio secundi libri de victu acutorum, qua pluribus docet, atq; concludit, omnem subitam mutationē, quæ modum excesserit, noxiam esse: πάντα, inquit, ἐξαπίνης μέζω πολλῷ τοῦ μετρίου μεταβαλλόμενα ἐπὶ τὰ, καὶ ἐπὶ τὰ, βλάπτει. hoc est, omnia, quæ repente multo vltra modum in hanc, vel in illam partem permutantur, nocua sunt. nec morum & morborum similitudo tanta est, quanta sumitur in dicta argumentatione: neque enim animus adeo est obnoxius, atque corpus, mutationum periculis: potest enim qui diu auarus, qui iniustus, qui timidus fuit, repente sine periculo, ne lædatur animus, liberalitatis, iustitiæ, fortitudinis aggredi munera, at ea repente, ac multum (non solum enim Hippocrates dixit, repente, ἐξαπίνης sed adiecit, multum, κατὰ πολὺ, & πολλῷ μέζω τοῦ μετρίου) ea, inquam, repente, ac multum commutare, quibus diu corpus assueuit, hoc vero sine bonæ valetudinis periculo fieri non solet, itaque saluberrimum illud, & commune præceptum memoriæ nobis hęrere oportet, vt mutationes paullatim fiant, τὸ κατ' ὀλίγον ἀσφαλὲς: sic olim virum insignem, nobisq; amicum, à vitioso victus genere; quo integro decennio vsus erat; cum singulis diebus (magno tamen eius animi mærore) tantum cibi absumeret, quantum vix quatriduo ante accapere consueuerat; intra quadragenos dies, sensim

a 2. aph.

demendo, pristinæ moderationi tutò restituimus.

De altera quæstione non aliud sentiendum videtur, quam est ab ipso Hippocrate scriptum libro eodem de victu acutorum: fingere quidem, ac suadere sibi nonnulli possent, illos lędi grauius, qui ab expletione multa, & longa saturitate ad subitam inediã, quam qui ex inedia longa ad subitam expletionem transferunt: nam, cum naturæ magis consentanea expletio quam inedia, uideatur, vt initio huius tractationis ostendebatur; id verò, quod magis secundum naturam est, salubrius quoque non immerito iudicetur; ergo & salubrem magis ab eo, quod est præter naturam, ad id, quod naturale est, mutationem, etsi subitam, existimandam esse, quam illam, quæ ex aduerso sit. contraria tamen, & vera Hippocratis sententia est, cuius verba libro secundo de victu acutorum (vt nobis videntur legenda, nam vulgata lectio obscura nimis est, vt alibi *a* exposuimus) hęc sunt: πολλαπλασίν μὲν οὖν τῇ κοιλίῃ ἡ βλάβη ἐστίν, ἢν ἐκ πολλῆς κενεαγγείης ἐξαπίνης πλέον τοῦ μετρίου προσαίρηται. ἀτὰρ καὶ τὸ ἄλλο σῶμα, ἢν ἐκ πολλῆς ἡσυχίης ἐξαίφνης ἐς πλείω πόνον ἔλθοι, πουλὺ πλείω βλαβείη; ἢ εἰ ἐκ πολλῆς ἐδωδῆς ἐς κενεαγγείην μεταβάλλοι, καὶ ἢν ἐκ πολλῆς ταλαιπωρίης ἐξαπίνης ἐς σχολήν τε, καὶ ῥαθυμίην ἐμπέσῃ. δεῖ μὲν δὴ καὶ τὸ σῶμα τουτέοισιν ἐλλινύειν πλήθεος πόνου, δεῖ δὲ καὶ τουτέοισιν ἐλλινύειν πλήθεος βρώμης: ἢν δὲ μὴ, πόνον ἐν τῷ σώματι ἐμποιήσει, καὶ βάρος ὅλου τοῦ σώματος: hoc est. Multo igitur maius erit ventriculi detrimentum, si, postquam venæ multum conciderint, repente plus iusto intumescat: sed & reliquum corpus, si ex multa quiete subito ad plurimum laborem deducatur, multo magis lædetur, quam si ex multo esu ad uasorum inanitionem transmutetur, & ex multa fatigatione repente ad otium, & secordiam conuertatur: oportet

a libr. variarum obseruationum & in notis ad Hippocratem.

oportet quidem hos corpus quieti tradere, oportet vero & hos uentrem multo cibo continere, ſin minus laborem corpori inferet, & onus toti corpori.

Hæc autem Hippocratis ſententia confirmatur experimentis: nam multi uiſi ſunt, qui poſt ſaturitatẽ, & crapulam, unius, & plurium dierum abſtinentia ſubita incolumes remanſere; & contra, qui poſt longam inediam, ut in caritate annonæ, & penuria fit, repente ſeſe expleuere, plerique mortui ſunt: nec momentum eſt aliquod in contraria argumentatione, quæ explicata eſt: nã etſi concedimus, quod eſt magis ſecundum naturam, id quoque ſalubrius eſſe, & expletionem eſſe magis ſecundum naturam, quam inediam; non tamen ſequi fatemur, etiam ſubitam mutationem ab inedia ad ſaturitatem ſalubriorem eſſe quam e contrario: nam etſi finis aliquis ſalubris eſt, non tamen quælibet ratio, quę nos ad eum finẽ prouehit, æque ſalubris eſt: ut corpus uacuum excrementis eſſe, ſalubre quidem eſt, at non æque ſalubre eſt, repente, ac confeſtim, atque paulatim corpus medicamento mouere: Hippocrates, cum dixit, omne multum, πᾶν τὸ πολὺ, naturæ aduerſari, nos admonuit eſſe aliqua, quæ, alias ſalubria, ſi modus abſit, in ſalubria euadunt: itaque poſt inediam ſubita ſaturitas periculoſa eſt, & multo grauior, quam inedia poſt ſaturitatem, quia maior, quam hæc, illa mutatio eſt: nam qui ſatur eſt, poteſt inediam uel pluribus diebus ferre; quæ oneris cuiuſdam alleuatio eſt; at cui uaſa inania ſunt, ſubitum multi cibi onus tuto ferre non poteſt. His uero hunc in modum explicatis, nihil uidetur reliquum ad id perficiendum, quod mihi de ciborum, & potionis continentia generatim, atque uniuerſe dicturo propoſitum erat.

De rerum venerearum vsu. Cap. XXXV.

SED quoniam in eisdem Continentia & Temperantia voluptatibus versantur; quæ videlicet ex cibo, & potu, rebusque veneris capiuntur; cum de cibo, & potu; quantum bonæ valetudini conseruandę conducit; satis disputatum sit, locus hic iure postulat, vt quid sanitati venus prodesse valeat vel obesse, perpendatur. Fuere autem qui non solum ad sanitatem conseruandam vtilem esse venerem arbitrati sunt, verùm in morbis quoque nonnullis pro remedio esse: idque Hippocratis magni auctoritate confirmarunt: sed non est nobis hoc loco propositum, morbos curare: idcirco de veneris vsu in morbis, alio loco magis opportuno differetur: & quædam ante scripsimus priori variarum obseruationum libello: itaque propositæ tractationis contenti finibus, de sola bonæ valetudinis custodia disputabimus.

Venus damnata auctoritatibus.

Magni ergo viri, & ij quidem vetustissimi auctores fuere, qui nullo venerem commodo exerceri affirmarunt. Cliniam Pythagoricum, auctor est Plutarchus, *a* dixisse, tum mulieri adesse oportere, cum quis damnum aliquod assequi uelit. & Hippocratem, testati sunt A. *b* Gellius, & Macrobius, *c* ea dixisse, συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν, licet eadem Galenus *d* Sabini, & Clemens *e* Alexandrinus Democriti fuisse, dixerit: Si ergo venus parua epilepsia est, morbus est, ex morbo autem quod bonæ valetudini commodum proficisci exspectamus? Sed idem *f* Galenus, Epicuri fuisse sententiam, tradidit, veneris salubrem vsum nullum esse: quam Democritus

a 3. Sympos. 6.
b noct. attic. lib. 19. cap. 2.
c lib. 2. saturn. in fine.
d 3. epidem. com. 1. tex. 4.
e lib. 2. pædag. c. 10.
f lib. artis med. & 3. epid. 1. tex. 4.

a lib.18.c.6. quoque damnauit, vt Plinius *a* retulit: damnauit autem, quoniam ex homine homo ueneris ope emittitur: ſed huius rationis uis, quænã ſit, diuinare oportet, fortaſſe uoluit rei magnitudinẽ ſignificare: quia, ſcilicet, quod uenere excernitur (ut Hippocrates dicebat libro de genitura) robuſtiſſimum quiddam eſt, τὸ ἰσχυρότατον: argumento, quod paucula, inquit, adeo re emiſſa languor exoritur: & libro de morbis quarto dixerat, ex humoribus corporis non minimam, neque debilisſimam portionem οὐκ ἐλάχιστον οὐδ' ἀσθενέστατον, in ſemen ſecedere: quod *a* Ariſtoteles quoque ob eandem rationem *b* confirmauit: σπέρμα, inquiens, μικρὸν ὂν πολλὴν ἔχει δύναμιν. ἐκ πολλοῦ γὰρ ὀλίγον συγκεφαλαίωται; διὸ ὅταν ἀπέλθῃ λύονται ὡς ἐπιπολύ, ſemen exiguum cum ſit, multã habet poteſtatem: nam ex multo paruum compendium exſtat: quamobrẽ, ubi id recesſit, plerumq; reſoluuntur: & *c* alibi ἥ τε γὰρ ἔκλυσις, ἐλαχίστου, ἀπελθόντος τούτου, γίνεται ἐπίδηλος, exſolutio, minima huius parte ſecreta, fit manifeſta. Clemens quoque Alexandrinus ad eandem Democriti ſentẽtiam dicebat, homo ex homine naſcitur, & euellitur, uide damni magnitudinem, totus homo per exinanitionem coitus abſtrahitur, dicit enim, hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro ex carne mea, homo ergo tantum exinanitur ſemine, quantus uidetur corpore, eſt enim generationis initium id, quod recedit.

b 4. probl. 13.

c lib. 1. de gener. animal. c. 18

d lib. 2. pædag. c. 10.

Venus dannata.

Sed præterea afferuntur quoque nonnullæ non diſſimulandæ rationes, nec penitus negligendæ: dicunt enim, *e* uſu ueneris uitam reddi breuiorem, & argumento mulos eſse, qui diutius, quam parentes uiuunt, non ob aliam cauſam, quam ob coitus abſtinentiam: ſic & feminas diutius uiuere, quam mares, qui ſalaces fuerint, exemploque paſseres eſse: nam

e arg. 1.

mares

mares ob veneris vſum interire citius creduntur: itaque ab Ariſtotele *a* ſcriptum eſt, ſalacia cito ſeneſcere, τὰ ὀχευτικὰ, inquit, καὶ πολύσπερμα γηράσκει ταχὺ, quod & plantis perinde atque animalibus accidere, *b* Theophraſtus optimè animaduertit, ἡ δὲ καρποτοκία πολὺ τῆς φύσεως ἀφαιρεῖ, καὶ τὸ κυριώτατον, fructificatio multum aufert de natura, & quod potiſſimum eſt: dicit autem κυριώτατον, potiſſimum, quod Hippocrates ἰσχυρότατον, robuſtiſſimum, dixerat: ſubditq; ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ζώων συμβαίνει· τὰ γὰρ πολυτοκώτατα, καὶ γηράσκει τάχιστα, καὶ ἀπόλλυται: idem animalibus euenit: nam fœcunda maximè & celerrimè ſeneſcunt, & moriuntur: deinde de arboribus ὅσα, inquit, πολύφορα, καὶ πολύκαρπα, ταῦτα καὶ ὅλως καταγηρᾷ θᾶττον, quæcumq; feraces valde, ac valde fructiferæ, hæ quoque prorſus ſeneſcunt celeriter: τὰ δὲ στέριφα, καὶ ὀλιγόκαρπα χρονιώτερα, ſteriles verò, & parum fructiferæ diuturniores: ſcilicet vis eſt in coitu magna ad exſiccandum, & ad natiui caloris diſſipationem, *c* Ariſtoteles enim teſtatus eſt, ſeminis emiſſionem ſiccitatem parere, τὸ σπέρμα ξηραίνει ἀπιόν, non eſt igitur mirum, ſi venere graciliora, & imbecilliora corpora euadunt: contra verò eunuchi, & ſpadones adoleſcentiæ florem diutiſſimè conſeruant, & brutorum inſtar animantium, quibus teſtes adempti ſunt, pingues, euadunt, ac *d* traditum eſt, in certaminibus illos, qui abſtinebant, cæteros ſuperare conſueuiſſe. *e* deinde dicunt, ſi venus commoda eſſet, & ſalubris, hoc non aliam ob cauſſam fieri poſſet, quam ob excrementi euacuationem; etenim ſalubre eſſe exiſtimant, excrementis vacare corpora: at excrementa tutius exercitio, & abſtinentia, quam coitu, euacuantur: ergo coitu abſtinendum: *f* tum, ſi quibus venus conueniret, adoleſcen-

a lib. de long. & breu. vitæ.

b lib. 2. de cauſ. plant.

c eod. de lon. & bre. vitæ.

d Clemẽs Alex. lib. 2. pædag. c. 10.

e arg. 2.

f arg. 3.

a Galen. li. 2. de sanit. tu. c. 2.

scentibus *a* in primis competere deberet: illis tamen vtilis esse non potest, quoniam illorum incremẽtum (crescunt enim) interciperet: ergo videtur venus insalubris simpliciter dicenda.

Pro venere.

Sunt tamen, qui secus sentiunt, magni etiam nominis auctores. Rufus enim Ephesius inter vetustiores; cuius auctoritatem secuti sunt Aetius, *b* & *c* Oribasius, neque non *d* Paulus & *e* Auicenna; ille, inquam, asserebat, venere plenitudinem exhauriri, corpus agile reddi, ad incrementum promoueri, & virile magis effici, habitum duriorem emolliri, vim rationis explicari, vehementem iram deferuere, melancholicos, & dementes ad se redire, comitiali morbo prehensos liberari, assiduas, & molestas, quæ in somnis fiunt, pollutiones cohiberi. *f* Plinius etiam testatus est, proditum, à scorpione, serpenteq; percussos eadem leuari, Athletas torpentes restitui, vocem reuocari, lumborum dolores sedari, oculorum hebetationem tolli, mente captos, & melancholicos sanari: sed clarissimus auctor Galenus libro artis medicæ significauit, seipso leuiorem fieri hominem, ac facilius spirare: & alibi *g* scripsit, nonnullos capitis grauitatem, ciborum fastidium, & aliquando febres effugere: à viduis mulieribus distentiones vitari: quibus auctoritatibus non solum bonæ valetudinis studiosis commodam esse venerem intelligimus, sed etiam variarum ægritudinum remedium esse. Sed de morbis (vt ante dixi) non est hoc loco disputãdum.

b li. 1. ser. 3. c. 8.
c ad Eusthar. li. 1. c. 6.
d lib. 1. c. 35.
e lib. 3. fen. 20. tract. 1. c. 10.
f lib. 28. c. 4.
g lib. 6. de loc. aff. c. 5.

Conclusio.

Verumenimuerò non adeo damnanda venus est, vt naturam quoque accusemus, quæ, vt Venere animalium successio perennaret, constituit; vtque ad necessariam sobolis propagationem inuitaret, in seminis effusione voluit animalia voluptate perfundi maxima. Sed nota res est: vt in cibo, & potu, ita & in

Vene-

Venereis non res ipsa, sed modus arguendus est: itaque vir maximus *a* Hippocrates inquit, labores, cibi, potus, somnus, Venus, omnia mediocria: qui casti sunt, diutius viuere, non est negãdum: sed feminas *b* Hippocrates docuit, si viris misceantur, saniores degere: & vsus docet, viros etiam, ętate Veneri idonea, ex moderato illius vsu, firmiori esse valetudine, quã penitus continentes: incrementi quidem tẽpore corpus alimento indigum Venere deterendum non esset: credere est enim, eodem vltimo alimento, quo animalia viuunt, incrementum quoque recipere, & generare; quapropter Aristoteles, semen vltimi esse excrementum alimenti, professus est, & pluribus explicauit, libris scilicet de animalium procreatione; vt igitur corpora, quæ crescunt, plurimo alimento indigent, ita optimi alimenti detractione lædi plurimum consueuere: quamobrem illos *c* Aretæus rectè accusauit, qui ad curandum comitialem morbum in pueris, Venerem commendabant: etenim tantum abest, vt pueri possint ad sanitatem Venere promoueri, vt in ipsummet comitialem facilè ob eandem incurrant: post adolescentiam semen exuberat.

a li. 6. epid. sect. 6.

b lib. de genitura.

c lib. I. c. 4. de diuturn. mort. curat.

Venusq; tunc (si modus adsit) vt sobolis caussa necessaria est, ita minus quoque insalubris est: cui tunc etiam sufficere vir potest, perfectis viribus, & semine redundante: idque bis septem annos perdurat, scilicet à vicesimoprimo ad tricesimumquintum: vltra quod tempus quo quis magis progredietur, eo minus salubrem Veneris vsum experietur, eiusq; raritatem vtiliorem intelliget: sic, vt aliqui statuant, post annum quadragesimum nonum parcissimam debere venerem esse; quasi septimo septennio finis huic voluptati imponatur; vt ille *d* non immerito cecinerit, desine dulcium Mater sæua cupidinum Cir

d Horat. lib. 4. carm. I.

ca

ca lustra decem flectere mollibus Iam durum imperijs: post sexagesimum verò tertium omnino nullam approbant. Sed tutius agent, qui modum voluptati initio septimi septennij posuerint: quod nos natura monet, nam, vt copiosum minus semen maribus esse incipit, sic etiam feminis illo tempore vterus clauditur, quasi vt ad sobolem, sic etiam ad sanitatem post hac non profuturam venerem, illo videatur argumēto natura ipsa docere voluisse: sicut etiam, cum circa idem tempus feminis menses compareant, & maribus semen defluere incipiat, nos videtur ad procreandum inuitare, quod sine bonæ valetudinis detrimento plerisq; contingit, & multis est salutare, quia puerorum morbi multi primis coitibus sanari solent, si rectè Celsus *a* est Hippocratem interpretatus lib. tertio aphorism. vigesimooctauo: solet autem natura simul & semel vitam, & sanitatem procurare, & ob vitæ studium eas rebus voluptates adiungere, quas, si modus adhibeatur, salubres esse intelligimus: cum autem sint feminæ, quibus menses ad annum quinquagesimum veniunt, sunt quoque mares, quibus paullo senioribus semen abundat, & noxia minus venus est: sed ij sunt priuatim cognoscendi, nam quod omnibus, vel plerisq; salutare est, auctores docent: id verò est, raram & tempestiuam debere venerem esse: nam crebra, & intempestiua (contra quam pugnant argumenta, quæ dicta sunt) inutilis, & perniciosa est: vires enim eneruat, senectutem maturat, & senectuti corpus effœtum tradit, mortemq; immaturam accersit.

a lib. 2. c. 1. & li. 3. c. 23.

Breuis argumentorum, contra vsum veneris, dissolutio.

Tem-

Tempestiua venus quæ dicenda. Cap. XXXVI.

TEMPESTIVAM autem venerem existimare debemus, si neque labor adfuerit, neque exsolutio, neque languor sequetur, sed contra se leuiorem, & alacriorem homo senserit, ac melius spirabit. Sed quia hæc iudicandi ratio ex euentu est, quæret aliquis modum cognoscendi, venus quando sit profutura, vel saltem periculo caritura: is igitur coniectura hoc assequetur, si non ignorauerit, tutiorem illam esse in corpore iustum incrementi modum assecuto, quam in iunioribus; quod ante notatum est: similiter verè (quod tempus est, inquit *a* Hippocrates, ad concipiendum aptissimum) verè, inquam, tutius, quam alijs anni temporibus exerceri: additq; Hippocrates, *b* pluuio, quam sicco; nocteq;, inquit *c* Celsus, quam interdiu; post cibum, eumq; moderatum, quam post inediam, ac famem, & saturitatem, siue expletionem, ante somnũ, quam ante laborem, assueto etiam, quam non assueto commodiorem esse. Galeni verba sunt libro *d* artis medicæ, tempestiuam esse venerem, cum neque supra modum corpus plenum, neque vacuum extiterit aut in calore: aut frigore, aut siccitate, aut humiditate excesserit: quod si aberrare contigerit, paruus sit error, melius autem illi calefacto, quã frigefacto, & pleno, quam vacuo, & humefacto potius, quã exsiccato: hæc ait; sed illam ego sine noxa futuram existimauerim, ad quam sponte impellimur, non morbo coacti, non externis irritamentis inuitati, vt lectione, auditione, visu, tactu, reminiscentia voluptatum: itaque Aristoteles, *e* quasi communiter receptum esset, con-

a lib. de superfætat.

b li. 1. de diæta.

c lib. 1. c. 1.

d cap. 86.

e 4. probl. 9.

cum-

cumbendum non esse, nisi turgeat; quęrebat causam, quamobrem, si non turgeat, concubendum non sit; cum turgere non sit aliud, quā concitari, & ad emittendum aliquid impelli, quod Græci dicunt ὀργᾶν, & ὁρμᾶν, quamobrem apud *a* eundem dicuntur animalia ὀργᾶν, & ὁρμᾶν πρὸς τὴν ὀχείαν, concitari ad venerem; & apud *b* Theophrastum dicuntur plantæ ὀργᾶν πρὸς τὴν βλάστησιν, turgere, id est incitari: ad germinationem: & mulier ab Hippocrate *c* dicta est, ἣν ὀργᾷ μίσγεσθαι, si concubitum appetat, ita enim naturalis veneris appetitio describitur, quam minimè noxiam putamus: propterea in eam quæstionum subtilitatem non descenderem, tutior ne sit ante somnum concubitus, vel post, sunt enim potiora indicia salubritatis eius, quæ narrata sunt, maximè verò postremum, cum scilicet spōtè naturæ, quemadmodum dictum est, aliquis ad veterem excitatur; hoc enim perinde est, atque fames, ac sitis ad potionum, ac ciborum opportunitatem significandam (dummodo non talis sit rei venereæ cupiditas (quod ex morbo nonnunquam euenit,) quale desiderium cibi est fames, quæ canina vocatur, vel, vt Græci dicunt, βούλιμος, & vocatur à gręcis σατυρίασις, & σατυριασμός, quamobrem efficitur, vt alias ante, alias post somnum, alias in medio somno, alias etiam interdiu tutior concubitus fit: qui laboribus confici debet, tutius ad medium somnum confugeret, qui suæ spōtis est, post expletionem, & crapulam (vt quiuis etiam) tutius abstinet, & minus post somnum periclitatur, in rerum autem moderatione, ante somnum (modico tamen post cibum tempore) cum calidius, & plenius corpus est, securior venus fuerit: hisce igitur argumentis de veneris salubritate coniecturam facere valemus.

a lib. de hist. animal. c. 18.

b lib. 1. de caus. plant. c. 6.

c lib. de genitura.

Sed

Sed nec illud ignorandum est; vbi vel sanitatis causa, vel virtutis abstinendum est à concubitu; satius esse fame, laboribus, studijsq; contendere (nam, vt vetus, ita verum illud est, sine Cerere & Baccho friget venus, & illud, Otia si tollas periere cupidinis arcus) quam vsu medicamentorum, quæ semen extinguere, ac veneris desideria compescere creduntur, cuiusmodi medicamenta apud auctores multa repeриuntur: quæ tamen sæpenumero (vt est commune remediorum omnis generis vitium) nos decipiunt: non est enim de medicamentis simpliciter, quemadmodum scribitur, statuendum, sed delectus est adhibendus: hoc verò solius medici est, & quidem valde periti, atque prudentis: præsertim, quia sæpe quoque auctores contraria tradiderunt, quemadmodum de mentha, quam veneri vtilem alij, noxiam verò alij affirmarunt: sed ea non vti, præstat: nam, qui eam damnauit Hippocrates, idem ab eadē corpus etiam imbecille reddi affirmauit, ac vniuersum eorum genus, quæ Veneri aduersantur, dici potest, valetudini contrarium esse: nam hæc vel semen liquefaciunt, vel nimis condensant: vtrumq; autem vniuerso corpori damno esse potest; nam semen non est aliud, quam pars alimenti superflua, & redundans; non est autem credendum; his medicamētis id solum, quod superfluit, vel liquari, vel concrescere, sed totum afsici nutrimentum, quod modicè densum oportet esse; nam quod est liquidum nimis, effluit, & hærere non potest; quamobrem macies, & imbecillitas sequitur: at nimis densum, vt non facilè elabitur, ita difficulter concoquitur, & opplet magis, quam nutrit: damnanda igitur illa sunt omnia, quæ alterutra parte alimentum corrumpunt, cuiusmodi sunt, quæ venerem cohibere pollicentur: itaque Plato suis ci-

Quibus præsidijs venus cohibenda.

tibus id consilij dabat, si voluptati dominari ea cogitatione non potuissent, qua intelligerent, se feris meliores fieri oportere; rara eiusdem exercitatione cauendum sibi esse, scilicet Veneris alimentum laboribus ad alias corporis partes auertendo, ἀγύμνασον, inquit, ποιεῖν τὴν τῶν ἡδονῶν ῥώμην, τὴν ἐπίχυσιν, καὶ τροφὴν αὐτῆς διὰ πόνων ἄλλοτε τρέποντα τοῦ σώματος, idque fieri posse multis athletarum exemplis docuerat, Icci, Crissionis, Astylli, Diopompi, & aliorum, qui nulla vnquam Venere vsi sunt, quamdiu ad Olympica, & alia certamina sese exercendo muniebant, & conformabant: quapropter, vti medentes doloribus, caussas illorum demoliri satius existimant, quam his vti pharmacis, quæ torporem inducunt; ita contra Veneris impetus omnino præstat, moderatione ciborum, & potionum, ipsaq; continentia, & vitæ duritate, laboreq; improbo certare, quam his posthabitis, pharmacorum, Venerem cohibere promittentium, vires experiri. Et hæc hactenus de continentia tam in rebus Venereis, quam in cibo, potuq;. at quæ reliqua ad viuendi rationem pertinent, ea sigillatim libris sequentibus, Deo adiuuante, tractabuntur.

Finis libri de continentia, vel primi de Sanitate tuenda.

MARSILII CAGNATI GYMNASTICA, DE CONTINENTIA, Vel de Sanitate Tuenda.

LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.

De vtilitate exercitationis. Cap. I.

DIctvm est priore libro de continentia. Alterum, quod maximè ad bonæ valetudinis tutelam, & conseruationem conducit exercitatio est: de qua præcipuo à continentia loco disserendũ est: quoniam, vt ad vitam conseruandam cibus necessarius est, ita ad cibum tum consequendum, labore improbo indigemus: itaque delicias *a* Plinius damnabat, quod inter artificia fecissent medicamiuibus appetentiam excitari; quoniam labor desierat cibos poscere. Dixitq; *b* Hippocrates, non posse hominem comedẽtem sanum degere, nisi quoque laboret, & alio *c* loco ἄσκησις ὑγίης, ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνου; sententia iam peruulgata, quæ ad vitãdã satietatẽ, & ad laborũ desideriũ, nos hortatur.

a lib.20.c.17.

b li.1. de diæta.

c lib.6. epidem sect. 4.

Itaque Cyrus apud *d* Xenophontem videri sibi dicebat, sanitatem stabilem magis futuram, roburq;

d lib. 1. de Cyri instit.

acceſſurum, ſi expletionem effugeret, &, quæ aſſumeret, labore conficeret; πειρῶμαι μήδέποτε ὑπεϱπιπλασθῆ. ἔπειτα δὲ ἐκπονῶ τὰ ἐσιόντα. Sed cibi, & laboris coniunctionem perſpicua, breui, & non prætermittenda oratione, quæ huic loco aptiſſima eſt; idem Hippocrates demonſtrauit libro primo de diæta. Contrarias, inquit, vires habent cibi, & labores, conſpirant autem ad ſanitatem, nam labores ſuperuacanea conſumãt, πεφύκασιν ἀναλῶσιχι τὰ ὑπάρχοντα. Cibi verò, & potiones inania replent. ἐκπληρῶσαι τὰ κενωθέντα.

Scilicet alimentum debet viuentibus inſtar eſſe fluentis, ac perennis aquæ: nam hæc tamdiù pura, & ſincera videbitur, donec nuſquam concluſa, & cohibita, fluxerit: concluſa enim, & ſtagnans neceſſariò tandem corrumpitur, & putreſcit. Pro aqua igitur eſt animalibus nutrimentum, cibus videlicet, atque potus: & quemadmodum in fluuijs, ob curſum perennem, aqua deficeret, niſi perpetuo noua de fonte ſuppeteret; ita deficeret viuentibus alimentum, ob labores potiſſimum (nam deficeret etiam ob naturaleis corporis vacuationes, & vim natiui caloris, à quo humor ad vitam neceſſarius perpetuo conſuſumitur) niſi noui cibi, potusq; aſſumerentur. Sine labore autem, aquæ inſtar ſtagnantis, facilè cibi putreſcerent, & ægritudines parerent.

De huius tractationis vtilitate.
Cap. II.

Dub. SED obijciet aliquis, fruſtra de exercitatione præcepta, & documenta notari, & litteris tradi: nam

Arg. 1. ſanitas vt nobis à natura tribuitur non exercitatis, ita

ita quoque potest sine exercitatione custodiri: non enim data est animalibus mouendi, & incedendi facultas ad custodiam sanitatis, sed ad nutrimentum conquirendum, quod animali non est, vti plantis, naturæ solius munere, obuium atque præsens. Sanitas autem non est animali tradita, qua animal est, sed qua plantæ vitam viuit; Siquidem & fętus in vtero; cum primis mensibus vitam plantarum viuat; sanitate tamen frui, vel ægrotare verè dicitur: Sic Hippocrates dicebat, *a* mulieri vtero gerenti si lac a 5.aph.53.
multum è mammis effluat, fętum imbecillem ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον significat. Si verò mammæ solidæ fuerint, fętum saniorem ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον. significant. Item, *b* si mulieri vtero gerenti purgationes b 5.aph.61.
eant, impossibile est, fętum esse sanum τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν. Plantæ verò & nutriuntur, & crescunt, & proceræ, ac amenæ efficiuntur, fructus generant, & diutissimè sine labore, & exercitatione incolumes viuunt: atque cum suis quibusdam morbis capiantur, sine exercitatione pariter in integrum restituuntur.

Quod si animali necessaria esset ad salutis tutelam exercitatio, tũc necessariam esse iure existimaremus, cum ad exercendum animalia spontè naturæ mouentur: contra verò, minimè necessariam, cum spontè naturæ quiescunt, & ipsa quiete delectantur. Cum autem naturæ spontè mouentur, tunc non egent præceptis, vel consilijs, vel admonitionibus, & documentis; quoniam natura medicus est, vt Hippocrates dicebat; vbi verò ad quietem natura inuitantur; tunc inutile ad exercendum consilium damus: senioribus quietis desiderium, iunioribus verò sese semper mouendi cupiditatem natura iniecit. ergo cum his, tum illis exercitationis præcepta frustra, & temere scribuntur. Huc accedit quorumdam nobilium

medi-

medicinæ auctorum sententia, vt Asclepiadis, qui exercitationes aliquas in ægris laudarunt quidem: Sed in sanis ad sanitatis tutelam prorsus inutiles existimarunt, ea præsertim de caussa, quod quæ superflua exercitationibus absumũtur inedia possunt absque labore consumi. Huic autem dubitationi facile est (vt opinor) satisfacere.

Dub. Solutio. Resp. ad tertiũ arg.

Sunt autem duo explicanda, alterum, non esse à plantarum natura sumendum argumentum; etenim homo, de quo sermo est, suam & ipse habet naturã, vt plantæ suam; hominis autem natura est anima rationis particeps, cui non frustra data est consulendi, & eligendi facultas: immo tunc maximè secundum naturam viuimus, cum ratione, & consilio viuimus: infantes, & alij, qui nondum consilij, & rationis compotes sunt, viuunt illi quidem etiam secundum naturam, sed brutorum animalium potius, quam hominum: nec debemus aliquid facere, aut recusare, quia cæteræ animantes faciunt, aut recusant; longeq; minus, quia plantæ; sed quia naturæ nostræ consentaneum est, id est rationi, sed & *a* Gelenus non spernenda obseruatione docebat, exercitationem congruentem esse, nam constat, infantibus casu aliquo offensis, & ob id ad plorandum adductis, motum mediocrem, dum à nutrice gestantur, leuamen esse, ac doloris medelam.

a lib. 1. de san. tuen. c. 7.

Alterum verò est, plantis non deesse, quod vicem subeat exercitationis: hoc verò est, perpetua primũ circum illas aeris commotio, atque agitatio (aerem autem circulo moueri, non est hoc loco explicãdum; satis hoc *b* Aristoteles docuit) sed & à ventis creberrimè agitãtur. Sol deinde ad eandem rem plurimum conducit. Ventus autem, & Sol vim habet exsiccandi, etsi ventus magis, vt idem *c* Aristot. indicauit in

b lib. 1. meteor.

c 26. prob. 30. & 31.

problemat. Siccat aer quoque; siquidem ventus nihil sit, nisi aer vehementer impulsus: & aeris perpetuus motus ventilatio quædam occulta est. Et licet aer à naturæ studiosis humidus statuatur, non propterea madefacit, sicut aqua, nisi calaginosos, & aqueos vapores permixtos habeat: & calore valentior quibusdam videtur ad sicandum, quam humore ad humefaciendum. Igitur plantis quiescentibus, & immotis non deest, quod superantem, & noxium humorem siccando detrahat, illudq; efficiat, quod animalibus labor, & exercitatio præstare solet: quibus tamen non dissimiliter Sol, & aer vtilis est. Itaque si velimus plantarum quoque imitari naturam, constat, cultura illas etiam proficere, siue incrementum, siue pulchritudinem, siue ætatem consideres, refertq; plurimum, quo loco, qua Cęli facie, positæ sint, vt aerem, & Solem magis, aut minus salutarem, & propitium habeant. Nec ab hominibus igitur cura similis, & sui corporis cultus, quæ medicina est, contemni debet.

Et licet natura sit medicus, non tamen verum non est, medicinam auxiliari naturæ, & necessariam esse. Et quamuis pueri, & adolescentes ad exercendum nulla egeant adhortatione; quippe qui natura motum maximè appetunt; egent tamen consilio, & moderatione: quia, vt omnia nimis faciũt (πάντα ἄγαν πράττουσι dicebat Aristoteles) ita immodicè solent exerceri: quod sine periculo non est: vt è contrario seniores, ad exercendum adhortationibus, & consilio egent: licet enim graue corpus quietis desiderium inducat, non est tamen hæc ea natura, cui homo debeat obsequi: suæ debet homo naturæ obtemperare, quam esse dixi animam rationis, & consilij participem: scilicet hac viuimus, atq; homines sumus: hac

Resp. ad quartũ arg.

hac itaque docemur, grauiori ætati exercitationem eſſe neceſſariam: quia calor naturalis iam infirmior redditus, ſuperfluitates abſumere minus valet, quæ in corpore aceruatę magna nobis incommoda affer re poſſunt, morbos, & iuteritum celeriorem inducere: cui præſidio eſt exercitatio: propterea nec iunio ribus fruſtra, nec ſenioribus inutiliter de ea re conſilium datur.

Reſp. ad ſecundum arg.

Et licet motus animalibus potiſſimum traditus dici poſſit, ad alimentum conquirendum; non propterea conſentaneum rationi nou eſt, motu quoque bonam valetudinem ſuſteutari: vnius enim inſtrumenti eſſe plures, & varios vſus, non hoc vno eſt exemplo, ſed pluribus, notum. Sic enim ore cibos, & potus ſumimus, ore ſpiritum haurimus, ore animi theſauros recludimus, ore pulmo, ſtomachus, cerebrum purgatur. Naribus odores percipimus, & ſpiritum ſimiliter trahimus, atque cerebrum expurgamus. Sed hoc loco ſingula huius generis recenſenda non ſunt. Hæc ſatis docent, ritè, & commodè motum in animalibus cum cibo acquirendo, tum curandæ valetudini deſtinatum eſſe: atq; ideo vtiliter de motu, & exercitatione præcepta, & documenta à medicis tradi.

Reſp. ad primũ arg.

Cui non obſtat ſimiliter, quod natura, vti nobis non exercitatis ſanitatem tribuit, ita nos illam abſque exercitatione tueri poſſimus: etenim ſanitas perindè atque vita ipſa à natura tribuitur: nam cũ primum viuere incipimus, nos quoque ſanos eſſe percipimus (fit hoc plerumq;: ſcio namq; morbida quędam naſci auimalia) at non ſequitur, debere etiam, & poſſe naturæ ſponte, & omni culru neglecto, ſanitatem conſeruari, Sed è contrario, ſicut animal vitam tueri ſine motu, & labore non poteſt, ita nec ſa-

nitatem

nitatem poterit: pari namque incessu feruntur vita & sanitas: quando sanitas nihil est, nisi vitæ integritas, & morbus vitæ quædam offensio, & decurtatio. Itaque tuentia vitam, eadem, & sanitatem conseruant. De Asclepiadis verò opinione non est, quod aliquid dicamus, cuius argumenta, quasi otiosi hominis captiunculas ne referre quidem Galenus dignatus est libro primo de sanitate tuenda: quæ tamen à viris doctissimis ante nos examinata satis, & refutata non ignoramus: & licet verè dictum sit, inedia perinde consumi excrementa eadem, & laboribus, non idcirco efficitur, labores inutileis esse: quoniam non sanitatis solum ratio habenda est, sed roboris etiam, corpus verò robustum esse non potest cum exiguo alimento, & inedia, vt priore *a* libro ostensum meminimus; ad robur autem labor est necessarius, vt ex ijs, quæ copiosè inferius explicabuntur, intelligetur. Cum itaque motus, & labor ad vitæ custodiam necessarius sit, bonæ quoque valetudini vtilis existimandus est. Cuius vim quoque contra Veneris impetus, & irritamenta sub finem libri prioris exposui. Quapropter cum de cibi ratione, modoq; disputatum sit, iure laboris, seu exercitationis ratio, & modus hoc loco sumitur examinandus.

a cap. 17.

Vtrum Medicinæ, an Gymnasticæ sit, exercendi rationem examinare; & vtrum Gymnastica pertineat ad Medicinam. Cap. III.

IN primis autem occurrit quæstio, curiosa licet, ac iucunda fortasse magis, quam ad bonam valetu-

dinem vtilis; An ad medici munus pertineat, de totà exercitationis ratione cognoscere, & decernere, an ad artem quandam à medicina diuersam, quã Gymnasticam veteres appellarint: sunt enim qui hanc ipsam Gymnasticam medicinæ partem quandam esse profitentur. Cum alijs duæ fuisse artes videantur, quæ vel in varios vsus rem eandem direxerint, quod multis contingit, vt ad bellicos vsus hæc ferrum in varia ducat instrumẽta, gladios, tela, galeas, & alia quamplurima, illa verò rei familiaris gratia ex eodem vectes, claues, clathros, & alia conficit; vel ad eumdem postremum finem diuersa, & omnino seiuncta opera dirigentes, affinitate, & ordine quodam coniungantur, quia altera subiecta sit, altera præsit, vt conficiendorum ars frenorum equestri, hęc verò imperatoriæ subijcitur; aut cum diuersum omnino finem respiciant, vel materiæ, vel instrumentorum similitudine, altera pro altera capiatur. De qua re sermonem, seu colloquium virorum omnis eruditionis laude præstantium, ciuium meorum, huc afferre publicæ vtilitatis caussa non grauabor, vt deinde, quæ ad medici munus citra controuersiam pertinent, perpetua oratione persequi possim. Quod si hãc nonnulli disputationem, quasi nullius frugis, atque vsus non probauerint; vel prolixitatem illius auersati fuerint; vel nimiam in re tenui fastidiuerint diligentiam; hos oro, atque obsecro, nè ferant grauiter, quod antiquarum studiosis litterarum, & Platonis maximè hac in parte consultum sit: ipsi paginis aliquot præteritis, fastidium omne euitantes, quæ disputationem hanc sequuntur, legere occupent: interim non obliti, Galenum simili disputationi volumen integrũ dicasse, quærentem, salubre τὸ ὑγιεινόν, ad Medicum nè, an ad Gymnastam pertineat.

FVMANELLVS

Seu Dialogus de Gymnastica.

Interlocutores.

Hospes Veronensis.
Romanus.
Antonius Fumanellus.
Hieronymus Fracastorius.

IN Vrbem igitur venerat pietate ductus (vt multi quotidie faciunt) ad has visitandas ædes sanctissimas, & venerabiles Sanctorum, quæ in eis asseruantur, reliquias colendas, ciuis, & familiaris meus, vir satis doctus, & in Græcis quoque auctoribus versatus; vt ex eius sermone intelligebatur; qui per Quadragesimam; cum esset in sacrarum ædium visitatione assiduus; fortè fortuna amicitiam, & beneuolentiam cum homine Romano contraxit: quod frequenter ei occurreret; cum & ille in eodem visitationis munere assiduus, & diligens esset; & ab eo sæpè nonnulla curiosè perquireret; ille verò, qui bonis litteris initiatus videbatur; perhumaniter responderet, & illis quæstiunculis oblectaretur. Ipso autem die, quo S.Balbinæ templum visitari solet, vnà è templo egressi ad proximas Antonini thermas visendas, vt mos hospiti gereretur, diuerterunt: cumq; eas diligenter intus, & foris perlustrarent, hunc texere sermonem instituerũt, quem ab hospite ipso deinceps mihi enarratum, hoc pacto digessi.

HOSPES. Intuenti mihi has thermarum ruinas, subit mirari Ægyptiorum Regum demẽtiam in exstruendis (& magna quidem successorum æmulatione) pyramidibus: quarum vsus publicus, aut pri-

uatus quis tantis sumptibus dignus extiterit, nullus reperitur. Quinimmo fuere *a* auctores, qui eam pecuniæ Regum fuisse otiosam, & stultam ostentationem, & inutile studium dixerunt (ἀνόνητον ἐπιτήδευμα, venere in mentem *b* Procopij græci auctoris verba, de re eadem scribentis) quòd si earum caussa extruendarum verè ab alijs tradita est; nè pecuniam successoribus, aut æmulis insidiantibus præberent, aut nè plebs otiosa esset; eò magis illorum damnanda stultitia videri debet.

a Plinius lib. 36. c. 12.

b lib. 2. de Iustiniani ædificijs.

ROMANVS. Nunquam illos tam vecordes extitisse crediderim, quin intellexerint, largitionibus potius, & beneficentia in plebem, populumq; vniuersum, successorum, æmulorumq; insidias vitari, quam labore plebis immenso, ac tam profusa pecuniæ erogatione: quæ maiorem in illos inuidiam, & grauius odium excitare in ijs potuisset, quibus aliqua regnandi spes erat: & plebis beneuolentiam ab eisdem auertere.

Nec mihi satis probatur, non habuisse, quo plebem ab otio vtilius, & honestius eximerent: etenim scimus artes plurimas ab Ægyptijs egregiè cultas, illorumq; Rempublicam optimis legibus floruisse: à qnibus Græcos didicisse plurima, compertum est. Quis igitur verisimile esse existimauerit, Reges Ægyptios ab humanitate alienos adeo extitisse, vt ignorauerint, quod veteres nostræ Reipublicæ moderatores tam egregiè calluerunt, qui congiario plebem, donatiuo milites deliniebant, & arctissimè sibi deuinciebant? cumq; legem Ægyptus habuerit, vt quisque quotannis apud Nomarchen profiteretur, vndè viueret; vt qui iustam vitæ suæ rationem demonstrare non posset, extremo supplicio afficeretur; cui persuaderi potest, plebem Ægyptiam vsque adeo fuisse

Herodotus Euterpe iuxta finē.

otio-

otiosam, vt tam futili negocio reuocari ab otio debuerit? An satius est existimare, fuisse illa Regum sepulcra Ægyptiorum, vt Lucanus indicauit, cum cecinit, Non mihi pyramidum tumulis euulsus Amasis, qualis hæc nostra est iuxta portam Hostiensem, quæ septemuiri Epulonum creditur sepulcrum esse? scilicet, quo splendor regius defunctis quoque Regibus non deesset.

HOSPES. De sepulcrorum varietate nihil omnino dicam. Pyramidas fuisse Regum sepulcra non dubito: quoniam grauis auctor Strabo id asseruit. Optimarum quoque artium laude Aegyptum quondam floruisse, notissimum est: cui in primis debent Mathematicæ nuncupatæ ac medendi scientia. Credo quoque Reges Aegyptios aliquot censeri inter optimos posse, siue res illorum domi gestas, siue foris, inspexerimus. Sed, vt Persæ Sardanapalum, & Cambysem, vestra autem Respublica Caium, Neronem, Heliogabalum (monstra potius, quam homines) habuit; sic Aegypti Reges aliquot extitisse, non est mirum, qui, fatua quadam insolentia, & fasta quodam tyrannico potius, quam regia magnificentia, pyramidas exstrui, mandauerint; Inane scilicet opus, & ad solam diuitiarum ostentationem, nulli autem vsui Reipublicæ futurum. Itaque probandum magis est Romanorum principum iudicium, qui populi commodis prospicientes, ad publicum balnearum vsum; qui erat in primis necessarius, amplissima ædificia condiderunt; quæ populi frequentiæ satis essent, & Romani Imperij amplitudini, ac maiestati paria videri possent. Quo ædificij genere Romani Principes; ingenio licet diuersi, æmulatione tamen consimiles; mirificè delectati sunt.

ROM. Quam iuuat, aduenam vsque adeo rerum

nostra-

noſtrarum ſtudioſum agnoſcere: non queam ſatis, quam ex iſto ſermone cępit animus meus voluptatem verbis exprimere. perge quæſo, atque illud priuatim ediſſere, cur hoc ædificij genus idcirco laudandum dixeris, quod eſſet vſus balnearum neceſſarius.

Hos. Veſtras laudes ab homine dici peregrino, ferri poteſt. Ex eodem uerò ueſtrorum rationem conſiliorum à uobis quæri, quis non ioco exiſtimet?

Rom. Quaſi uerò non frequenter eueniat, noſtratia ut magis, quam alienigena, ignoremus. Sed ſi me probè noueris, nihil minus, quam me tecum iocari, cogitaueris.

Hos. Dicam igitur, quid me adduxerit, ut balnearum uſum neceſſarium fuiſſe exiſtimem. Noſti, ut puto, conterraneum męum, Onuphrium Panuinium.

Rom. Virum, cui uni plus debeamus, quam reliquis ſimul omnibus, qui antiquitatibus Vrbis è tenebris eruendis operam nauarunt; equidem noui: cui enim Romano ignotus poteſt eſſe, qui, quod res ueteres Romanas tot uoluminibus illuſtrauerit, idcirco Europæ uniuerſæ debet eſſe notiſſimus.

Hos. Ex illius igitur ſermone olim accepi, quod & egomet deinde perſpexi; Veteres Romanorum ſtatuas, ſiue è marmore fictas, ſiue ex ære, uirorumq; præcipuè, nudatis ulnis uideri: quod uſus manicarum *a* antiquis indecorus haberetur. Feminalium quoque uſum fuiſſe rarum, addebat; alioqui non magis Gallos, quam Romanos, brachatos dicendos fuiſſe. Pudenda ſatis toga, uel tunica regi ſolita: item ſubligaculo, quod erat aliud, quam feminalia. Nudas etiam tibias ſtatuarum eſſe plurimas: quod rarus ſimiliter tibialium uſus extiterit. Caligis milites uſos, quæ ad dimidiam tantum tibiam à pede

a A.Gellius lib. 7.c.12.

pro-

protendebantur. Reliquum à media tibia nudum esse ad eam vsque partem supra genus ad quam sagum pertingere cernitur. Ocream similiter militarem. Vrbanos, & rusticos nudis cruribus ambulasse, sæpe etiam sine calceis: quando Catonem, cum Prætor esset, sine calceis in forum descendisse, & ambulasse scribunt. *a* In agris seruos æstate nudos, hieme tunicam indutos sine manicis, quam ἐξωμίδα Gręci dixerunt. Cum hæc igitur ille sic explicaret, cogitabam, veterem hanc vestiendi rationem ad corporis munditiem minus idoneam fuisse: namque nudas corporis parteis cęno, puluere, & alijs sordibus fędari necesse erat: inde verò existimo, lauandi vsum tam frequentem, originem duxisse necessariam. a Plutarchus in Catone.

ROM. Mirabar, quorsum vestiendi rationem, qua maiores nostri usi sunt, tam longè repeteres: exitum, quem non putabam, res inuenit: etenim existimo, te non male de his cogitasse, lauandiq; usum ad corporis sordes detergendas inuectum, nemo (vt opinor) sanus negauerit. Sed tam ampla ædificia solius caussa lotionis condita, hoc verò mihi satis persuasum non est. Sed existimo, præcipuum conditorum consilium fuisse, vt Græco more iuuentus Romana in huiusmodi ædificijs exerceretur.

HOS. Dubia opinio: quoniam palæstræ ædificia, Victruuio *b* auctore; non fuere Italicæ consuetudinis. b lib. 5. c. 11.

ROM. Scilicet Victruuij tempestate, qui sub Augusto vixit, & C. Cæsare, cuius fuit architectus. Nec fortasse tamdiu vixit, vt quas Agrippa thermas exstruxit, videre potuerit. Sed secutis temporibus certum est, certamina græco more instituta esse, & ædes conditas, in quibus more athletarum iuuentus Romana ad ea certamina exercebatur.

HOSP.

Hosp. Sed alibi fortaſſe, non in thermis.

Rom. Ob vnum lauationis vſum tanta ædificij amplitudine opus non erat, ſed vt intus includerentur exedræ, porticus, ſyluæ, platanones, Xyſtus, & alia, quæ noſti; nam illuc & philoſophi, & Rhetores ad diſputandum conueniſſe dicuntur, & varijs, ac innumeris modis, populus ibidem curſu, luctando, haſta, diſco, pugillatu, pila, ſaliendo exercebatur.

Hos. Iſtud non facilè mihi perſuaſeris: nam Victruuius ait, magnitudinem balnearum pro copia hominum faciendam: Auguſti autem ætate ferunt cenſa ciuium Romę capita 4160000. quadragies, ſemel centena, & ſexaginta millia. deinde verò adoptato ab eodem Auguſto in filium Tiberio 9370000. nonagies, & tercentena, & ſeptuaginta millia; ſi Euſebij Chronicis fides hac parte adhibenda eſt. Vide populi multitudinem, cui thermas Agrippa condere inſtituit: & quantus fuerit ambitus parietum neceſſarius, à quo ſpacium, quod circumpręhendebatur, in multas partes diuidi debuit, vt haberi poſſet ratio non frequentiæ ſolius, ſed varietatis etiam, & diſſimilitudinis. Membra autem illa, quæ ſignificabas, exedra, xyſtus, & alia, non thermarum fuere, ſed palęſtræ, ſeu gymnaſij, quod apud Athenienſes à balneis fuiſſe diuerſum Ariſtophanes Nebulis docet, vbi ſermo Iuſtus quæritur, adoleſcenteis balnea frequentare, & palęſtrum deſerere, πλῆρες τὸ βαλανέιον, ποιεῖ, κενὰς δὲ τὰς παλαίστρας: gymnaſium verò Victruuij temporibus in Italia nuſquam exſtabat; ſed longo poſt tempore à Nerone conditum eſt, qui pri-
a in vita Nero. mus omnium, Suetonio *a* auctore, quinquennali ludrico ad morem gręci certaminis, quatto Conſulatu
b lib. 14. (vt Tacitus *b* narrat) inſtituto, gymnaſium dedicauit. Quod opus à thermis alterum fuiſſe par eſt, cum

latini

latini auctores, quos nominaui, separatim vtriusque mentionem fecerint: & qui Neronis consilium damnarunt, ea de gymnasio dixerunt, quæ de thermis iure merito dici non potuissent. Tacitus *a* enim refert, nonnullos solitos Neronem eiusmodi verbis criminari, abolitos paulatim patrios mores, funditus euerti per auitam lasciuiam, vt, quod vsquam corrumpi, aut corrumpere queat in vrbe visatur, degeneretq; studijs externis iuuentus, gymnasia, & otia, & turpeis amores exercenda: quæ verba de thermis dici non potuere: quoniam balnearum vsus antiquissimus erat, & thermas Agrippa diu ante dedicauerat, cum Augustus imperabat. Cuius Imperatoris studium, nè iuuentus corrumperetur, fuisse maximũ, Nasonis docet perpetuũ ob librorum lasciuiam exilium, & lex, qua cauit (si probe memini) nè cum natu maioribus pueri spectaculis interessent: qui athletarum quoq; spectaculo muliebrem sexum omnem submouit, vt à Suetonio *b* traditum est.

a lib. 14.

b in Augusto.

Ro. Rem miram de censu ciuium Romanorum Eusebius tradidit; nam memini notasse me in Liuiana epitome, semel censa ciuium capita quadringenta, & quinquaginta millia, 450000. & in censu, quẽ post aliquot annos C. Cæsar egit, inuenta ciuium capita dumtaxat cẽtum quinquaginta millia, 150000. videlicet, in bellis ciuilibus quamplurimos cęsos, credendum est; vt incredibile sit, paucis annis ad Augusti principatum tantam ciuium accessionem factam esse. De locorum verò diuersitate, vbi lauabantur, & exercebantur, non video quid cogat, quominus credamus, intra eosdem parietes distincta spacia, in quibus vtrumq; munus seorsim exerceretur: quinimmo par est existimare, balneas gymnasijs fuisse adiunctas, vt qui se exercendo sudore, & puluere sordes

contraxerant, proximum haberent ad eas detergendas lauacrum. Docet autem Victruuius in eisdem ædificijs balneas, & gymnasia constituta esse. Sed missa hæc (si lubet) faciamus, & illud diligentius consideremus, etenim, gymnasia damnata, dixisti, quod mirum videtur, cum in illis corpora à pædotribus (ita enim vocatos didici) ad sanitatem, & robur, & à philosophis animi ad beatitudinem consequendam exercerentur. Quid est autem sapientia optabilius, & sanitate pretiosius? quid maius, gloriosiusve apud *a* Græcos, quam in Olympia coronari?

a Cicero pro L. Flacco.

Hos. Longè secus Xenophon *b* existimauit, qui asseruit, multo esse gloriosius bello, quam pugillatu, victoria potiri. ὅτι ἐν πολέμω νικᾶν πολλῷ ἐνδοξότερον, ἢ πυγμῇ. Quod nobilis quoque *c* Lacenæ cuiusdam feminæ voce cõprobatum est, quæ filij morte audita, quanto, inquit, pulcrius, & optabilius in acie animum efflare victorem, quam in olympico certamine victoria parta viuere? Sed esto, vt dixisti. Græcos ista decebant mores. At Romanorum fuit, non athletas coronis donare, sed milites bellica virtute claros, atque illustreis. Diuq; non alias coronas, quam bellicas nouerunt, licet mox & ludis dedisse constet. Alioqui turpibus obnoxij amoribus à Romanis notabantur, quod amoris genus in gymnasijs maximè exercebatur. Meminisse te puto, qua de caussa Socratem Alcibiades ad palęstram excitasse dicatur. Meministi etiam, quod solus cum solo Socrate gymnasticam aliquando exercuerit. Nec ignoras, apud Platonem, ciuitates quasdam gymnasticarum exercitationum curam habentes, accusatione dignas iudicari, quoniam hoc studio Venereas voluptates peruertissent. Quem locum, vt non benè expresserit Florentinus interpres, dicam (licet obiter)

b ἱππαρχικῷ.

c Cic. in consolatione.

ter) ni te piget audire.

Ro. Dic, quæso, nam me plurimum Platonis le-
ctio delectat, & viros doctos eundem interpretantes
audire mirificè iuuat.

Hos. Sunt Platonis verba de gymnasticæ stu- li. 1. de legibus
dio loquentis, καὶ δὴ καὶ παλαιὸν νόμιμον δοκεῖ τοῦ-
το τὸ ἐπιτήδευμα, καὶ τὴν φύσιν, τὰς περὶ τὰ ἀφρο-
δίσια, καὶ ἡδονὰς οὐ μόνον ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ θηρίων
διεφθαρκέναι, quæ sic conuersa nec immutabunt,
nec sententiam obscurabunt, atqui studium hoc vi-
detur priscum illud legitimum, & naturale circa ve-
nerea, & voluptates non hominum solum, sed fera-
rum quoque corrupisse. Scilicet (vt dicam diluci-
dius) priscum, legitimum, atque naturale erat (vt
deinceps exponit Plato) marem, & feminam sobo-
lis gratia copulari; at gymnasiorum vsu illegitima,
& naturæ contraria marium coniunctio inuecta est.
Interpres ille, priscum vocatũ credidit studium gym-
nasticorum, quod & sententiam, & orationem per-
turbat. Sed per otium videbis, nostra nè an illius in-
terpretatio præferenda sit.

Ro. Faciam omnino.

Hos. Interim verò memẽto, Aristophanem quo-
que gymnasium notasse, & rem lasciuam esse signifi-
casse eisdem Nebulis, vbi Senex ille laudatur, quod
à vino, gymnasijs, & alijs libidinibus abstineret.
οἴνου τε ἀπέχει, καὶ γυμνασίων, καὶ τῶν ἄλλων ἀνοήτων.
Hippocrates *a* verò, bonum gymnasticorum habi- a 1.aph.3.
tum esse periculosum, testatus est: & Aristoteles *b* b lib. 8. politic
scriptum reliquit, ex ciuitatibus, quibus tunc maxi-
ma liberorum educandorum cura erat; alias speciẽ,
& corporis incrementum corrumpendo, athleticos
habitus induxisse, Lacedæmonios verò ferinos mo-
res induisse: quo illud fortasse pertinet à Platone *c* c lib. 3. de Rep.

traditum, qui gymnaſticam ſolam exercent, & muſicam non attingunt, agreſtiores, quam oportet, euadere: & in oratione Galeni ſuaſoria ad artes ſcriptũ eſt ſæpe athletas in diuerſam formæ rationem traduci; & teſtis laudatur Euripides, qui aſſeruit, malum in Græcia ſtudio athletarum maius nullum exſtitiſſe, κακῶν γε ὄντων μυρίων κατ' ἑλλάδα οὐδὲν κάκιον ἐστιν ἀθλητῶν γένους: quæ ab Athenæo *a* quoque referuntur, qui de ſtudij huius vanitate adduxit inſuper Xenophanis Colophonij teſtimonium dicentis, ciuitatem eo minimè pingueſcere, quod de certamine ciuis aliquis coronam tulerit, breue tantum gaudium delibare, σμικρὸν δέ ἄν τι πόλει χάρμα μένοιτ' ἐπὶ τῷ. Εἴ τις ἀεθλεύων νικῷ Πίσαο παρ' ὄχθας. οὐ γὰρ πιαίνει ταῦτα μυχοὺς πόλεος. Quæ docent, artem hanc corpori ſimul, & animo noxiam fuiſſe: ſed claudam ſermonem hunc Clementis *b* Alexandrini teſtimonio, qui in ſuo Pædagogo gymnaſticam ab artium liberalium numero diſiunxit, inquiens, Reliqui gymnaſticæ, non liberalium vitæ ſtudiorum meditationem profitentur.

a lib. 10. dipnoſ.

b lib. 3. pædag.

R o. Vitia narras (vt videtur) gymnaſijs abutentium. Ipſas optimè inſtitutas exercitationes damnare non potes. Sed nihil eſt tam ſanctum, quod noſtris vitijs non corrumpatur.

H o s. Videri debet ſtudium hoc in primis optimo, & præpotenti Deo diſplicuiſſe: cum in ea ciuitate, quæ Sanctæ ſuæ caput Eccleſiæ futura erat, gymnaſium durare diù paſſus non ſit, quoniam altero ab illius conſtructione anno ictu fulminis conflagrauit, deuaſtata etiam in Conditoris dedecus, quæ in eo fuit, Neronis effigie, ſcilicet Cæſonio Peto, & Petronio Turpiliano Coſſ. dedicatum, & ſequentibus P. Mario, & L. Aſinio combuſtam; idem

Tacitus *a* litteris tradidit. a lib. 14. & 15.

Ro. Non ſemel accidit, Neronis vt effigies igne corrumperetur: nam apud Plinium *b* veſtrum legitur, iuſſiſſe illum ſe pingi coloſſeum pedum centum viginti, quæ pictura iam peracta in Marianis hortis accenſa fulmine cum optima hortorum parte conflagrauit. Sed, quod ad rem facit ſatis dixi, non res, ſed vitia hominum damnari oportere. Si Nero, & Græci virtutis cauſſa, non ad corrumpēdam iuuentutem, gymnaſia inſtituiſſent, quis illorum damnaret conſilium? nam valetudo bona; quæ à medicis dicitur moderatis laboribus, & exercitationibus comparari, & ſapientia, quam philoſophi profitebantur, & in exedris docebant; vt ante dixi; res eſt omnium optabiliſſima, & probanda maximè. b lib. 35. c. 7.

Hos. Vtraque res optima eſt, & iure, ac merito à cunctis expetitur. Sed fuere quoque in Italia ſapientiæ magiſtri, vbi gymnaſium olim fuit, vt antè diximus, nullum. Et in campo Martio iuxta Tiberim ſe ſatis Romana iuuentus exercebat, vt in agro iuxta Eurotam Lacedæmonia. Quid verò ad bonam valetudinem gymnaſia conferunt?

Ro. Medicinæ perito eſſet opus, qui hoc doceret. Non aliud ego reſponderim, quam quod olim à Medicis audiui, & in quibuſdam de re medica voluminibus, à quorum lectione minimè abhorreo, ſcriptum reperi: nam quærere bonam valetudinem, & partam tueri, eiuſdem eſſe ſtatuunt facultatis; gymnaſticam verò ad illam partem medicinæ pertinere, cuius eſt bonam valetudinē conſeruare. Meum verò eſt huius rei iudicium medicinæ peritis relinquere.

Hos. Modeſtè prorſus. Nec tamen ego idcirco damnandus ſim, quod aliter ſentiam, etenim doctus à viro celebri, medicoq; nobiliſſimo, conterraneo

meo,

meo, gymnasticam puto nullam medicinæ partem esse.

Ro. Rem sanè nouam, & antea mihi nunquam auditam proponis. Sed ita mihi arriserunt, quæ paullò ante de altero conterraneo tuo audita narrasti, vt desiderium excitent ea cognoscendi, quæ de gymnastica iste dixerit, qui tibi tantum probatur. Immo rogo te pro nostra necessitudine, vt aliquam explices rationem, qua te iste adduxit, vt aliter, quam ego sentias: nisi te grauius aliquod negotium impedit.

Hos. Immo si per otium libet audire, libens omnia narrabo, quæ semel me præsente, duo pari celebritate, ac nobilitate vrbis nostræ medici disputarunt: quibus, ob virorum auctoritatem, sic animum adhibui, vt nè verbum quidem memoria deinceps exciderit. Fuere autem Antonius Fumanellus, & Hieronymus Fracastorius.

Ro. Probati illi quidem, & grauες viri; nam aliquando memini à peritis quibusdam sic eos memorari, vt constaret, magni nominis sua ætate medicos exstitisse. Audiui etiam volumina de re medica, edita ab vtroque & Fracastorium inter bonos quoque poetas locum habere.

Hos. Vera audiuisti. Sed quia testis domesticus videor, quæ de virtute, atque illorum præstantia sentio, pluribus persequi non audeo. at incipiam ea referre, quę sum pollicitus; visi autem sunt mihi ita disserere, vt tamquam doctus vterque à me probaretur. Sed Fumanelli oratio mihi magis persuaderet.

Ro. Incipe quæso.

Gymnasticam non esse partem medicinæ.

Hos. Non nego, Fumanellus dicebat, Gymnasticam à Platone laudari plurimum, sed eam pertinere ad medicinam, & medicinæ partem esse, nec Plato dicit, nec firmis vllus rationibus comprobauit.

Ad

Ad hæc verò Fracastorius, docuit Galenus, *a* sanitatem quatuor auxiliorum generibus custodiri, quæ à Græcis vocari scimus τὰ προσφερόμενα, τὰ κινούμενα, τὰ ἔξωθεν προσπίπτοντα, τὰ ποιούμενα quarto genere continetur motus omnis, & exercitatio (libet enim cum Galeno *b* motum ab exercitatione seiungere) gymnastica verò motus nostri corporis, & exercitationes moderatur. Hic verò Fumanellus; Quid tum? Sequiterne, quoniam in exercitatione versatur, idcirco ad medicinam pertinere? Respondit ille, Quid ni? Quoniam, inquit Fumanellus, plures, & dissimiles artifices in eadem solent materia versari: tuque id probe nosti. Tum Fracastorius pro me, inquit, libro ad Thrasybalum *c* Galenus loquitur: idem artifex, quia materia eadem, & opus idem: nam bonus habitus, quem curat gymnasticus, solo nomine differt à sanitate, quam medicus curat: Quid est enim sanitas aliud, quam bonus habitus? Immo plurimum, inquit Fumanellus, inter se differũt: nam si concessero, sanitatem boni habitus nomine venire, non tamen protinus sanitatis appellatione bonus habitus intelligetur: nam sanos videre est plurimos bono habitu carentes: neque enim dixissent veteres, Cherephontem *d* illum Tragædiarum scriptorem bono esse habitu, qui & pallidus, & tanta fuit tenuitate corporis, à lucubrationibus contracta, vt noctua fuerit per iocum appellatus: neque item Philetam *e* Coum exametrorum poetam bono habitu esse dixissent, cuius tanta gracilitas fuit, vt aduersus ventorum iniuriam; nè scilicet ab eis raperetur, aut impelleretur, plumbo pedes munire coactus sit: namque ad bonum habitum constituendum corpulentia requiritur, & quæ ἐυσαρκία grecis, seu, vt est apud Hippocratem libro de victu acutorum, (etsi alioquin

obscu-

a ad Thrasybal. án ars tuẽdę san. p.c.40.

b lib.2. de san. tuen.c.2.

c cap. 12.

Sanitas, & bonus habitus differunt.

d Aristophanes auibus.

e Ælian.var.hist. lib.9.Suid.

obscurus locus est) εὐσάρκωσις, citra quam consistere sanitas valet; Quin etiam Plato, *a* cum ait, bonũ athletarum habitum esse ad valetudinem dubium; etenim sunt athletæ somnolenti, ac si parum ab instituto victu discesserint, grauiter ægrotant, his, inquam, docet, differre inter bonum habitum, & valetudinem; quod si quis velit subtilius disputare, dixerit, sanitatem Aristoteli *b* non esse habitum, longè igitur minus esse bonum habitum. Tum Fracastorius, isthæc, inquit, noua non sunt, sed satis fuere Galeno cognita, & animaduersa, qui duo gymnasticæ genera fuisse docuit, alterum athletarum, quod & vitiosum esse affirmauit; alterum verò legitimum, quod pertinet ad medicinæ scientiam. Nec eo fuit ab Aristotele discors, quod sanitatem habitum dixerit, quam Aristoteles, vt dixisti, habitum esse negauit; nam habitus appellatio ipsi quoque Aristoteli *c* varia fuit, qui formas quoque naturaleis aliquando habitus appellauit: & Galenus docuit, sanitatem perfectam, quæ bonus habitus dicitur, ad sanitatem addere permanentiam; id est enim, quod habitus nomen significat. Quo Fracastorij responso lis dirempta videbatur, nisi quiddam maius aggredi Fumanellus tentasset: non enim veritus est interrogare, quibus auctoribus duplicem Galenus gymnasticã constituisset, veluti sibi sola Galeni satis non esset auctoritas. Quæ interrogatio, vt me plurimum commouit, pro ea opinione, quam de Galeno semper habui, ita ad Fracastorij responsum excipiendum attentionem fecit. Ille verò inquit; Gymnasticæ legitimum auctorem Galenus *d* Hippocratem vocat, item Dioclem, Praxagoram, cæterosq; præstanteis medicinæ auctores; Quod est in eius oratione perspicuũ. Quis verò ex illis, duplicem esse gymnasticam tradiderit, clarè

a lib. 3. de Rep.

b in prædicam. de qualit.

c lib. 1. de gen. & corrup. tex. 55.

Vtrum duplex Gymnastica.

d ad Thrasyb. an ars tuendæ san. c. 38.

clarè quidem à Galeno expositum non est, sed videtur potuisse aliquam de sententia illorum coniecturam capere ex Platone, qui vitiosam quandã gymnasticam esse significauit. Mihi verò ipse satis est grauis auctor Galenus. Quinimmo grauissimus, debet esse, inquit Fumanellus. Sed probe nosti, quantum obesse ad verum inuestigandum auctoritas valeat. Age Galenum admiremur, vt debemus maximè; interea tamen auctoritatem illius seponemus, quo liberius veritatem intueri valeamus; nam si nos fortè rationum momenta in sententiam Galeni deduxerint, ille fiet nobis, quam hactenus, admiratione, & summis laudibus dignior.

Cum igitur Fracastorius non dissentiret, ille in hunc modum disserere perrexit. Meministi, vt puto, Galenum *a* docere, ex Platonis libro tertio de Rep. Gymnasticam quãdam vitiosam esse: dicebat enim, superuacaneam quandam diligentiam esse, quæ domui, ac militiæ regendæ, sedentarijsq; magistratibus in ciuitate gerendis incommoda est, & omni virtuti exercendæ impedimentum affert. Hic Fracastorius, an inquit, hæc non videntur satis exprimere vitiosam facultatem? Videntur sanè, inquit Fumanellus, sed non gymnasticam. De Gymnastica obiecit Fracastorius, sermo est Galeno. At ille occurrit, Galeno quidem, inquiens, sed non Platoni. Platonem igitur, rogauit Fracastorius, citando, Galenus deceptus est? Nescio, respondit Fumanellus, an deceptus sit, hoc noui, suo illum arbitratu Platonem interpretatum esse, & verba eius ad suam sententiam accommodasse, nisi melius dixerimus, detorsisse; nam de medicina Plato, non de gymnastica loquebatur: scilicet de arte verba faciebat, quam Æsculapius exercuit, quam dicit, exstitisse medicinam quandam longè

a eod. ad Thrasi. c. 36.

Platonis locus non benè acceptus à Galeno.

gè ab ea diuersam, quæ sua tempestate in vsu erat, quam morborum pedissequam esse, & morbos alere, cum illam Æsculapij nullam victus curam habuisse significauerit, sed tantam euacuationis, vstionis, incisionis, & similium, quibus ęger, cui otium ad ægrotandum non est, liberari celeriter possit. Hæc de medicina dicta sunt. Ex ijs tamen verbis, quibus hæc à Platone sententia exposita est, ea Galenus accepit, quibus gymnasticam damnaret, quasi Plato, gymnasticam, dixerit ad omnia ciuilia negotia impedimento esse; cum hoc ille de medicina dixerit. Quem locum videre per otium diligenter poteris. Nunc verba mecum examina, quæ pauca memini ex vtroque. ἄγε περαι πέρω γυμναστικῆς ἡ περιττὴ αὕτη ἐπιμέλεια τοῦ σώματος. Vides cum gymnastica aliam quandam facultatem comparari, à qua facultate nos ait occupari magis, quam ab ipsa gymnastica. Cum sit igitur alia, quam gymnastica, ex reliquo sermone, medicinam esse, intelligimus. Ad hæc Fracastorius, ne, inquit, tam prompti, quæso, simus ad Galeni optimi auctoris accusationem. Si Platonis illa comparatio recta est, ex ea procul dubio colligemus, etiã gymnasticam fuisse vitiosam; ea est enim rectæ vis comparationis, vt similitudinem esse inter res comparatas demonstret. Et hoc fortè Galenus cogitabat, cum illa visus est ad gymnasticam traducere, quæ Plato dixerat, vt tibi videtur, de medicina. Sanè cum deinceps idem Plato illa manifestè de gymnastica dixerit, quæ ab ipso Galeno referuntur, videlicet, Exercebit autem in gymnasijs corpus, respiciens magis ad animositatem naturæ, illamq; excitans, quam ad robur, neque quemadmodum athletę alij roboris gratia victum instituet; Cum hæc, inquam, Plato dixerit, non nè perspicuè ostendit, gym-

nasticam alteram esse legitimam, & probandam, alteram verò vitiosam, & respuendam? nam altera vires corporis procurat, quam damnare videtur, altera, quam laudibus extollit, naturæ animositatem; τὸ θυμοειδὲς τῆς φύσεως respicit, atque exsuscitat. Tu considerabis per otium, inquit Fumanellus, verum priora verba rectè, ac si de gymnastica dicta essent, acceperit. De posterioribus, quæ tu memoriter ex latina editione dixisti, rem dicam à nemine (quem ego nouerim) obseruatam, modò mihi te velis æquum præbere auditorem, vt, pro tua humanitate, hactenus fecisti. Cui Fracastorius, dubitas, inquit, de mea erga te voluntate? perge obsecro, nam æquiorem me neminem habere potes.

Ille verò, vt igitur, inquit, intelligas mei scopum sermonis, scire primum debes, me sic existimare, & statuere, vnam fuisse verè gymnasticam; & eam inter vitiosas potius, quam inter honestas fuisse reponendam, vt auctoritates, quas adduxi plurimas, demonstrant. Non obstare autem Platonis verba, quæ tu paullò ante retulisti, quibus duplicem gymnasticam exstitisse, tibi persuasum esse ostendebas; tunc dilucidè percipies, cum ad memoriam reuocaueris, quod vel leuissimè in Platone versatis notum est, & vulgo quoque dictitatur; si memineris, inquam, fingi à Platone Rempublicam, & suo arbitratu constitui talem, qualis alicubi numquam exstitit: in qua, præter eam, quæ communiter seruabatur, rationem, à Platone multa decernuntur de vxoribus, de liberis, de magistratibus, de artificijs: poetas etiam ab eo pelli meministi, & in educandorum ratione puerorum nihil habere non singulare. Similiter igitur de gymnastica locutus est, & secus statuit, quam vulgatæ gymnasticæ conueniret: cum, scilicet, eam di-

Vna fuit Gymnastica.

cit, animositatis potius rationem, quam virium, siue roboris habituram: hoc enim dictum est, non de vera, & quæ exstabat, gymnastica, sed de ea, quam ipse commentabatur, & solus mente concipiebat. Vt ex hoc cognoscamus, gymnasticam, quę exstabat, quęque in vsu erat apud Græcos, & cognoscebatur, & pro gymnastica habebatur, quam pueri passim docebantur, & exercitationes, & reliquum victum consueuisse ad robur virium dirigere, & illam fuisse vnã, & vitiosam potius, & illiberalem; quam honestam, assero, & profiteor: de qua tunc Plato est locutus, vbi dixit, athletarum habitus somnolentus, & ad valetudinem dubius; & arbitror, contrariam opinionem non posse satis, quibuscumq; argumẽtis confirmari.

Ro. Iam perspicio caussam, hospes suauissimè, quamobrem, paullo ante, vsum non probabas gymnasiorum: putoq; te commotum etiam Plinij *a* verbis, quibus aduersus immodicè libentes inuehitur; qui cum admirabilia, multaq; sitis irritamenta excogitarunt; tum illa, quæ his verbis expressit; Huc pertinet peregrinæ exercitationes, & volutatio in corno, & pectorosa ceruicis repandæ ostentatio. Sed & illud eiusdem de oleo dictum, gymnasiorũ odium tibi fortasse concitauit, vsum eius conuertere ad luxuriam, Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnasijs publicando. Sed hoc videtur esse, quod Plato voluit, & Fracastorius vester tuebatur: cum enim Plato intelligeret, Gymnasticã virtutis primò caussa institutam, spacio, & tempore deinde ad vitia declinasse, in sua docere Republica voluit, vt ad pristinam posset dignitatem, atque honestatem reuocari: Gymnastica enim non idcirco non honesta existimanda erat, quod illa intemperantes, & libidinosi abuterentur; immo contra, quoniam à virtutis, & honesti

a lib. 14. c. 22.

honesti

honesti studio initium duxit, honestissima censeri debuit. Verum hæc à me dicta sunt, non ad intercipiendam narrationem tuam, quam cupidissimè audio; sed vt breui silentio spiritus ad reliquam narrationem resumeres, itaque perge obsecro.

Hos. Pergam, vt libet. Istam, igitur inquit Fracastorius, opinionem nec damno, quia iudiciū tuum vt amici, doctiq; hominis plurimi facio; nec probo, quia de Galeni iudicio minus bene sentire, sine periculo nostræ existimationis quodam, non licet: grauissimi enim auctoris opinionem deserere, nisi ex maxima, & valdè perspicua caussa, non debemus. vbi libri copia erit, locum accuratè pensitabo, ac tum denique dijudicabo: interim sunt alia in Platonis voluminibus loca, præter istum, de quo disseruisti, quæ Galeni sententiam dilucidè confirmant: ille *a* enim ex Platonis Gorgia perpendebat illa verba, quibus Socrates docebat duas esse artes alteram animæ, quam se ciuilem appellare dicebat, alteram corporis, quam quo appellaret nomine non habebat: sed cum vna esset curatio corporis, duas arteis nominabat, gymnasticam, & medicatricem: & ex his ipse Galenus colligebat, gymnasticam illius partem esse, qua corpus curatur; & idcirco gymnastica medicinæ pars censeri debet. Etenim medicina curatrix corporum sola dicitur. Tum, recordare, Fumanellus inquit, quæ Galenus eo libro ad Thrasybulum, *b* quo rem hanc examinat, de diuisione dicebat, in qua Plato gymnasticam medicinæ opponebat. Memini, inquit Fracastorius, à Galeno magis probari, vt medicinæ partes statuantur conseruatrix, & mediatrix, & gymnastica pars quædam esse conseruatricis accipiatur. Rectè meministi, Fumanellus inquit, sed iam perpende, vtrum, quæ Plato, eadem ipse Galenus dixerit.

a eod. ad Thrasyb. c. 35.

Platonis locus non satis à Galeno explicatus.

b cap. 39. 40. 42.

xerit.

xerit. Noluit Galenus à Platone inquit Fracaſtorius, diſſentire, & de ſolis verbis, non etiam de ſententia controuerſiam eſſe, ipſe Galenus *a* eodem libro admonuit. At maior eſt, inquit Fumanellus inter vtriuſque ſermonem diſſimilitudo, quam vt poſſit perſuaderi, de ſolis verbis litem eſſe; Putaſne, Fracaſtori, diuidendi methodum à Platone ignoratam? Nequaquam, Fracaſtorius reſpondit, nam, præter id, quod doctiſſimi, quos in promptu habemus, Platonis ſermones hoc docere quemlibet poſſunt; Galenus ei plurimum in ea re tribuiſſe cognoſcitur, præſertim vbi *b* Platonem cum Hippocrate comparauit. Si igitur ita ſe res habet, inquit Fumanellus, malo Platonem à crimine malæ diuiſionis vindicare, quam illum fateri aberraſſe, vt cum Galeno in hac re, de qua diſputamus, concordem eſſe demonſtrem.

a cap. 40.

a lib. 9. de decr. Hip. & Plato.

Itaque hoc primò videamus, num ſcilicet ea fuerit Platoni mens, vt gymnaſticam putaret medicinæ partem eſſe (quod à Galeno ſumitur) an eſſe integrum membrum, e regione ponendum medicinæ; nam ſi cum Galeno diuiſerimus medicinam ea ratione, vt eius pars vna ſit, quod ab eo vocatur ſalubre, τὸ ὑγιεινόν, altera verò ſit, dictum curatiuum, τὸ θεραπευτικόν, & gymnaſticam ſub ſalubri contineri; Platonem accuſabimus, quaſi methodo diuidendi abutẽtem cum gymnaſticam loco ante dicto medicinæ ſpeciem ſcilicet generi, partem toti oppoſuerit, quod abſurdum eſt; quodq; vitare non valemus; niſi dubia illa interpretatione *c* recepta, gymnaſticæ appellatione ipſum ſalubre τὸ ὑγιεινόν; intelligendum; quam Galenus interpretationem non adeo probauit, quin eos rectius facturos dixerit, qui medicinam in ſalubrem, & curatiuã diuiſerint, & gymnaſticam ſalubris partem conſtituerint; ſed animaduertamus

c lib. ad Thraſxb. c. 39.

uertamus diuersitatẽ; opponit Plato gymnasticam medicinæ; γυμναστικὴν ἰατρικῇ, at vocabulum ἰατρικῆ, nunquam à Galeno (ex sententia) sumitur ad significandum solam medicinæ partem, quæ salubri τῷ ὑγιεινῷ, è diuerso posita est, sed ad indicandũ medicinę scientiam vniuersam, quæ salubre ipsum tanquam partem, siue speciem comprehendit, ipsum scilicet ὑγιεινόν; cum vocet *a* Galenus alterum, quod stat è regione ipsi ὑγιεινῷ, θεραπευτικόν. Cui accedit, Hippocratem libro de locis in homine opposuisse γυμναστικὴν ἰατρικῇ.

a lib. ad Thrasyb. c. 4. & li. 1. de san. tuen. c. 1.

Istud tum inquit Fracastorius à Galeno ignoratum non est, qui idcirco dixit, Platonis temporibus nondum Græcos, aut artem ipsam, aut eius professorem salubrem, hoc est ὑγιεινόν, appellare consueuisse; neque enim Hippocratis liber, in quo de sanorum viuendi ratione verba facit salubris inscriptus est; sed de victus ratione, περὶ διαίτης: & in tractanda salubri parte veteres solis exercitationibus fuisse contentos: quamobrem γυμναστικὴν salubrem medicinæ partem appellarunt: quod Plato, & Hippocrates fecerunt. His verò huncin modum à Galeno explicatis, tua satis obiectio diluta videtur. Tum Fumanellus, tace, quæso, inquit, Fracastori, donec omnia, quæ de hac re in mentem venient, etsi tuo fortasse stomacho minus grata, enarrauero.

Galenus negauit, Hippocratis librum, postremo à te memoratum, habere hanc inscriptionem, salubris, vel ὑγιεινός: & asseruit, exercitationum dumtaxat rationem in salubri parte veteres habuisse. Ego verò, eumdem librum, dico, non inscribi de gymnastica, & in eo exercitationum mentionem paucam haberi, cibi autem, & potus plurimam: præterea in meis codicibus librum hunc inscribi salubrem, quo-

niam

niam Græca inscriptio est περὶ διαίτης ὑγιεινῆς, id-est, de salubri dięta, quam Galenus etiam inscriptionem agnouit. Et in hoc ipso libro, præter ea, quæ de regionibus, & ventis differit, de cibis etiam, & potionibus, de balneis, de Venere, de vomitu, de somno, & vigilia, de otio, & labore copiosè loquitur, quo intelligimus; & si de exercitationibus deinde, & de lassitudinibus sermonem habet non breuissimum; veteres tamen græcos auctores non existimasse, salubrem partem aut solum aut maximè in exercitationibus positã esse: itaque non assentiar, nomine gymnasticæ salubrem partem medicinæ ab Hippocrate significatã (quod tu ex Galeno obijciebas) sed cum è regione ab eodem statuatur (vt dicebam) gymnastica medicinæ, ac tradatur, contrario modo se habere; eo præsertim nomine, quod gymnastica præsentem non vult statum mutare, medicina verò mutationis studiosa est, quo fit etiam, vt Platonem has existimem tamquam contrarias accepisse, in quas primo illud commune diuideretur, quod nomine carere asseruerat; cum hæc, inquam, ita se habeant, gymnasticã à medicina penitus esse diuisam, statuere oportet. Quid ergò, rogauit Fracastorius, inter gymnasticam interest, atque salubrem? non nè vitat salubris quoque mutationem, perinde, atque gymnastica? ergo salubris non erit pars medicinæ, quod absonum est, cum sit trita medicinæ diuisio in curatricem, & salubrem, alias conseruatricem dictam.

Cui obiectioni vt Fumanellus occurreret, cępit altius repetere inquiens, Rudem, & imperfectã medicinæ scientiam vsque ad Hippocratis ætatem fuisse, ipsi credere Hippocrati debemus, *a* qui vetustiores illius auctores sæpè notauit, quod multa ignorauerint, quod malè de multis scripserint, maximè verò

a lib. 1.& 3. de diæta libro de diæta acutorũ.

quod

quod de viuendi ratione nihil memoratu dignum tradiderint; de qua cum ipse plurima scripsit accuratissimè, tum illius inuentum sibi non dissimulanter, sed apertissimè tribuit. Quia verò salubris pars medicinæ, τὸ ὑγιεινόν, vel ἡ ὑγιεινὴ, à posterioribus appellata in ratione victus tota versatur; ideo adducor, vt credam, ætate Hippocratis nondum medicinæ partem habitam esse: quippe ignorabatur, vt Hippocrates testatus est. Medicinæ autem appellationem sibi partem alteram vsurpasse, quam sequens ætas curatricem, θεραπευτικὴν, nuncupauit, atque ideo Hippocratem libro de victu acutorum; cum ægris sanitatem proponit, benè valentibus securitatem, & se exercentibus, bonum habitum, inquiens, τοῖσι νοσέουσι πᾶσιν ἐς ὑγιείην, μέγα τι δύναται, καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἐς ἀσφαλείην, καὶ τοῖσιν ἀσκέουσιν ἐς εὐεξίην; cum hæc, inquam, Hippocrates dixerit, existimo treis artium diuersarum trium fines proprios; & separatos ab eo significatos; atque si, quæ sanos curat, vt conseruet, alia sit quam ea, quæ curat ægros, vt à morbis liberos reddat; & quam ea, quæ bonum habitum inducere studet, quæ à prædictis duabus diuersa est; itaque non miror; & si tam salubris, quam gymnastica mutationi non studet; rationem ab Hippocrate salubris non habitam, cum dixit, gymnasticam, & medicinam contrario modo se habere. Nunc verò; cum iam receptam sit, salubrem esse, ac dici partem alteram medicinæ; possum etiam explicare, quo salubris ab ipsa gymnastica differat. Sed prius velim, vt reliquas (si quas habes) dubitationes exponeres, quibus ostendi putas, gymnasticã partem esse, siue membrum aliquod medicinæ.

Gymnasticam esse partem medicinæ, quatuor rationibus ostenditur.

Quatuor, inquit Fracastorius, occurrunt, de quibus tuam sigillatim sententiam exspecto. Plato scri-

bit (quod eſt primum, atque idem, quod nunc agebamus, quodq; cupio expediri, non enim pendere diutius poſſum) Plato, inquam, *a* ſcribit, ſub eadem contineri gymnaſticam, & medicinam: ac ſanè conſtat, vtramq; in eadem re verſari. Rurſus libro tertio de Republica ab eodem Platone ſcriptum eſt, Herodicum miſcuiſſe gymnaſticam medicinæ, quod videtur idem, quod, gymnaſticam medicinæ partem conſtituiſſe. Præterea in eodem libro ſcriptum memini: ſanitatem induci corporum à gymnaſtica, ſicut temperantia in animis à muſica exoritur; τὴν μὲν μουσικὴν ἐν ψυχαῖς σωφροσύνην, τὴν δὲ γυμναστικὴν ἐν σώμασιν ὑγίειαν, & Timæo, optimam, dixit corporis conſtitutionem, quæ ab exercitationibus naſcitur, τῶν συστάσεων σώματος ἡ μὲν διὰ τῶν γυμνασίων ἀρίστη. hæc verò ſanitas eſt. Poſtremò Hippocrates libro ſecundo, & tertio de diæta, illarum naturam exercitationum expoſuit, in quibus athletæ exercebantur, cuiuſmodi eſt, curſus, lucta, ſummis manibus colluctatio, & reliquæ; quo ſignificat, notitiam hanc ad medicum pertinere; & gymnaſticam eſſe partem medicinæ; & primo eiuſdem tractationis libro dixerat, medicum poſſe (ſi adſit) eius, qui ſe in gymnaſijs nudus exercet, valetudinis tuendę ratione͂ agnoſcere: tamquam illa tempeſtate medici gymnaſijs præeſſe conſueuiſſent. Has propoſuit Fracaſtorius dubitationes, quas vt dilueret Fumanellus, ſic orſus eſt. Prior, ac poſterior tuarum dubitationum ita ſunt affines, vt queãt ſimul explicari, & dilui quia tamen pleniorem orationem deſiderant, vltimo loco tractabuntur; reliquas in præſentia perpendemus. In priore igitur Platonis loco duo ſunt, vnum, dici Herodicum gymnaſticam miſcuiſſe medicinæ: alterum verò, hoc Herodici conſilium à Platone damnari; &

vnà

a Gorgia.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Ad ſecundam rationem.

vnà medicinam refelli, quæ præter pharmaca, & manuum auxilium, victui quoque adhibet modum. Quod igitur (vt de priori loquar) Herodicus id fecisse dicatur, hoc mouere quemquam nõ debet, cum Herodicum veluti medicinæ auctorem nemo agnoscat. Et licet quidam fuerit Herodicus Selymbrianus Hippocratis præceptor, vt Soranus testatus est, & apud Suidam legitur; non est tamen verisimile, hunc fuisse gymnastam, cuius historia apud Platonem legitur, & medendi modus ab Hippocrate, vt audies, damnatur. Sed Galenus plures hoc nomine exstitisse memorauit ad librũ sextum Epidem. Quod verò (vt alterum quoque expediam) ex Herodico Plato medicinæ partem hanc, quæ victum obseruat, reijcere voluerit (quod omittendum non est) satis foret Hippocratem Platoni obijcere; nam victus obseruationem; quam Plato dicit, filios Æsculapij in curandis morbis neglexisse; Hippocrates, ex eadem Æsculapij cognatione profectus, maximè vtilem, & esse in primis necessariam multis docuit, quæ te non latent, hocq; loco referre non est necesse. sect. 3.

Sed eam victus obseruationem, quam induxit Herodicus, iure damnatam existimo: sed voluissem, Platonem apertius rem explicasse: namque quod in parte damnatum iure concedimus, hoc negamus in toto. Herodicus ad ægros curandos fertur induxisse gymnasticam obseruationem, quæ maximè in laboribus versatur; hoc iure contemnitur. At victus ratio, vt vniuersè dãnetur, nec Platoni, nec cuiuis alij concesserim; neque me quisquam doceat, hanc, quam videtur Plato adprobasse, medendi rationem; vt, neglecta victus obseruatione, vel potenti pharmaco, vel vstione, vel incisione ægros momento, vel sanitati, vel à morbi molestia interitu liberemus: hoc Plato notatus.

enim ab humanitate (vt de Chriſtiana pietate nihil dicam) alieniſſimum eſt: quod ſi ciuilis vir viſus eſt (vt eodem loco dicitur Æſculapius, quod hoc medicinæ genus liberos docuerit ſuos; quaſi Reipublicæ commodo fiat, vt æger confeſtim, aut ſanetur, aut pereat; longè magis probandæ ſunt Reſpublicæ, quæ hoſpitia, & valetudinaria ad ægros pauperes è publico curandos inſtituerunt: eſt enim & humanitati conſentaneum, & Reipublicæ commodum, atque vtile, vt pauci miniſtri multos ægrotanteis incolumeis ipſius Reipublicę muneribus ſeruent, alioqui neglecta curatione, vel immani, & barbara illa, quã Plato laudabat adhibita, magno humanitatis dedecore, perituros. Quid enim turpius, quam, vt otio indulgeas, vel parcas ſumptibus, hominis ſalutem prodere? Sed rem totam ſemel aperiamus.

Verè Plato dixit, Herodicum adiunxiſſe gymnaſticam medicinę, & idcirco iure quoque eundem condemnauit, quem Hippocrates etiam antea damnauerat libro ſexto *a* epidemion, inquiens, Herodicus febricitanteis interficiebat, circuitibus, luctis, multis fomentis: ſcilicet Herodicus, cum eſſet gymnaſticæ profeſſor acceſſit (vt Plato narrat) ad medicinam, & ad ægros curandos adhibuit victus rationem gymnaſticis quidem familiarem, ſed ægris minimè congruentem. Sed hoc licet concedamus, non protinus tamen ſequitur, vniuersè victus rationem, vt ægris incommodam contemnendam, & deſerendam eſſe, quæ exercitij quidem, & laboris rationem habet, ſed vt ſimul cibi, & potionis modum ſtatuat, ſomni itẽ, & vacuationum, & aeris, & animi perturbationum: & labores ea moderatione adhibeat, vt cum gymnaſtica commune nihil habere videatur. Fucum autem Plato fecit, dum ex vera Herodici accuſatione

a ſect. 3.

ad falsum totius artis criminationem trāsilijt. Quod si verè, & honestè hanc potuisset damnare medicinæ partem, quæ victu curat, non fuisset Herodicus magis, quam Hippocrates accusandus: sed accusauit Herodicum, quia res nota erat, vulgatis criminibus, quibus rationalis medicinę auctores eundem notabant: Hippocratis placita carpere non est ausus. Quod verò mixta erat Herodici medicina ex rationali, & gymnastica, oblata est occasio fallendi, quasi vna atque eadem esset Herodici, & rationalis medicina hæc verò dissimulatio Platoni commodè cessit, puto, vt hoc quoque insolenti instituto suam Remp. exornaret. Quod si præterea dixerimus, Æsculapium, & liberos eius medicinam, quæ victu curat, ignorasse; hoc absonum videri non debet: quinimmo consentaneum ijs est, quæ de viuendi ratione Hippocrates scripsit, qui se disertè eiusdem inuentorem pronuntiauit, ac veteres ob id, quod eam ignorauerint, carpsit sæpius, & notauit. Sed hæc hactenus. Constat igitur, nihil sumi ex hoc Platonis loco, quod efficiat, Gymnasticam medicinæ partem dicēdam esse; cum Herodici illius nulla sit apud medicinæ rationalis cultores auctoritas, & consilium eiusdem ab Hippocrate simul, & Platone; quamquam longè meliore ratione ab Hippocrate, quam à Platone, vt audiuisti, damnatum sit.

Ad hæc, Fracastorius inquit, fateor isthæc mihi noua esse omnia, & hactenus non audita, etsi cognitu nec iniucunda, nec inutilia. Verum, si lubet, sequere. Erat, inquit Fumanellus, tertium, quod obijciebatur eiusdem Platonis auctoritas libro eodem, & alibi, dicētis, sanitatem in corpora per gymnasticam induci. Cuius dubitationis diluendæ fundamentum ieci, cum reuocaui in memoriam tibi Platonem ijs

Ad tertiam rationem.

de

de Rep. libris multa ab vsu vitæ communi abhorrentia scripsisse. Cum igitur videret gymnasticam, quæ exstabat, non esse ad sanitatem idoneam; quòd apertè dixerat eodem libro, athletarum habitum esse ad valetudinem dubium; cępit cogitare, ac disserere, qualis deberet gymnastica in ea esse Republica, quam ipse optimam commentabatur; dixitq; simplicem vt musicam, ita & gymnasticam esse probandam; quoniam vt in Musica parit varietas intemperantiam, ita pariet in gymnastica ipsa varietas ęgritudines, quorum contraria simplicitas, hic videlicet sanitatem, illic verò temperantiam efficiet. Ista tunc inquit Fracastorius, admonitio mihi ex animo non excidet; quamplurimũ me in domu recepero libros illos, quos testes laudasti, attentè denuo versabo, vt intelligam, an ita se res habeat, vt à tè dicitur. Sed de Timæi loco quid dicis, vbi locum non habet ista interpretatio? nam consentaneum est, eo loco sermonem esse de vulgari gymnastica, quoniam de reliquis etiam rebus, vt apud vulgus se habebant, loqui videtur.

Tum inquit Fumanellus, Isti quoque respondebo; sed audi prius, quid insuper mihi videatur de loco eodem libri tertij de Rep. licet enim de vulgata sermo esset gymnastica, tamen, nostra manet sententia. Monet Plato, vt Musica temperantiam parit, ita gymnasticam inducere sanitatem: At (vide) Musica non sola temperãtiam, nec solam, sed nonnumquam intemperãtiam efficit; cum videlicet, varietate quadam prædita est; Musica tamen est. Sunt verò temperantes etiam multi, qui Musicam nunquam didicere. Similiter, gymnastica non sola sanitatem, nec solam, sed nonnumquam morbos inducit; cum videlicet varietate quadam prædita est; Gymnastica

tamen

tamen est. Sunt verò & sani multi, qui nunquam gymnasticam attigerunt. Medicina autem morbos non efficit. non est igitur eadem gymnastica, & medicina, sicuti quoque non est eadem agricoltura, non venatio, non sculptura, & aliæ multæ non idem sunt, quod medicina; etsi nonnunquam idem, quod medicina, efficiunt; Sed constat apud omnes, hoc eis accidere. Venio igitur ad locum ex Timæo, de quo, quemadmodum de alijs similibus locis dicendum est, gymnasticam cõducere ad bonam valetudinem ex accidenti, & πάρεργον, vt deinceps exponam; nam expedit, vt de priore, ac postrema dubitatione dicamus primo: video namque omnia tam coniuncta esse, vt singula satis assequi non valeamus; nisi prius per omnia progredi festinemus: Itaque rectè dicebas, gymnasticam, & medicinam in eiusdem rei tractatione versari: cui addi potest, esse eadem quoque vtrique instrumenta. Sed non ob id efficitur, vt, vel vna ex duabus ars conficiatur, vel altera sit pars alterius: vtar ad hoc explicandum exemplo peruulgato; naturalis Philosophia cęlestia corpora contemplatur; Astrologia item, non est tamen scientia vna, sed duæ: neque dicimus alteram alterius partem esse. At in isto exemplo, inquit Fracastorius, differentia nota est: tuum esset explicare, quid differat inter gymnasticam, & medicinam. Differunt, inquit, fine, siue opere, & efficiendi ratione. Sed ante quam id exponam, debemus statuere, de vstra gymnastica sermo à nobis habeatur: de illa ne, quæ aliquando exstitit, an de aliqua, quæ numquam. De illa, quæ exstitit, inquit Fracastorius, sed vide nè fallacijs agamus; sermone aperto, & perspicuis rationibus, & ad veritatem recta ducentibus delector. Quasi Fumanellum, inquit ipse, nondum nouerit Fracastorius; putas me nesci-

Ad primam rationem.

Quid differat gymnasticã inter, & medicinã.

neſcire, fallacias, & ſophiſmata hanc, & iſtam caniciem non docere? non ago vt vincam, ſed vt veritatis compos euadam: quod ſi rem hanc minus benè percepi, lucro apponam, ſi, veritate detecta, tibi conceſſero. Dico ergo, Certamina quædam apud Græcos olim inſtituta, ad quæ ex vniuerſa Græcia plurimi ſeſe aſſiduis exercitationibus componebant, quod illorum victores certaminum ſummis, & apud ſuos, & apud exteros, laudibus efferebantur, & ſummum videbatur gloriæ faſtigium attigiſſe, qui in Olympia coronatus eſſet. Quod cum ex multis auctoribus notiſſimum eſt, tum vel maximè ex Pindari Poetæ vetuſtiſſimi carminibus. Fuere igitur & illarum exercitationum magiſtri, fuere & diſcipuli, fuere demum certa, & ſtatuta loca, in quibus exercebantur. Hinc apud Gręcos auctores fit crebra gymnaſticorũ mentio, pędotribarum, athletarum, gymnaſiorum: hæc, inquam, olim exſtabãt. Plato verò illam finxit rempublicam, quæ nuſquam fuit, in qua ſicut muſicam ſimplicem, ita ſimplicem quamdam gymnaſticam deſiderabat: non ad Olympica certamina, ſed ad bellum, & illius Ciuitatis cuſtodiam, quæ nuſquam reperiebatur, vt conſtat ex apertiſſimo eius ſermone, quem tuo arbitratu denuo perleges: non poſſum dilucidius, & apertius rem hanc explicare. De vtra igitur gymnaſtica ſermo nobis debet eſſe? De illa, inquit Fracaſtorius, quæ exſtabat, de qua paſſim Gręcos locutos, compertum eſt, de qua Hippocrates libro de locis in homine dixit; ἡ γυμναστικὴ, καὶ ἰητρικὴ ὑπεναντία πέφυκεν, & prima ſectione aphoriſmorum, ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν. Vtram verò, inquit Fumanellus, putas Socratem apud Platonem toties memoratam gymnaſticam intellexiſſe? Niſi locum, ille reſpondit, priuatim aliquem afferas, non

Gymnaſticæ origo.

audeo

audeo respondere, etenim non profiteor omneis Platonis libros edidixisse, & tanta diligentia volutasse, vt tuæ interrogationi generatim vno verbo satisfacere respondendo valeam.

Varia Platonis loca considerantur, ex quibus gymnasticæ opus colligitur.

Tum, inquit Fumanellius, in dialogo, qui Amatores inscribitur, Socrates inducitur, qui de philosophia cum quibusdam adolescentibus verba faciens, exemplo gymnasticæ vtitur ad illud explicandum, quod de philosophia quærebatur, & inquit, studium gymnasticæ esse non modo pulcrũ, sed bonum quoque; & in eo, qui Alcibiades dicitur, idem Socrates, vt explicaret arte alia nos ipsos; alia, quę nostra sunt, curari; illud exemplum attulit, gymnastica curari pedes, cerdonica verò non pedes, sed calceos, qui pedũ esse dicũtur: similiter gymnastica manus curari, anularia verò illa, quæ sunt manuum, quoniam anuli manuum esse dicuntur. Vtrum his locis gymnasticam significatam existimas, fictam, quam dixi, an eam, quæ exstabat, & nota erat in vulgus? Non potuisset, inquit Fracastorius, satis Socrates explicare, & ijs, quibus cum loquebatur persuadere, quæ volebat, nisi notis vsus esset exemplis. Itaque par est, locis istis notam vulgo gymnasticam acceptam esse, itemq; alijs, vbi quid similiter docere, aut persuadere Socrates inducitur. Sed quorsum ista? Vt intelligamus, inquit, quodnam opus, qui finis, quis vsus esset gymnasticæ, quæ exstabat: nam ex eisdem hoc exemplis colligi potest. Quomodo? inquit; & Fumanellus, recordare, inquit, eo ipso libro, qui inscribitur, Amatores, vel de philosophia, dici primum, studiosos gymnasticæ non aliud appetere, quam corpora illorum bene se habere: deinde quæri, num labores multi bonum habitum efficiant: quibus illa subiunguntur verba; Quonam pacto, inquit ille, ro-

De fine gymnasticæ.

S. CARLOS * BIBLIOTECA D. COLEGIO DE

buſtum corpus ex paucis laboribus fieri poſſit? ex his verò colligimus, opus, finemq; gymnaſticæ eſſe, corpus, vt bene habeat, efficere, bonum habitum comparare, corpus robuſtum reddere: quaſi quoque idem ſit bonus habitus, atque robur, libro, qui Sophiſta, vel de ente inſcriptus eſt, memento dici, duas quæ in corpore verſantur, artes repertas eſſe, quarum gymnaſtica deformitati, medicina verò morbis occurrit: tamquam gymnaſticę opus, & finis ſit, corporis bonus habitus, robur, & pulcritudo: ſiue tria ſint diuerſa, ſiue vnum tribus inſignitum nominibus, ſiue re vnum, ratione autem tria, vnde tria nomina indita.

a eod. ad Thraſyb. c. 12. & 14.

Memini, inquit Fracaſtorius, ſed etiam venit illud in mentem à Galeno *a* ſcriptum eſſe, bonum habitum, & ſanitatem inter ſe ratione ſolum differre, robur verò, & pulcritudinem eſſe ſanitatis aſſedas; quamobrem non habebis, quod cogitas: his enim contra, quam putas, oſtenditur, vnam eſſe artem gymnaſticam, & medicinam, quia in eadem materia, eiſdem inſtrumentis, eamdem ſpeciem, ſeu formam excitant, idem, inquam, opus efficiunt, quæ ſanitas eſt: nec ſum oblitus, in Gorgia ſcriptum eſſe, pædotribum, & medicum ſimiliter circa corpus operari, illud enim ornant, atque componunt; Mane quęſo, ſi lubet, inquit Fumanellus, nec ante concludamus, quam principia rectè perceperimus: hoc enim iam agimus, vt hos inter artifices, ſi qua eſt differentia, reperiamus: libro, quem dicis, qui Gorgias inſcribitur, vel de rhetorica Plato pædotribam hæc inducit dicentem, meæ profeſſionis eſt, corpora hominum formoſa, robuſtaq; reddere; quapropter habemus ex Platonis auctoritate, finem gymnaſticæ bonum habitum fuiſſe, ſeu (quod pro eodem acceptum

vide-

videtur) corporis robur, & pulcritudinem. Sed pedetentim progrediamur: nonne satis, quod de fine dixi, perspicuum videtur? Immo inquit Fracastorius, Agedum, Fumanellus, nonne sequitur, vt ex eodem Platone dicatur, quis huius operis artifex fuerit, & quibus hoc efficeret rationibus? Ita sanè, inquit. Fumanellus verò, nomen igitur si artificis desideras, iam ex Platone habuisti, qui in Gorgia, & alibi pedotribam vocat, quasi diceres, puerorum exercendorum magistrum. In Ciuili autem appellat gymnasticum. Sed de operandi ratione rem dicam parum animaduersam: atque hinc incipies intelligere, quo gymnasticus, & medicus inter se differant.

Dico igitur, Gymnasticum, seu pædotribam officio doctoris, seu magistri fungi solitum erga illos, qui sibi curandi tradebantur: pueros autem potissimum ei ad exercendum tradi solitos: quamobrem à pueris etiam nomen ortum est, pædotriba. Non sic autem infantes tradebantur, non mulier, natu, quam pueri, grandiores exercebantur, quidem multi, sed præcipua gymnasticorum, & pædotribarum cura circum pueros fuit: qui hanc facultatem non aliter à gymnasticis docebantur, quam à musicæ magistris musicam, litteras, & picturam ab illarū facultatum peritis, atque doctoribus. Non hoc mihi finxi, sed à Platone doctus trado, & affirmo: nam libro septimo de legibus ostendit Plato eamdem esse musicæ, & gymnasticę rationem, pręficiendosq; pueris, & puellis vt musicæ, ita gymnasticæ magistros (quamquā de puellis aliter loquutus est, quam vsus ferebat, & nouum esse dixit libro quinto de Republica.) In Protagora, cum de vulgata puerorum institutione loqueretur, dixit, eos, litteras primum, deinde citharā, tertio gymnasticā discere, quod est in Critone quo-

Gymnastici officium.

que ſcriptum, in ſecundo de Republica, & ſeptimo de legibus. Habeo etiam teſtimonium Ariſtotelis grauiſſimum ſcribentis in octauo politic. quatuor fuiſſe, quæ pueri doceri conſueuerant, litteras, gymnaſticam, muſicam, & picturam: nec aliter inuenies fieri de pædotriba mentionem.

Medici diuerſum munus quã pædotribæ.

Iam medico pædotribam comparemus: medicus enim contra, quam de pædotriba diximus, ætatem omnem curandam recipit, & æque mulieres, atque viros, vel ſalubrem partem, vel curatricem reſpicias: cumq; ſexum omnem, & ætatem promiſcuè ad curationem admittat, ita curat, vt medicinam doceat neminem, quam Hippocrates (vt noſti) pauciſſimos ſolum quoſdam doceri volebat, vt ex iureiurando illius intelligitur, quamquam & docere medicus poteſt, & neceſſarium eſt, eſſe medicos, qui doceant, & Clitiphone Plato dixit, duo fieri à medicina, ſanitatem videlicet, & doctrinam, τὸ μὲν ἔργον, τὸ δὲ δίδαγμα: tamen non ægros medici docent, ſed diſcipulos; medendiq;, ac medicinam docendi munera longè inter ſe differunt: gymnaſtici autem munus aliud nullum fuiſſe reperitur, quam varia exercitationum genera docere, quibus habitus bonus vocatus comparabatur. At medicos, quis vnquam ſaltationes docuiſſe, luctamve, & huiuſmodi alia teſtatus eſt?

Ariſtotelis locus de diuerſitate gymnaſtici, & pædotribæ.

Hic verò, qui fixis oculis immotus audiebat, Fracaſtorius, paullum commotus inquit, ego rem hanc Fumanelle, docebo ex Ariſtotele, ſecus ſe habere, ille enim octauo libro πολιτικῶν ea dixit, quæ alium fuiſſe gymnaſticum docent, quam pædotribam, & medicos eam potuiſſe rationem habere exercitationum, vt iure dici gymnaſtica ſalubris pars medicinę potuerit: nam dicit, pueros tradendos γυμναστικῇ, καὶ

παι δοτριβιαῆ, quas fuisse duas, atque diuersas facultates, sequentia Aristotelis verba demonstrant, quibus, diuersum earumdem artium fuisse munus perspicuè ostenditur: nam inquit, ἡ μὲν τίνα ποιεῖ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος, ἡ δὲ τὰ ἔργα, quod ego interpretabar, alteram exercitationum modos, & formas docere, alteram verò easdem ita moderari, vt ad bonũ habitum acquirendum ex vsu essent: ipseq; deinde Aristoteles docuit; gymnasticam esse, quæ corpus ipsum ποιόν τι ποιεῖ, quamquam visus est hoc Plato, quod Aristoteles gymnasticæ priuatim attribuit, pædotribæ, & gymnasticæ promiscuè tribuisse: quoniam, vt tu ante dixisti, pædotriba de se ipso apud a Platonem inquit, meæ professionis est, corpora hominum formosa, robustaq; reddere, τὸ δὲ ἔργον μοῦ ἐστὶ καλούς τε, καὶ ἰσχυρούς ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ σώματα; hoc enim videtur corpus esse ποιόν τι ποιεῖν, vt Aristoteles dixit, hoc est corpus afficere, & qualitate quadam donare, qui videlicet est bonus habitus: quod opus pertinere ad gymnasticum asseruit, cum Plato pędotribę tribuerit, qui in dialogo etiam, qui Amatores, vel de philosophia, inscriptus est, ait, interrogandum vel medicum, vel pædotribam, quales cibi, ac labores corpori conueniant, gymnastici omissa mentione: & priore Alcibiade dicit, Pædotribam consulendum, quibus cum sit luctandum, aut non, & quando, & quomodo, quæ similiter videntur magis ad corpus, quam ad opera spectare: quæ tamẽ his locis pædotribæ tributa, in politico scripta de gymnastico reperies, vbi dicuntur gymnastici putasse, non esse subtiliter distinguendum, & præcipiendum, quid cuique corpori, sed rudius, quid plerumque, ac plerisque conducat, statuendum; tamquam pertinere ad gymnasticam putauerit, corpus, vt Aristoteles

Plato confundit gymnastici, & pædotribæ officia.

a in Gorgia, vel de rhetorica.

ſtoteles ait, ποιόν τι ποιεῖν; ex qua Ariſtotelis au-ctoritate (vt ad rem accedamus) colligo, gymnaſticam pertinere ad medicinam, illa tamen cum Ariſtotelis ſententia coniungendo, quæ de pædotriba, & gymnaſtico promiſcuè à Platone tradita ſunt, qui aliquando medici, ac gymnaſiorum magiſtri nomina confundit: quod videre eſt eodem dialogo, Amatores, vbi ſcriptum eſt, Quemnam ergo interrogare meritò conueniat, quales labores, atque cibi ſint corpori accommodi? in hoc tres arbitror, conuenimus, vel medicum, vel pædotribam, & Critone inquit, qui in gymnaſijs ſe exercet, vtrum cuiuſlibet hominis laudi, & vituperationi, & opinioni attendit, an illius tantum, qui medicus ſit, aut pædotriba? ergo idem erat medicus & pædotriba, qui eos ad bonum habitum conſequendum, qui exercebantur, dirigebat. Sed & idem erat medicus, & gymnaſticus: nam in Protagora dixit, mercatores, & caupones, corporis epularum venditores laudare quidem ſua omnia, ſed non intelligere, vtrum ſalubria ſint, an noxia corporibus: idque emptores quoque ignorare, niſi fortè ſit aliquis medicus, aut gymnaſticus. hæc ait. Quæ ars igitur cibos, & labores corpori noxios, aut ſalubreis dignoſcebat, aliam putabimus, quam medicinam? Item vndecimo de legibus, ſi ſeruum, inquit, longa, & difficili ægritudine, laborantem aliquis vendiderit; ſi medicus, aut gymnaſticus erit, reddere non licere. At ægritudines quis cognoſcere præter medicum debet? ergo medicus, pædotriba, gymnaſticus idem.

Ad hæc Fumanellus reſpondens inquit, non repugnabo Ariſtoteli (& ſi dubiam eius ex Platone ſententiam reddidiſti) duos artifices, ſeu duos exercitationum magiſtros exſtitiſſe, alterum, qui exerci-

tationum,

tationum, motionumq; illarum rectè peragẽdarum rationem doceret: alterum, qui easdem singulis, qui exercebantur, certa mensura (& si non exacta, vt ex Platone nuper dixisti) præscriberet, ad bonum habitum efficiendum: Sed hunc nequeo statuere, medicum fuisse: quoniam ad ea, quæ ante dixi, accedit, bonum habitum, & sanitatem res diuersas existere, vt ante diximus, & dicemus denuo, si opus erit. Confundi verò nonnumquam medici, & gymnasiorum magistri nomina apud Platonem, cõcedo equidem, sed non idcirco, quia idem esset artifex, verum quia propter affinitatem, & similitudinem, idem aliquibus videri potuisset: non erat autem is locus, quo res ea definiri, & distingui à Platone deberet, idemq; ab ea concludebatur, siue medicus, siue pædotriba, siue gymnasticus foret is, qui de cibis, & exercitationibus iudicium esset facturus. Sed & ex accidenti gymnasticam conducere ad bonam valetudinem deinceps ostendam: qua explicatione spero difficultates, & nodos omneis solutum iri.

Atque cum hæc de Græcis dicta sint, non erit ab re in memoriam nobis reuocare, latinos quoque auctores inter medicos, & gymnastas differentiã agnouisse: Etenim Cicero, *a* Vellem, inquit, non solum salutis meæ, quemadmodum medici, sed etiam vt aliptæ, virium, & coloris rationem habuissent: quibus verbis salutem, id est, sanitatem à medico, vires & colorem, id est, bonum habitum ab alipta curari significauit. Nec aliter opinatus Celsus videtur, qui sanum hominem dixit, nullis obligare se legibus debere, neque medico, neque iatralipta egere: scilicet, vt sanus aliquis euadat, medico, vt robustus, ac bono colore præditus, iatralipta egere nõ debet; quem verò Græci gymnastam vocabant, aliptam latini, & iatra-

a epist. fam. lib. 1. ep. 9.

Alipta & Gymnasta idem.

iatraliptam, græco licet vocabulo, appellarunt, vt sunt viri peritissimi auctores. Sed & apud Græcos ipsos gymnasta idem erat & alipta: quod disertè docuit Aristoteles libro secundo *a* de moribus ad Nicomachum, vbi ijs, qui exercentur, cibum ab alipta præscribi significauit, ὃν γὰρ ἐ τῷ δέκα μνᾶς φαγεῖν πολὺ, δύο δὲ ὀλίγον, ὁ ἀλείπτης ἓξ μνᾶς προστάξειεν.

a cap. 6.

At hic Fracastorius, inquit, Quę tu diligenter obseruata in medium adduxisti, ferè persuaderent, idcirco à Platone dictum, sanitatem induci à gymnastica, quoniam de ficta, non de vera (vt distinguebas) sermonem habuerit; nisi me deterreret auctoritas Aristotelis, *b* qui, cum de vera, & quæ exstabat, gymnastica, loquatur, dicit, eam conferre, vt ad robur, sic & ad sanitatem, πρὸς υγίειαν, καὶ ἀλκήν. Fumanellus autem animaduertere inquit, opus est, bonum habitum cum sanitate nonnumquam conuenire, & accidere, dum boni habitus gratia nonnulli exercentur, vt sanitatem quoque assequantur: & idcirco gymnasticam potuisse existimari, & dici bonæ vtilem valetudini. Sed eo deuenimus, vt hæc difficultas amoueri non possit, nisi semel intelligatur, quid inter bonum habitum differat, & sanitatem.

b lib. 8. politic.

Sanitas, & bonus habitus differunt.

Itaque animaduertere in primis expedit, Galenum de bono habitu locutum esse, nominis habita potius ratione, quam rei, ad quam significandam boni habitus vocabulum, εὐεξία, à priscis auctoribus vsurpatum est. Dicebat ipse, *c* sanitatem perfectã, & bonum habitum nihil differre, nam vt significetur perfecta sanitas; quæ vt bonum quoddam corporis est; ita quoque permanens debet esse, ideo bonus habitus dicitur: habitus enim vocabulum permanentiam significat, τὸ τὶ ἕξεως ὄνομα κατὰ παντὸς ἐπιφέρειν εἰθίσμεθα τοῦ μονίμου, καὶ δυσλύτου, inquit Galenus,

c eod. ad Thrasyb. c. 12.

lenus, *a* habitus nomen de re quacumq; dicere consueuimus, permanente, & indissolubili, quod videtur ex Aristotelis categorijs desumptum, qui de qualitate scribens, habitum, dixit, à dispositione differre, τῷ χρονιώτερον εἶναι, καὶ μονιμότερον, quod sit diuturnior, & stabilior. dicebat insuper *b* Galenus, bonum habitum nihil esse aliud, quam bene se habentem habitum; εὐεξία, οὐδὲν ἄλλ' ἐστὶν ἢ εὖ ἔχουσα ἕξις, ex quibus vides, vt nominis rationem magnifecerit: eam enim secutus *c* dixit, boni habitus appellatione, simpliciter perfectam sanitatem intelligendam; quæ veræ gymnasticæ finis est; cum alioqui gymnastica vitiosa bonum habitum non simpliciter, sed athleticum profiteatur; & legitimæ auctores gymnasticæ dixit fuisse, Hippocratem, Dioclem, Praxagoram, Philotimum, Erasistratum, Herophilum, omnes medicos, eosdemq; auctores medicinæ clarissimos. In qua tamen oratione (pace tua bonorumq; omnium liceat dicere) vocabulis antiquorum abusus est: non enim tanti facienda est vis, & ratio nominis, quanti vsus; quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi, vt ait *d* Poeta; apud priscos autem à sanitate bonus habitus erat diuersus: nec eiusdem erat artificis valetudinem curare, & bonum habitum efficere: & boni habitus appellatione, raro bonum habitum simpliciter intelligebant, sed sæpissime athleticum; immo, cum bonum ego habitum simpliciter eum esse statuam, qui à natura in multis inest, & ex naturæ principijs proficiscitur; cuius imitatione athletæ bonum habitũ, cum à natura non habent, induere conantur, dico, veteres de boni habitus effectione verba facientes, non bonum habitum simpliciter, quia hunc natura largitur; sed athleticum respexisse.

a lib. de bono habitu.

b eod. lib. ad Thrasyb. c. 12.

c eod. ad Thrasyb. c. 9.

d Horat. poet.

Bonus habitus naturalis.

εὐεξία apud Hippocratem.

Pete Hippocratem, videbis vocabulũ εὐεξία numquam ab eo vſurpari, niſi cum manifeſtè de gymnaſticis loquitur, vel cum tam obſcurè verba facit, vt ea non minus ad gymnaſticã, quam ad medicinam pertinere videantur; quæ tamen de gymnaſtica potius ſunt accipienda: quoniam locis manifeſtis vocem hanc ad habitum athleticum, numquam ad ſanitatem ſignificandam adhibuit. Nec oſtendes, apud Hippocratem alios fuiſſe gymnaſticos, quam eos, quos nominat primę ſectionis aphoriſmo tertio, vbi de athletarum habitu ſermonem eſſe Galenus aſſerit: immo nuſquam ab Hippocrate nomen hoc poſitum eſt, vbi de ſanitate ſermo manifeſtus eſt, nec ſanitatis nomen, vbi de gymnaſtica loquitur. Loca ego afferam, quæ hanc ſententiam probant, tu affeꝛes, quæ refellant. Tum Fracaſtorius, ne afferas, inquit, aphoriſmum tertium, quoniam in eo Galenus notat, bonum habitum ſimpliciter non eſſe acceptũ, ſed athleticum, vt dixiſti. Immo, inquit Fumanellus, iſthinc ordiri oportet; quoniam clariſſimum eſt, iſto in loco de gymnaſtica ſermonem eſſe, & ego aſſero, boni habitus appellationem, εὐεξίαν, locum dumtaxat apud Hippocratem habere, cum de gymnaſticis ſermo fit: eſt igitur hic locus vnus: audi reliqua. libro de natura hominis ſine adiectione vlla legitur, ἡ εὐεξίη, & αἱ εὐεξίαι; eſt autem ſermo de gymnaſticis, περὶ τῶν γυμναζομένων, de his, qui exercentur, non fodiendo, arandove, ſed luctando, & currendo. Priore parte libri de victu acutorum morborum diſertè diſtinguit ſanitatem à bono habitu, inquiens. Confert hæc contemplatio magnopere & ægrotis ad ſanitatem νοσέουσιν ἐς ὑγείην, & ſanis ad ſecuritatem, ὑγιαίνουσιν ἐς ἀσφαλείην, & ijs, qui exercentur ad bonum habitum, ἀσκέουσιν ἐς εὐεξίην: his enim vt

securitatem (hoc est tutelam,& custodiam sanitatis, φύλαξιν Galenus diceret) à sanitate, ita bonum habitum εὐεξίαν ab vtraque seiungit:nec erat rudis,aut verbosus Hippocrates, vt credamus hæc ab eo temerè disiuncta esse ; licet de his nihil Galenus dixerit. Libro,qui quartus de morbis inscribitur εὐεξίαν nominat,vbi labores,& exercitationes quoque,ταλαιπωρίην, γυμνάσια, & γυμνασίην nominauit. Libro, παραγγελίαι, & si sunt ibi multa, & obscura, & non cohærentia, quapropter minus fortasse liber habet auctoritatis;tamen non est omittendũ, semel factam esse boni habitus mentionem:Sed est sanè locus tam obscurus,vt illius auctoritate nihil audeam affirmare,vel negare; hoc quidem dico me nihil in eo videre,quamobrem pro bono habitu sanitatem interpretari debeamus. Tu profer,si quid habes,cum ad hũc locum illustrandum,tum vt ostendas, Hippocratem alicubi bonum habitum pro sanitate, & è contrario accepisse pro bono habitu sanitatem. Ad hæc Fracastorius, nihil iam venit in mentem. Sed nimis vrges auctoritatibus,quas accuratè in pręsentia expendere,non licet. Ego multum Galeno tribuo. Nec ego minus,quam tu,inquit Fumanellus, Galenum suspicio, sed nosti vetus dictum, amicus Socrates. Tibi per otium licebit, quas attuli, & sum deinceps allaturus,auctoritates examinare.

Εὐεξία apud Aristotelem.

Libro secundo, & octauo topicorum Aristoteles, simpliciter,& disertè bonum habitum, & sanitatem, vt res diuersas accepit; neque existimare par est, Dialecticæ,atque Rhetoricæ magistrum optimum, in ea ipsa tractatione dialectica in distinguendis rebus negligentem fuisse. Inquit igitur, sanitas sequitur bonum habitum, & bonus habitus bonum est maius sanitate; ergo bonus habitus est à sanitate diuersus.

Dixi quoque ante, ab Aristotele negatum esse, sanitatem esse habitum, τὴν ἕξιν, quia est dispositio, διάθεσις: & libro quinto metaphys. in sermone de habitu, non aliter dixit, sanitatem esse habitum, nisi quia est dispositio, & pro dispositione nonnumquam habitus venit: nec simpliciter dixit, sanitatem habitũ, sed adiecit, quemdam, ἡ ὑγίεια, inquit, ἕξις τις: scilicet metaphora quædam est, cum species pro genere accipitur. Sed obijcies fortasse, bonum habitum esse perfectam sanitatem, sanitatem verò esse imperfectam sanitatem; ita ne? Tu vides, inquit Fracastorius, At ille, mirum igitur est, inquit, medicos semper sanitatem professos, & in medicinæ definitione sanitatem comprehensam, non autem bonum habitum: ac si medici sanitatis dumtaxat imperfectæ auctores, & curatores sint. Memento Aristotelem enumerantẽ virtutes corporis in rhetoricis, *a* sanitatem memorare, non autem bonum habitum, & in fine libri de respiratione, sicut initio libri de longitudine, & breuitate vitæ, & libri de sensu, & sensili dixisse, physici esse sicut medici de sanitate, & morbo verba facere, περὶ ὑγιείας, καὶ νόσου: cur non dixit de bono, & malo habitu? Accedit eumdem lib. probl. sect. 10. probl. 6. disertè dixisse, habitum esse diuersum qui sanitati, & robori conducit: est autem roboris habitus; bonus vocatus habitus.

a lib. 1. c. 5.

Εὐεξία apud Platonem.

Apud Platonem verò plura ad hanc rem pertinentia leguntur, quæ singula memorare difficile est. Memoriam excusabis meam, vel adiuuabis. Videor mihi animaduertisse, vocabulum hoc; εὐεξία, bonus habitus; nunquam ab eo vsurpari, nisi in gymnasticæ mentione, nec vmquam cum sanitatis nomine confundi. Libro, qui Amatores inscribitur, ait, Gymnasticæ studiosos nihil aliud appetere, quam quod, il-

lorum

lorum corpora vt benè habeant, efficere valeat, ὅ τι ποιεῖσθαι ἔχειν εὖ τὸ σῶμα, & subiungit, moderatas exercitationes bonum habitum efficere, τὰ μέτρια γυμνάσια τὴν εὐεξίαν ἐμποιεῖν; In Gorgia, medicina, inquit, versatur in sermonibus de morbis τοῦς γε περὶ τὰ νοσήματα, Gymnastica verò in sermonibus de bono habitu corporum τοὺς περὶ εὐεξίαν τε τῶν σωμάτων. Septimo de legibus, vbi est sermo de gymnastica, cuius dicit esse saltationem, & luctam: & saltationem quandam esse boni habitus caussam; ibi, inquam, similiter legitur, εὐεξία: paullo quidem post, ait luctam conferre ad sanitatem: quod alibi etiam asseruit; Sed hoc vt fiat ex accidenti, iam ante admonui. Est tamen locus in Gorgia notandus, vbi εὐεξίαν, videtur tribuere medicinæ æque atque gymnasticæ. Dico ergo, si accuratè, quæ dicuntur, examinaueris, te intellecturum, à Socrate eo loco vocem hãc suo quodammodo arbitratu, atque aliter, quam à Galeno vsurpatam: non enim pro sanitate, vt Galenus, bonum habitum accepit; quia paullo post, vt alibi semper, ait medicinam inter, atque gymnasticam differre; & eodem libro ante dixerat, medici esse, sanitatem inducere, pædotribæ verò pulcra, & robusta corpora facere, quæ boni habitus veluti descriptio quædam est; & rursus eodem libro, εὖ ἔχων τὸ σῶμα de gymnastico dixit. Significauit igitur Socrates, se non accipere εὐεξίαν, vt in communi vsu erat, vtque simpliciter apud vulgus intelligebatur; quoniam adiecit vocem illam τινὰ, qua solemus aliquid detrahere de sensu vero nominis, cui adiungitur: cum igitur εὐεξία propriè de corporibus gymnasticorum diceretur; Socrates verò ad animam, & medicinam transtulerit, idcirco dixit, τινὰ εὐεξίαν; est autem ex ipsa Socratis oratione manifestum, de bono

no quodam animæ dictum: nam inquit, Corpus appellat, atque animam? Gargias. Quì non? Socrates. igitur exiſtimas horum vtriuſque eſſe quendam bonum habitum? τίνα ἐυεξίαν? nos admonens adiunctione vocis τίνα, acceptam eſſe more inſueto, cum ageretur de anima, & medicina, ſit autem locus eius vocis in ſermone de gymnaſtica proprius. Meæ autem argumentationis ſumma eſt; ſæpè bonum habitum ſoli gymnaſticæ à Platone tribui, at ſoli numquam medicinæ, immo numquam ſimpliciter medicinæ, ſed cum illa adiectione, quam dixi: gymnaſticæ verò ſimpliciter tributum vbique, hoc poſtremo loco excepto, ob cauſſam, quam audiuiſti.

Ε'υεξία apud Xenophontem.

Sed audi Xenophontem auctorē non minus Platone grauem, & antiquum, ἐυεξίαν, gymnaſticæ adiudicantem; nam hæc libro ſecundo Socratis memorabilium leguntur, αἱ μὲν ῥαδιουργίαι, καὶ ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἡδοναὶ, οὔτε σώματι ἐυεξίαν ἱκαναὶ ἐσὶν ἐργάζεσθαι ὥς φασὶν οἱ γυμνασαὶ, οὔτε ψυχῇ ἐπισήμην ἀξιόλογον, οὐδεμίαν ἐμποιοῦσιν. quod eſt, victus facilitas, & ſubitaneæ voluptates, neque corpori bonum habitum efficere, idoneæ ſunt, vt inquiunt Gymnaſtæ, neque animæ ſcientiam vllam effatu dignam ingenerant. Vides ἐυεξίαν gymnaſtarum iudicio ſubiectam. Aliquādo tamen apud eundem, & apud alios fortaſſe, accipi videtur pro habitu bono naturali, non aduentitio, vt libro quarto memorabilium, vbi Epigenen quendam admonere Socrates inducitur, de commodis boni habitus, ἐυεξίας, & de mali habitus καχεξίας detrimentis, quo loco de effectione boni habitus eiuſmodi nihil dicitur; & eiuſmodi cōmoda recenſentur, quæ ab athletarum bono habitu, ſeu gymnaſticorum exſpectanda non ſunt, videlicet multam ſecuritatem, & omnis periculi immunitatem,

rem, τοῖς τὰ σώματα εὖ ἔχουσι πολλὴ ἀσφάλεια, καὶ οὐδεὶς κίνδυνος, quibus contraria Plato, & Hippocrates tradiderunt, quod sæpius dixi, quia de bono habitu athletico locuti sunt, qui ad gymnasticũ pertinet, vt dictæ docent auctoritates, nec umquam, caret periculo, præsertim cum ad summum eius bonitatis deuenerit, vt Hippocrates admonuit; licet hanc Plato distinctionem silentio omiserit; quod si qui similem athletico habitum à natura assecuti fuerint (vt hoc obiter dicam) hos quoque periculis obnoxios non minus, experimur.

His verò, quæ statuere conabar, Isocrates etiam Panegyrico subscribit, dicens, mirari se bonos corporis habitus, τὰς τῶν σωμάτων εὐεξίας magnis muneribus dignos habitos apud illos, qui gymnicos ludos instituerunt, ijs vero, qui priuatim laborando sic animos exornant, vt alijs prodesse possint, nullum honoris gradum tributum esse. hæc etiam docent, bonum habitum de gymnasticis priuatim dictum esse. Verum maiore te fortasse, quam ab optimo Iurisconsulto exspectasses, auctoritatum cumulo fatigaui, Has fore satis existimo ad docendum, suo Galenum iudicio, non ex veterum auctoritate, bonum habitum εὐεξίαν pro perfecta, & absolutissima sanitate accepisse, & duplicem gymnasticam fecisse, legitimam, & vitiosam: etenim vna fuit ars gymnastica, cuius finis bonus habitus à sanitate diuersus.

Εὐεξία apud Isocratem.

Non nego, immo iam affirmaui, bonum etiam habitum naturalem quendam esse; immo dixerim bonum habitum naturalem esse verè bonum habitum, quoniam athleticus est aduentitius, & imitatione naturalis ab ijs, qui exercentur, comparatus: sed qui erat aduentitius, nomen hoc sibi apud veteres vindicauit. De bono habitu naturali dilucidè Galenus

Bonus habitus naturalis.

a cap 51.

nus *a* locutus est libro artis medicæ, vbi cum vitauerit vocabulum boni habitus, rem tamen ipsam affabre pinxit, signa enarrans moderatæ temperaturæ in toto animalis habita, qui locus eo quoque diligentius notandus est, quod ibi Galenus ait, habitum totius corporis in eis maximè partibus dici, quæ primæ oculis subijciuntur, quas carnes esse affirmat: dicitq; insuper, corporis totius habitum huiusmodi cognosci ex colore, & carnium mediocritate; vt de oratione dixit M. Tullius in tertio libro de Oratore. Si habitum etiam orationis, & quasi colorem aliquem requiritis, est plena quædam, & tamen teres, & tenuis, & non sine neruis, ac viribus, & ea, quæ particeps vtriusque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris insidere quidam venustatis non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. His igitur verbis habitum orationis habitui corporis simillimum describit, vt intelligamus habitus nomine exteriorem cuiusque rei speciem significari, & bonum habitum in plenitudine, & coloris gratia quadam consistere, vt loco modo dicto Galenus ostendit, cuius sententia ijs, quæ hactenus exposuimus, maximè consentanea, eoque magis, quo à boni habitus appellatione Galenus, abstinuit; videbat enim, veteres auctores boni habitus nomen quasi proprium ad gymnasticam transtulisse. Quod Plutarchus indicauit, cum libro de tuenda valetudine, vocis exercitationem, dixit, conducere non solum ad bonam valetudinem, verum etiam ad corporis robur, non illud quidem palæstricum, neque quod carne cutem distendet, incrustet, infarciatq; foris, velut in ædificio. Sed quod partibus maximè vitalibus vim internam, vigoremq; verum, ac genuinum inserat. His inquam, cum robur pro bono habitu ac-

cipiat, (quod Plato ſæpe facit) diſtinguit inter ath-
leticum (quem dicit palæſtricum) & naturalem: &
indicat, roboris, & boni habitus nomine ipſum ath-
leticum venire conſueuiſſe: alioqui non fuiſſet opus
illa interpretatione, qua nos admonuit, nè robur pa-
læſtricum intelligeremus.

Eſt igitur bonus habitus aliquis naturalis, qui ta-
men non dicitur, & in quadam mediocritate conſi-
ſtit, à qua recedentia in amplitudinem, corpora di-
cuntur bono habitu prædita: recedunt verò gradu
multiplici, quamobrem aliqua in ſummo eſſe dicun
tur, aliqua inferius; & hoc vel natura, vel artificio;
cumq; in vtroque genere periculum non deſit; quæ
artificio id aſſequuntur, ea bono habitu, ideſt athle-
tico prædita dicuntur. Sed nulla eſt ars, quæ bonum
habitum naturalem efficiat: datur enim ab ipſa na-
tura, cui ars cultum quidem aliquem poteſt adhibe-
re; ſed ita vt, ſi pro bono habitu curandus ſit, ad gym
naſticam pertineat, quæ amplitudinem, roburq; &
pulcritudinem corporum ſuopte ingenio procurat: ſi
verò, vt cum ſanitate coniungitur, tractandus ſit, opẽ
petere debet à medicina, quæ vnius mediocritatis
ſtudioſa eſt, vel demendum, vel adijciẽdum aliquid
ſit. Non docebis autem Hippocratis, aut aliorum
auctoritate antiquorum, duas fuiſſe gymnaſticas,
quarum altera, vt vitioſa, bonum athletarum habi-
tum, altera vt legitima bonum habitum naturalem
profiteretur: vnam etenim fuiſſe, eamq; vitioſam,
ſatis dixi. Nec fauet Galeno locus Hippocratis li-
bro de alimento; affectio athletica non naturalis, ha-
bitus ſalubris melior, διάθεσις ἀθλητικὴ οὐ φύσει,
ἕξις ὑγιεινὴ κρέσσων; hoc enim loco non legitur,
εὐεξία, & licet pro ſalubri habitu putem, ſanitatem
intelligendam, arbitror tamen cauiſſe Hippocratem

εὐεξίας vocabulum, ne quis cum sanitatis nomine confundendum existimaret: est autem affectio athletica ipsemet bonus habitus, ipsa εὐεξία, quam cum sanitate nusquam alibi confundit. Dico etiam, ob quandam affinitatem gymnasticæ, & medicinę, translato Galenum vocabulo eam medicinę partem, quę salubris vocatur, gymnasticam appellasse, quamuis officio à gymnastica plurimum differat; quod tunc probè intelligemus, vbi gymnasticæ originem, ac processus nouerimus: ex cuius notitia omnium occasio errorum detegitur, & omnis difficultas facilè dissoluitur.

Hic, inquit Fracastorius, nè, obsecro, suspenso me diutius animo patiaris exitum rei exspectare, sed rem semel totam expone: auditorem habes, vt amicum, sic docilem, & attentum. Tuam in me, inquit Fumanellus, beneuolentiam meæ, quæ summa est, erga te parem esse, non dubito: cætera tuæ sunt humanitatis. Sed rem nostram persequamur. Nosti, quod momentum ad scientiam habeat, rerum initia, atque origines cognoscere. Scire igitur expedit, auctorem esse Platonem, *a* gymnasticas exercitationes à Cretensibus primum, & Lacedæmonijs repertas esse (quamquam Aristoteles *b* dicit, solos olim Lacedæmonios operam his exercitationibus dedisse, cuius etiam opinionis videtur Isocrates esse Panathennico) ac priuatim apud Cretenses à simili quadam necessitate hanc exercendi rationem ortam esse, scilicet, quod regio illorum non, vt Thessaliæ, plana, sed esset inæqualis. Vt verò propter planitiem illa ad equestria, ita hæc propter inæqualitatem ad pædestria certamina necessario homines inuitauit; neque id animi, & voluptatis, sed bellicæ rei gratia; quam etiam ob caussam dicit, leuis armaturæ, arcuum, & sagit-

De gymnasticæ origine.

a lib. 5. de rep. & lib. 1. de legib.

b lib. 8. Politic.

ſagittarum vſum ſibi vendicaſſe, & conuiuia communia, & publica, συσσίτια, inſtituiſſe. Ex his autem: ab auctore grauiſſimo traditis, accipimus, in prima ac neceſſaria gymnaſticæ inſtitutione belli rationem habitam eſſe: quamobrem mirandum non eſt, Platonem quoque in ſua Republica, veterum imitatione legumlatorum, idipſum reſpexiſſe.

Quia verò corporibus in bello robuſtis opus eſt, ideo in exercenda iuuentute hoc potiſſimum curandum fuit, vt corpora, quæ ſuapte natura non erant robuſta, ipſis exercitationibus robur aſſequerentur. Exerceri autem non poterant, quæ ſana non erant; Sanitatem igitur naturæ opus ars ipſa ſumit, & veluti mutuatur à natura, robur verò incrementum aliquod ab arte recipere valet; ægra ſanè corpora ſunt ad curſum inepta (quod primum ex certaminibus gymnicis fuiſſe, facilè perſuadet Platonis narratio, qua apud Cretenſes hoc exercitationis genus exortum explicabat) vt etiam ad ſaltus, luctam, & alia huiuſmodi idonea non ſunt. Itaque corpora, in gymnaſijs exercenda, ſana eſſe debuerunt; exercitationibus verò robuſtæ euadebant: propterea vbique reperimus, gymnaſticam dici ad robur comparãdum inſtitutam. Iſocrates in Epiſtola ad Mitylenæorum magiſtratum, eam dicit, eſſe facultatem πρὸς τὴν ῥώμην, καὶ τὸ τάχος; quem locum Victruuius imitatus libri noni procemio, & tribus ſequentibus capitibus, inquit, athletæ corpora exercitationibus fortiora: & Ariſtoteles quatuor illa enumerans, quibus erudiri pueri debebant; litteras, muſicam, gymnaſticam, & picturam, earumdemq; fines recenſens, dixit, gymnaſticam ad robur vtilem eſſe; & ſi deinde adiunxit robori ſanitatem. Itaque ſi quis definire ſanitatem velit, & bonum habitum, ex ipſa definitione diffe-

rentiam poteris vtriusq; intelligere: nam sanitas non est aliud, quam corporis habitus quidam, seu dispositio naturalis, per quam suis probè, & secundum naturam muneribus animal fungitur: διάθεσις, inquit Galenus, ἡ κατὰ φύσιν ἐνεργείας ποιητική, quæ definitio, vt ab optimo auctore tradita, maximè probanda est. at bonus habitus videtur aliquid additum sanitati, vti etiam significauit auctor libri de definitionibus medicis (fuerit Galenus, vel alius) qui sanitati scripsit, tria accidere, pulcritudinem, bonum habitum, integritatem; ex his verò, quæ de origine gymnasticæ disserui, intelligimus, bonum habitum esse qualitatem, seu affectionem corporis quandam, per quam homo labores vehementes ferre potest.

a lib. de sympt. diff. c. 1. lib. 1. de san. tuen. c. 5.

Gymnasticæ professus.

Orta verò hunc in modum gymnastica, succedente tempore, ludis quinquennalibus dedicatis Ioui in Olympia, & Nemęa, Apollini Delphis, & Neptuno in Isthmo; quoque spectandorum gratia viri præsertim nobiles ex omni Græcia ad ea loca conueniebant; quod belli necessitas (vt ex Platone dixi) primum inuenerat, auxit voluptas, & gloria, quã apud eam nationem illorum victores certaminum consequebantur. Cum enim in totius Græciæ conspectu certarent nudi (γυμνὰ, vnde origo nominis γυμναστική) solo robore corporis non contenti, pulcritudinis etiam affectare laudem cęperunt. Erant, vt fuere semper, corpora, quæ à natura robur aliquod, & pulcritudinem nacta erant: quod robur per ętatem quoque, & vulgaria exercitia sine artificio augeri solet, vt ea quoque pulcritudo nullam magistri curam postulabat. Sed quæ huiusmodi non erant beneficio, ac naturæ munere, præsidium ab arte, quod afferri poterat, requirebant: quamobrem exercendorum iuuenum magistri, & robusta, & pulcra simul corpora se

Origo nominis gymnastica.

effi-

efficere professi sunt: idcirco dictum est, Cratem Thebanum, cum in certaminibus nudus apparuisset, ob corporis deformitatem, risum adstantibus concitasse, dixisse autem, manus efferentem, gloriare Crates oculorum integritate, & totius corporis incolumitate; hos verò, qui te derident, videbis conuelli morbo, & beatum te prædicare, seipsosq; segnitie condemnare. His videlicet sanitatem significabat suam, & si bono habitu minimè præditus, propter corporis deformitatem, diceretur, nam bonus habitus absque pulcritudine non intelligebatur.

Pulcritudo athletica.

Quæ pulcritudo non solum postulabat aptã membrorum constitutionem ac proportionem; sed magnitudinem, & crassitiem membrorum quandam sibi vendicabat, vt ante diximus, & docemur Socratis sermone quodam apud Xenophontem conuiuio: etenim dicebat, se non ita laboraturum, vt eorum instar, qui in stadio currunt, crura quidem crassiora, humeros verò graciliores efficiat, aut more pugilũ, vt humeros quidem crassos, crura verò gracilia reddat: sed ita, vt omnia membra exercendo, omnia iustum incrementum accipiant, sibiq; mutuò respondeant, ἀλλὰ παντὶ διαπονῶν τῷ σώματι πᾶν ἰσόῤῥοπον ποιεῖν. Nec dubitandum est, quin, vt Hippocrates *a* docuit, exercitationibus corpora reddantur pleniora, & otio contabescant. Sed & Platonis *b* extat testimonium dicentis gymnasticam in corporis incremento, & tabe versari; scilicet; studet incremento, tabis vero habet rationem, quo illam declinet; vel etiam, vt membra quædam iusto pleniora exinaniat. Quod Galenus *c* quoque credendum est dicenti, multam, & solidam carnem procreare, & sanguinis copiam quam tenacissimi augere, vt molem & pondus corpori adijciat; quamquam hoc de vitiosa

a lib. de articulis.

b lib. 7. de Rep.

c eod. ad Thrasyb. c. 37. & oratione ad artes c. 6.

tiosa dicit, quasi altera esset non vitiosa, cum tamen Plato simpliciter sit locutus. Corpus vero plenum, ac robustum, vt dixi, bono habitu præditum dicebatur, hæcq; erat εὐεξία, & habitus athleticus.

Concedi quidem potest, & natura robustos exercitationibus robustiores euasisse, & nonnullos talem habitum bonum consecutos esse, qualem multis natura largitur, siquidem & sanitatem alij adepti sint; sed qui efficiebatur omnino similis naturali, non aliter efficiebatur, nisi quia in ipsum ita propensa natura erat, vt etiam sine vllo artis præsidio fieri potuisset. At quod artis proprium erat, is habitus erat athleticus: quem vt assequerentur, eo victus genere vtebantur, quod sanitatis studiosus minimè probaret: nam cibo opus erat plurimo, eoque ad multum nutriendum idoneo; propterea caseo veteres athletæ, vt Porphyrius *a* testatur, & eo quidem è fiscellis recenti, vt apud Pausaniam *b* legimus vescebantur scis enim caseum eiusmodi ad alendum, & augēdum corpora aptissimum esse. Sed & caricas, quod ab eis corpus, & vires adiuuarentur comedebant, vt Plinius *c* scribit, & apud eumdem Porphyrium legitur. Idem vero est auctor Pausanias, Dromeum Stymphalium carnibus primum vesci cepisse; vtrum verò, auctore Pythagora exercitatore; quem Plinius, & Porphyrius ait primum athletas ad carnes transtulisse; an alio, diligentiores historiarum studiosi docebunt.

Athletarum cibus.

a lib. 1. de abstinentia ad; animatis.

b Eliacis posterioribus.

c lib. 23. c. 7.

Certo Dromeum reliqui athletæ secuti sunt, intantum, vt de illorum edacitate incredibilia litteris tradita sint: nam Theagenes Thasius, vt scribit Athenæus, *d* taurum solus dicitur deuorasse; quæ quoque laus Miloni Crotoniatæ tributa dicitur. Hippocratis certè tempore carnibus vescebantur, is enim,

Athletum edacitas.

d lib. 10. dipnos.

libro

libro de salubri diæta de Gymnasticis peculariter verba faciens docuit carne densa prȩditos minus ferre carnis esum, quam illos, quibus raræ carnes existunt; sed libro de affectionibus, Suillam speciatim bono habitui, ac robori, & gymnasticis vtilem tradidit, & eisdem Galenus cum Suillam, tum panem sine fermento, & non admodum probe assatum aptissimum asseruit libro primo de alimentorum facul. Et Celsus, *a* cum dixit, corpora more athletarum repleta, celerrimè senescere, & ægrotare, eorumdem edacitatem indicauit. Dicebatq; Athenæus, *b* hisce cunctos certaminibus operam danteis, edacitatem discere, πάντες γὰρ οἱ ἀθλοῦντες μετὰ τῶν γυμνασμάτων, καὶ ἐσθίειν πολλὰ διδάσκονται. Quem victum Aristoteles damnabat, tamquam sanitati aduersantem, vt postea dicam.

a lib.1.c.1.

b li.10.dipnos

Cum autem hæc ita se habuerint, necessariũ fuit, exercitationum magistros operam aliquam ponere in cognoscenda ciborum natura, vt qui ad cuiusque corporis incrementum, & robur conducerent, cognoscere, & afferre opportune possent: propterea iudiciũ de ciborum natura tum medico, tum pædotribæ, seu gymnastico à Platone tributum legimus, cuius loca ante adduximus: non tamen quia idem artifex sit, sed quia illis accidit, quod alijs etiam euenisse (cum exposuero, quod sentio) scio te minimè negaturum: hoc vero est, quod me explicaturum, antea pollicebar. Tum inquit Fracastorius, si quæ posterius dicturus es, mihi perinde arriserint, atque isthæc, quæ hucusque dixisti, in tuam sine mora sententiam ibo: ac me tibi debere fatebor plurimum, qui de multis, quæ hactenus non animaduerteram, me admonueris, atque doctiorem dimiseris. Attende quæso diligenter, inquit Fumanellus, cumque te rogauero, responde,

Iudicium ciborum cur gymnastæ quoque tribueretur.

ſponde, vt ſoles, ingenuè, & liberaliter.

Gymnaſtica eſt medicinæ ſubie-cta.

Artium,& ſcientiarum aliæ alijs non nè ſubijciuntur, quod ſubalternari à ſcholaſticis noſtris vocatur? omnino. Quid ſi dixero, gymnaſticam, ſi non propriè ſubalternari (quando viri docti ſolas vocatas mathematicas propriam admittere ſubalternationem exiſtimant) ſaltem aliquo modo ſubijci medicinæ? video, quid agas, inquit Fracaſtorius, ſed rem totam ſemel ediſſere, ego te audiam ſine interpellatione libenter. Vt libet, inquit Fumanellus, dico igitur, gymnaſticam medicinæ partem non eſſe, ſed medicinę ſubiectam:non quidem propter finem; quia videlicet, vnius opus in alterius miniſterium, tanquam in finem dirigatur, vt frenorum conficiendorum ars equeſtri inſeruit, hæc vero imperatoriæ (exemplum noſti ex Ariſtotele) *a* nam gymnaſticę finis, qui eſt bonus habitus, ad ſanitatem non dirigitur, nec ſanitati acquirendæ inſeruit: non enim quærimus habitum bonum, vt huius auxilio ſanitatem conſequamur, ſed contra ſanus is debet eſſe, qui bonum habitum aſſequi ſtudet, illum, inquam, qui gymnaſticæ ope comparatur, qui natura non ineſt in eo,qui exercetur:nam cui natura bonum habitum largita eſt,is non eget gymnaſtica, niſi vt exercitationum modos, & rationes addiſcat, & aliquod roboris incrementum acquirat. Nec tamen putes quia bonus habitus ſit res vltra ſanitatem poſita; medicinam eſſe gymnaſticæ ſubiectam:contra id,quod nũc agimus, qui gymnaſticam ſubijcimus medicinæ: quoniam nec ſanitas gratia boni habitus à natura tributa nobis eſt, nec à medico conſideratur, vt per illam apti ad bonum habitum inducendum efficiamur. ars quidem frenorũ ſubiecta eſt equeſtri, quoniam frena conficiuntur, vt equitibus inſeruiant,

a lib. 1. Moral. ad Nicom.

alias

alias futurum inane frenorum opificium: at ſine bo-
no habitu ſanitas ita vtilis eſt, vt quouis tempore
abſque bono habitu maxima hominum pars ſanita-
te contenta felicius, quam athletæ, vitam duxerit:
itaque non debet dici medicina gymnaſticæ ſubie-
cta. Dico autem è contrario, gymnaſticam ſubijci
medicinæ, non tamen finis gratia, vt expoſui. Tum
Fracaſtorius, cogor te, inquit, Fumanelle interpella-
re, cum enim Ariſtoteles; *a* vt etiam Plato *b* ali-
quando, gymnaſticam conferre ad ſanitatem, dixe-
rit (etſi non eſt illius artis finis ſanitas) videtur opus
illius voluiſſe operi medico inſeruire. Non ſic, inquit
Fumanellus, confert ſanitati gymnaſtica: non enim
prius acquiritur bonus habitus per gymnaſticam, vt
eo medicus vtatur poſtea miniſtro ad ſanitatem; ſed
aliter, & ex accidenti, & prope dixerim πάρεργον:
nam morbis etiam nonnullis (non ſolum conſeruan
dæ valetudini) vtilis exercitatio eſt: non tamen, te
quoque iudice, curatricis medicinæ pars gymnaſti-
ca eſt: ſed vtrumq; πάρεργον contingit. Contra mor-
bos eſſe vtileis exercitationes, eorum enumeratione,
quæ de ſingularum viribus à medicis tradita ſunt,
facilè intelligetur; quod per otium, & inter libros fa-
ciendum eſt. Sed non omittam exemplum aliquod
illuſtre, quo res dilucide intelligatur, & vna appa-
reat, ex accidente gymnaſticam ſanitati vtilem fuiſ-
ſe. Ælianus *c* ſcripſit Stratonem quendam, intermiſ-
ſo exercitio lienoſum euaſiſſe, &, vt ſanaretur, ad
gymnaſia ſe contuliſſe: vbi cum ſe cauſſa valetudinis
primum exercuiſſet, ſanusq; euaſiſſet; vlterius dein-
de progreſſus, in Olympia victor euaſit. Hyſmo
Eleus *d* dicitur; cum puer eſſet, & neruorum imbecil
litate laboraret, ad quinquertium animum conuer-
tiſſe, eaque exercitatione morbum primo depuliſſe,

a lib. 8. polit.
b Gorgia: Timæo.
c lib. 4. var. diſt.
d Pauſanias Eliacis poſterioriib. 5

deinde multas ex eo certamine, & inſignes coronas accepiſſe quibus exemplis intelligitur, contra morbos gymnaſticam prodeſſe, ſed πάρεργον, & ex accidente ſanitati conducere: nam eadem hæc exempla nos docēt, bonum habitum, & corporis robūr; quem gymnaſticæ finem diximus, vltra bonam valetudinem ſitum eſſe: nam exercitatio, vbi poteſt ægris, vt lienoſis, vtilis eſſe, prius efficit ſanos, deinde bonum habitum introducit: finis eſt exercitationum bonus habitus, quem niſi quis ſanus ſit, nunquam acquiret; quod ſi morbo quodam affectus exerceatur, & exercitatione conualeſcat, & deinde bonum habitum conſequatur, hic à gymnaſtica ſanitatem ex accidente recipit, (& hoc vbique Plato voluit, cum aſſeruit; gymnaſticam valetudini vtilem eſſe) eſt enim bonus habitus finis, atque opus gymnaſticæ, non autem ſanitas, quod videtur apertè ſatis Ælianus ſignificaſſe, inquiens, χορῶν δὲ εἰς τὸ πρόσω τῆς τέχνης, καὶ ἐν ἔργῳ τιθέμενος αὐτὴν, ὀλυμπιάσιν ἐνόκησεν. hoc eſt, vlterius in arte progreſſus (poſtquam ſcilicet ex liene ſtrato ſanatus eſſet) & ponens ipſam (videlicet artem gymnaſticam) in opere vicit in Olympia. Quid eſt enim, quod ait, ponens in opere, τιθέμενος ἐν ἔργῳ? cum ſe exerceret cauſſa valetudinis, non ne artem ponebat in opere? ſanè exerceri eſt, in opere aliquo verſari: ſed exerceri in gymnaſijs; vbi ars, ſcilicet gymnaſtica, traditur; non roboris cauſſa, & boni habitus, ſed valetudinis, non eſt hoc in opere gymnaſticam ponere: quia tunc in eum finem, cuius gratia inſtituta eſt, non vſurpatur, ſed præter opus proprium alterum efficit, πάρεργον & ex accidente. Sed expedit, vt hoc planius altero exemplo explicetur, vt agriculturæ, cuius eſt opus, terram alimentorum gratia excolere: verumtamen valetudinis quo-

que

que caussa, & fodere, & arare valemus: at si vlterius progrediamur, & agricolationem addiscamus, in eaque tamquam in opere, ac studio quodam exerceamur, agricolæ nec mali euadere facile possumus: iure igitur diximus finis ratione gymnasticam non subijci medicinæ, quoniam boni habitus finis non est bona valetudo: potius militari, & imperatoriæ disciplinæ, quemadmodum equestris, ob hanc caussam subijci debet: nam qui primum exercitationes tam gymnicas, quam equestres instituerunt; belli, vt ante dixi, rationem habuerunt. In eo verò, quo aliquis gymnasticæ auxilio ab aliqua liberatur ægritudine, ne quis decipiatur, & opus medicum gymnasticæ tributū ne existimet: nam hoc per se medici est: quamobrem dixit Hippocrates, *a* posse medicum præsentem, eius, qui se in gymnasijs exercet, valetudinem sacurare; Accidit tamen, vt absente quoque medico sanetur, sed eo tantum, quod vel natura auxilium præstat, quæ iure ab Hippocrate *b* medicus vocata est, *αἱ φύσιες ἰατροί*, vel quod ipse gymnasta medicæ disciplinæ particeps, medici officio fungitur.

a lib. 1. de diæta.

b lib. 6. epid. sect. 5.

Posses verò existimare, subiectam esse gymnasticam medicinæ, propter subiectam rem; quæ vna atque eadem est, in qua vtraque versatur, sed videtur addere quandam eidem rei differentiam gymnastica: nam versatur in corpore salubri, & insalubri, sed non qua salubre, & insalubre; hoc enim ad medicum pertinet; at qua boni habitus capax, quæ res est à salubritate, & insalubritate diuersa. Sed illud mihi magis arridet; sicut medicina passim dicitur subijci scientiæ, quæ de natura est, vel (vt vulgo dici solet) subalternari, principiorum scilicet quorumdam ratione, quæ multa sumuntur in medicina, quæ scientia de natura ostendit, & suo veluti iure interpreta-

tur, & docet; ita medicinæ subiectam esse gymnasticam, dixerim: etenim bonus habitus, qui gymnasticæ finis est, exercitationum, & ciborum certo genere, certaq; mensura comparatur; qua de caussa gymnasticæ magistros oportuit vires cognoscere ciborum, & exercitationum, quibus hic habitus acquiri poterat: quibus, inquam, moles augeri corporis posset, & robur quæri: quam notitiam illos à medicis hausisse, probabile, & verisimile est: cum enim medicus ætates promiscue omneis, sexumq; vtrumque, item otiosos, & negotijs districtos, curare soleat; debet ipse exercitationum, laborumq; omnium, ciborum similiter, & potionum omnigenarum naturam, & vires dignoscere, vt quid cuique accõmodum sit, imperare valeat, siue inanire corpus iusto plenius, siue implere, quod inanitione laborat, necesse sit: propterea Hippocrates, tanquam medicus, non autem gymnasticus (dissoluo iam dubitationẽ tuam quarto loco propositam) libris de diæta est etiam locutus de illarum natura exercitationum, atque viribus, quæ maximè locum in gymnasijs habuerunt: quoniam sanitati quoque inseruiunt (quod ad medicum attinet) sed alia ratione, quã bono habitui, cui gymnasticus studet. Et quia, vt finis medici latius patet, quam gymnastici, nam sæpe sanitas ibi quoque potest esse, vbi bonus habitus esse non potest: ita quoque medicinæ scientiam verisimile est patere latius, quam gymnasticæ: propterea vbi eadem ab vtraque efficiuntur, consentaneum magis est, pædotribam à medico, quam medicum à pædotriba pendere, & efficiendorum rationem accipere.

Ad quartam rationem.

Cum igitur ea sit harum artium affinitas, quæ solet in his esse, quarum altera alteri subijcitur: mirum non est, aut ipsos pædotribas aliquando plus, quam

par erat, sibi arrogasse, & in alienam (vt dicitur) messem falcem iniecisse, aut medicos vltra suæ professionis limites descendisse. Sibi nimium tribuere gymnastici siue pædotribæ, aduersus quos Galenus *a* inuehitur; quo loco cum exposuisset gymnasticam veram medicinæ partem esse, pędotribam (quę eadem est gymnastica propriè dicta) veluti seruum attonitum dixit in optimum herum; eam scilicet gymnasticam, quam partem salubris medicinæ asseruit; insurgere, & perinde facere, atque si priuatus aliquis miles, vel eques, vel sagittarius, vel quicunq; ob id, quod in priuato munere melior imperatore inuentus sit, iactaret se vel imperio dignum, vel imperatoriæ, cuius minister est, artem suam partem esse contenderet, ita namque pædotribica gymnasticæ ministra est. Sic pædotribas Galenus reprehendit, sed ab his gymnastæ non differunt: itaque è contrario nimis medici descendunt, qui subiectæ artis opus sibi vendicant; subiectæ, inquam, vt exposui: quoniam non asseruerim, gymnasticam, vel pædotribicam medicinæ sic inseruire, vt miles imperatori ministrat: est enim, vt copiosè ostensum est, diuersum medicinæ opus, atque gymnasticæ, nec alterum alterius finis est, vt nuper dicebam. Rursus propter eandem affinitatem, accidit Platoni, vt iudicium de laboribus, atque cibis æquè gymnastico tribuerit, atque medico; hoc enim laudari debet, quatenus etiam gymnasticum oportet cibos, & labores nouisse, qua ad bonum habitum efficiendum ex vsu sunt; quemadmodum si quis diceret, de rerum natura cognoscere, medici esse, aut physici: nam etsi pro comperto habemus, munus hoc vniuersum physici esse, necesse tamen est, quædam à medico non ignorari, quæ è Physica scientia sumuntur. At Galenus nimio flagrans

a lib. eod. ad Thrasyb. c. 45.

grans attollendæ medicinę studio, cum videret gymnasiorum magistros in exercitationum ratione quędam sibi præter ius, fasq; assumere, tanta vi, tantoq; ardore in eos inuectus est, vt non rem solummodo (quod iure faciebat, quoniam de his, quæ ad sanitatem pertinent, cognoscere, & statuere solius medici est) verum etiam appellationem auferre aggressus sit, & dixerit, gymnasticam, vitiosam ab se dictam, prostratoriam melius vocari; καταβλητικὴν, seu quemadmodum Lacones dicebant, καββαλικὴν, quam gymnasticam.

Verum ostensum iam est, non aliam fuisse apud veteres gymnasticam, vocatam, præter hanc ipsam, quam Galenus vitiosam vocat, quæque verè vitiosa erat, quia inducebat habitum nomine quidem bonum; sed (vt auctor est Plato) *a* ad valetudinem dubium, & (vt Hippocrates *b* ait) vbi ad summum deuenerat, periculosum; quam Aristoteles *c* quoque damnauit, quod per eam corpora deformarentur, & puerorum incrementum impediretur, vt ante diximus, cuius rei signum est (non erit enim ab re huius quoque mentionem fecisse,) duos aut treis tantum inter eos, qui Olympia vicerunt, repertos esse, qui ijdem adolescentes, & viri sint victoriam consecuti, & addit rationem: quoniam victu illo violento, ipsaq; ἀναγκοφαγίᾳ (sic Hippocrates dixit libro de salub. diæta; ὅταν ἀναγκάζηται ὁ ἄνθρωπος κρεηφαγέειν, quando cogatur homo (loquitur de gymnasticis) carnes comedere) esu igitur coacto, & necessarijs laboribus puerorum corpora ad incrementum promoueri vetabantur, visq; illorum auferebatur. Deformationis autẽ caussam explicauit alibi *d* dicens, τὴν πολυφαγίαν, & alimenti copiam; τὸ πλῆθος τῆς τροφῆς, non posse à natura superari, & ideo corpora pro-

a lib.3.de Rep.
b 1.aph.3.
c lib.8.Politic.

Victus athletarum ab Aristotele damnatur.

d lib.4.de gen. animal.c.3.

proportione debita non augeri, & consimilem alimenti distributionem non fieri, ac propterea partes dissimiles euadere; quamobrem sæpe ita mutantur, vt nullam prioris formæ similitudinem retineant; Itaque vt Plato simplicem quamdam gymnasticam in sua Republica recipiebat; quod vulgatam non probaret; Ita Aristoteles, quod probaret exposuit, & admonuit, pueris ante pubertatem leuiores exercitationes adhibendas esse absque victu illo violento, & necessarijs laboribus; qui tunc adhiberi possunt, vbi post pubertatem ad alia discenda triennium con sumpserint. Idcirco tamen gymnastica medicinæ pars dicenda non esset: quoniam nihilominus ei propositus est bonus idem habitus, qui demum in alia licet ætate post pubertatem, violento victu, & coactis laboribus comparatur, quæ ratio sanitati non conducit: Quæ res fortasse de Lacedæmoniorum gymnastica quid sit dicendum: nam Aristoteles dixit, eos non errare corpora deformando, & augmentum prohibendo, vt alijs Ciuitatibus vsu veniebat; an ergo inter medicinæ partes recensenda est? Nequaquam: etenim ad robur belli gratia comparandum, non autem ad sanitatem instituta erat. Conducebat quidem & illa ad sanitatem: Sed non quicquid est operis ad sanitatem vtile, illius opificium ad medicinam spectat, vt ante de agricolarum laboribus dicebam. Nonnè vidisti sæpè homines fodiendo, arando, ligna cędendo in ægritudines incurrere? ita etiam cursu equitatione, lucta? Dubio procul. Quomodo igitur sunt hæc sanitati accommoda? Si modus sanitati consentaneus adhibeatur. Sed hic modus sæpè impedimento est, quo minus aliquis ad propositum finem, ad bonum scilicet habitum, perueniat: nam bonus artifex, vel cum vitæ periculo

Lacedæmoniorum gymnastica.

(contra

(contra quam medicus consuleret ob valetudinem) sæpè nititur, vt propositum sibi scopum attingat: Nauta in medio mari, si tempestas immineat, & procella, vt periculum effugiat, summa vi niti debet: itaque vt quam celerrimè portum attingat, neruis omnibus, remis, velisq; contendit: quamquam conatum hunc nimis vehementem nemo medicus valetudinis gratia sit probaturus: Quoniam omne nimium vitandum est, immo omne multum; nam inquit *a* Hippocrates πᾶν τὸ πολὺ, naturæ esse inimicum. Itaque in acquirendo robore sæpè repugnabit gymnasticæ medicina, nam laborum eadem mensura non est omnibus consentanea. Meministi eius, quod Plato in Ciuili, vel de Regno, dicebat, ex æquis laboribus alios incitari nimium, alios elanguescere; tamen ad acquirendum robur violentis laboribus opus est: non enim reperies robustos homines, qui non laborent vehementer, itaque rusticos, baiulos, nautas robustos vides; Gymnasticus igitur vult eos, qui robur appetunt, vehemēter exercendo laborare; hoc licet multis ad sanitatem inutile sit. Quod si labori modus adhibeatur; salubris gymnastica esse poterit; sed eo multis impedimentum afferetur, nè fiant robusti; nam sanus à robusto plurimum distat, vt est manifestum, & inuenies millia, qui licet sint imbecilles rarò tamen ægrotant, ex robustis verò plurimos incidere in ægritudines. Verum quidem est, ex æquis laboribus imbecilles promptius ægrotare; sed (seruata in laboribus partiendis proportione geometrica) non est robustus securior imbecilli. Cum igitur vehementius laborandum est, si quis, medico hortāte, sibi à labore, valetudinis causa temperet; is robustus nunquam euadet. Est igitur ars sanitatis ab arte roboris diuersa, & eo magis, si cum

a 2. aph. 51.

robore species illa corporis coniungenda sit, quam violento victu cęteræ Gręcię Ciuitates affectabant: nam victus laconum simplex, & frugalis erat, & ad illam speciem athleticam inducendam minimè idoneus.

Sed oblitus non sum, te postremo dubitasse propter Hippocratis auctoritatem libro primo de dięta dicentis; Medicum si adsit, posse rationem cognoscere, qua conseruanda sit illius valetudo, qui nudus in gymnasijs exercetur; quo ex loco sumebas, medicos illis tēporibus præesse gymnasijs consueuisse; Quod tamen non sequitur: etenim cum sermo sit Hippocrati de ciborum, & laborum mensura ad tuendam valetudinem; cumq; eius sententiæ esset, mensuram hanc aptè, & adamussim à medico absente præscribi non posse; ac vellet idipsum exemplo illustrare; visa est opportuna illius artis mentio; cui cum medicinæ cognatio quædam, siue affinitas intercedit: eo verò nihilo magis efficitur, medicum gymnasijs præfuisse, quam agris, vbi multi pariter exercentur; cum pariter dici possit, medicum, si viderit in agro aratorem, aut fossorem, posse cognoscere; qua ille ratione valetudinem tueri possit. Itaque vt hoc non efficit medicum agricolam, neque agricolam medicum, ita illud non efficiet medicum gymnastam, vel contra. Alias nouimus Galeni *a* testimonio, medicos non consueuisse Gymnasijs præesse; cum enim gymnasta, quem illic arguit, clamitasset, quando Hippocrates in caueam ludorum, quando in palęstram descendit? cum hæc, inquam, clamando ille interrogasset; Si medici consueuissent palęstræ adsidere, debuisset suomet gladio confodi: debuisset, inquam, Galenus respōdendo, affirmare; Hippocratem gymnasio præfuisse; sed respondit, non magis in palęstra

a eod. ad Thrasyb. c. 46.

medicum, quam in culina, aut priſtino verſari debuiſſe, quibus artibus, vt alijs etiam non paucis, medicina, vt architectonica, præſidet quidem; ſed munus illarum neutiquam ſibi vendicat, nec frequentat officinas; Quid ais Bacaſtori? tum ille, qui diu tacuerat, nō poſſum, inquit, ſatis affirmare, quid mihi videatur; fateor non tam mihi rem hanc curæ fuiſſe, vt alia quædam, de quibus quid multo labore, ac ſtudio repererim, editis libellis quibuſdam, expoſui; neque enim tanta capere animus meus poteſt; tu capax omnium, de re hac tum promptè, improuiſo licet, reſpondiſti, & tam copioſè, quam ſi meditatus ad dicendum veniſſes; ſed magna in te omnia ſunt, quod egregia tot tua volumina exteros quoque docent, qui te de facie minimè norunt. Ex his, quæ dixiſti, multa mihi noua viſa ſunt, de quibus iudicare in præſentia non auſim, præſertim Galeni commotus auctoritate, cuius tu ſententiam in quibuſdam non adprobas; tempore, & ſpacio ad hæc examinanda opus eſt; Iam cupio à te quædam explicari, quæ inter diſſerendum occurrebunt dubia, nè quid me lateat, quod noſſe expediat, cum me ad hoc examen, ſi vnquam otium dabitur, collegero. Immo inquit Fumanellus, cupio hæc à te perpendi diligenter mea non minus, quam tua cauſſa; vt ſi deceptus ego ſim, tuo beneficio reſipiſcam: licet enim magna res non videatur; quæ à nonnullis etiam inanis fortaſſe penitus cenſebitur; eiuſmodi tamen eſt, vt Galenus librum integrum condere non detrectauerit, quo præcipuè docere conatus eſt, Gymnaſticam medicinæ partem eſſe: contra quem videor ego nonnulla dixiſſe: quoniā exiſtimo, vocabulum tum gymnaſticæ, tum boni habitus ab eo ſecus, quam à veteribus vſurpatum. Sed exſpecto quid velis. Hæc

illę.

ille. Sed fortasse tua sum nimis, Romane, abusus patientia, & humanitate, ac tempus est, vt aures tuas obstrepere desinam.

Rom. nihil minus.

Hospes, quæso, sequere, siue colloquium verum, siue tuo ex ingenio depromptum, nares, nihil iucundius multis ab hinc mensibus audiui.

Hos. Sequamur vt libet.

Pugnantia quædam conciliantur.

Tum igitur Fracastorius, dixisti ex Aristotelis Topicis, *a* quod sanitas sequitur bonum habitum, postea verò contrarium ostendisti, docendo bonum habitum, quiddam esse vltra sanitatem, cum sanitas illum præcedat. Immo persuaseras, non posse bonum habitum nisi à sanis comparari: Memento, inquit Fumanellus, quæ de priore, ac posteriore non semel Aristoteles docuit: Sanitas & præcedit, & sequitur bonum habitum ob diuersam rationem præcedit bonum habitum, vt à me dictum est, quia sine sanitate bonus habitus acquiri non potest, cum sanitas esse in multis possit, in quibus bonus habitus esse non potest. Est igitur sanitas bono prior habitu natura, vel physicè, vt ita dixerim, & generatione. Intelligo autem bonum habitum athleticum, & aduentitium, quoniam, qui est à natura, vnà cum sanitate oritur. Ab Aristotele verò sanitas dicta est sequi bonum habitum, & bono habitu posterior, quoniam Dialecticè agendo, posito bono habitu ponitur sanitas, vti posita fortitudine ponitur virtus (habet enim hoc quoque Aristoteles exemplum) sanè illud est natura prius, quod alia ita sequuntur, vt si ipsum non sit, nec reliqua esse possint; hac igitur de caussa sanitas prior est: & hæc eadem causa est, quamobrem disserendo, recte dicitur, sanitas sequitur bonum habitũ: quia sine hac ille non potest esse, & vbi hic est, & illa ne-

a lib. 2. topic. & 8.

neceſſario eſt, niſi caſu eueniat, vt bono habitu præditus in morbum incurrat, quod fieri poteſt. Sed antequam bonus acquiratur habitus neceſſaria ſanitas eſt. Tum Fracaſtorius vno auulſo non deficit alter. cur ait Ariſtoteles, morbus non ſequitur malum habitum, ſed malus habitus ſequitur morbum? græcè eſt καχεξία, quo nomine medici ſpeciem morbi quandam ſignificant. At è ſpecie rectè genus concluditur, non è contrario: res eſt manifeſta, eſt homo ergo animal, non è conuerſo: ſic eſt febris, eſt pleritis; ergo morbus, non è contrario; cur ergo non dicitur eſt cachexia, & malus habitus, ergo morbus vt dicitur euexia eſt, & bonus habitus, ergo ſanitas?

Rectè, inquit Fumanellus, dubitas, ſed quę ſumis, in hac quæſtione non habent locum; non eſt enim ſanitas genus, quo bonus habitus contineatur, eſt tantum generi ſimilis, quia latius patet, quam bonus habitus, itaque ſanitas ſequitur bonum habitũ, vt expoſui. In cachexia verò diuerſa eſt ratio, nam latius patet cachexia, quam morbus, ideo cachexia ſequitur morbum, non è contrario, & ſi neutrum eſt alterius genus. Mira dicis, inquit Fracaſtorius, & apertè cum auctoribus medicinæ pugnantia. Noui, inquit Fumanellus, hoc tibi παράδοξον accidere debuiſſe. Sed ita ſunt litteræ noſtræ à recentioribus medicinæ Doctoribus tractatæ, vt mirum videri cuiquam non debeat, ſi nonnulla me dicentem audiat communibus, ac receptis quibuſdam opinionibus aduerſantia. Dico igitur, cachexiam non eſſe morbum, ſed qualitatem, & diſpoſitionem corporis à morbo diuerſam, qua facile aliquis ægrotare poteſt, quæ tam ſine morbo, quam cum morbo poteſt eſſe. Docet nos Ariſtoteles, cachexiam nõ eſſe morbum, tum libro Topicorum octauo, ait, morbum eſſe ma-

lum

lum maius,quam cachexiam, τὴν νόσον μεῖζον ἦναι κακὸν τῆς καχεξίας; quasi non esset morbus cachexia. Nec dicas, morbum esse maius malum, quia latius pateat, quam cachexia, vt genus, quam species: quia accepit Aristoteles morbum vt sanitati contrarium, ipsumq; dixit, esse maius malum, quam cachexiam, vt dixerat, Sanitatem esse minus bonum, quã euexiam: at dixi antea, sanitatem non esse genus, quo bonus habitus contineatur, ergo nec morbum dixero genus, quod cachexiam amplectatur. Dixi etiam latius patere sanitatem, quam euexiam; sed hoc non est, quod Aristoteles dicit, esse maius bonum; quia non dixit, Sanitatem (& si latius patet, vt dixi) esse maius bonum, immo dixit esse minus, quam bonum habitum. Accipit igitur morbum, & malum habitum, vt qualitates corporum inter se distinctas, quæ eo conueniunt, quod sunt ambæ malæ, deterior autem morbus, vt sanitatem dixi à bono habitu esse diuersam, cum bonus habitus sit præstantius bonũ, quam sanitas, tum is, qui à natura proficiscitur, tum athleticus; nam hic quoque, & si dictus est à Platone ad valetudinem dubius, tamen, dum est sine morbo, maius est bonum, quam sanitas.

Galenus quoque morbum inter & cachexiam distinxit, cum libro methodi *a* medendi primo aduer- (a cap. 7.) sus Olympicum docuit, morbum non esse, quoties ab eo, quod secundum naturam, ad id, quod præter naturam est, mutatio contingit, sic enim coloris vitium, atrophiam, cacochymiam, cachexiam, indigentiam, plenitudinem morbos esse negauit. Nec video alios auctores Galeno posteriores aliter existimasse, qui licet cachexiæ tollendæ rationem describant, non propterea morbum esse dicunt; sed potius caussam morborum esse diuersorum significant,

vel

vel ſymptoma, vt aiunt. Verè dicis, inquit Fracaſtorius, nec apud Galenum, nec eius aſſeclas, cachexiam morbi venire appellatione, tamen non ideo mea diſſoluta eſt dubitatio: nam cum affectus ſit præter naturam, & naturæ noxius, & moleſtus morbus videtur dicendus: dico præterea, apud medicos affectum eſſe quendam priuatum, & qualitatem corporis quamdam peculiarem, quæ ex morbo concludi non poteſt, quia minus commune non concluditur ex eo, quod eſt magis commune, vt falſum eſt enim, animal eſt, ergo homo, ita falſum, morbus eſt, ergo cachexia, quoniam hæc illo minus communis eſt, non enim è cachexia morbus omnis proficiſcitur, aut omneis cachexia morbos comprehendit, vt animal omneis comprehendit homines, equos, leones, & alia. Quam dubitationem, vt diſſolueret, ſic denuo exorſus eſt Fumanellus.

Cachexia, vt dixi, latius patet, quam morbus, atque ideo ex morbo concluditur, & ab Ariſtotele dicitur, morbum ſequi tāquam cachexia affectio quædam corporis ſit, qua ſine morbus non ſit futurus; quamobrem ſi morbus adſit, cachexiam quoque adeſſe concludatur. ac viſi ſunt Græci auctores in harum vſu vocum ἐυεξία, & καχεξία diuerſam rationem ſecuti, nam etſi ἐυεξία dicta eſt, quaſi corpus ea præditum dicatur ἔυ ἔχειν, quod Plato ſignificauit libro, qui Amatores inſcribitur, cum dixit, gymnaſticæ ſtudioſos nihil aliud appetere, quam id, quod efficiat illorum corpora ἔχειν ἔυ, benè habere; quod videre quoque poſſumus apud Xenophontem, qui libro tertio Socratis memorabilium, in ſermone de cachexia, & euexia, pro euexia benè habere, & pro cachexia malè habere vſurpauit, πάντα γε, inquit, τἀναντία συμβαίνει τοῖς ἔυ τὰ σώματα ἔχουσιν, ἢ

τοῖς

τοῖς κακῶς, cum paullo ante dixerit, χρησιμώτερον νομίζεις εἶναι τὴν καχεξίαν, ἢ τὴν διὰ τὴν εὐεξίαν γιγνόμενον καταφρονεῖς, quamuis igitur bonus habitus, & benè habere idem sit, nec non malus habitus, & malè habere, tamen hoc ipsum benè habere (vt nomina arbitrio gentium imponuntur) non communiter de bonis quibuscumq; corporis à græcis illis dicebatur, sed de bono priuatim habitu vel naturali, vel athletico, de hoc autem maximè vt ante satis diximus; non secus, quam eueniat nobis Poetæ appellatione Homerum apud Græcos significantibus, cum Poetas reliquos proprijs illorum nominibus appellemus, quæ res vulgatissima est. Malè autem habere, & καχεξία è contrario; cum enim ea diceretur affectio, qua corpora dicebantur κακῶς ἔχειν, malè habere; hoc tamen non habuit, vt de priuata quoque affectione ab eisdem diceretur, sed dicebatur de malo corporis quocumque, quamobrem homo male habet, & si non ægrotat. In bonis corporis est pulcritudo præter sanitatem, est etiam robur, in malis præter morbum est turpitudo, & imbecillitas. Esto igitur sanus aliquis; sed imbecillis, vt vrbanorum magna par est, qui robori minimè student; hic malè quidem habet, quia bono quodam corporis caret, quod robur est; attamen non ægrotat: Si verò ægrotet, etiam malè habere intelligitur, nam sanitate caret, quæ in bonis corporis censetur: ideo vt Aristoteli placet, ex cachexia non concluditur morbus, sed ex morbo cachexia, quæ vox malam quamcumq; corporis affectionem significabat. Non esse verò cachexiam morbum, Plato quoque ostendit in Gorgia, vbi εὐεξίαν, & καχεξίαν gymnasticæ tribuit, medicinæ autem morbos: Sed & Xenophon libro tertio Socratis memorandorum, Socratem inducit

cum

cum Epigene differentem, qui iuuenis tunc fuisse dicitur, & malo habitu corporis, cum tamen non ęgrotaret: etenim non ægrotasse, satis intelligetur, si accuratè oratio illa consideretur, qua Epigenes arguebatur, non quia æger, sed quia esset corpore vulgariter, vel plebeio more constituto, ἰδιωτικῶς τὸ σῶμα ἔχεις. qui verò ægrotant, aliam habent, quam vulgares, & plebeij homines constitutionem, nam idiotæ plerunque, & plerique sani sunt. Est igitur Xenophonti quoque, vt sanum esse aliud, quam bono habitu esse, vel benè habere, ita morbo laborare aliud, quam malo habitu esse, vel malè habere, quod & ἰδιωτικῶς ἔχειν ab eodem dicitur. Est igitur cum morbo, & absque morbo cachexia. Cum autem bonus habitus vnus sit vna scilicet forma (licet enim alter sit naturalis alter aduentitius, vt exposui, tamen adscititius imitatione naturalis efficitur, ipsa quoque adiuuante natura) Cachexia est duplex: accidit enim bono habitui, quod & scientiæ, cui duplex est aduersaria ignoratio, altera κατὰ ἀπόφασιν, altera κατὰ διάθεσιν, vt Aristoteles *a* docuit, negationis, inquam, & dispositionis, quarum posteriorem pro scientia venditant Sophistæ, sic igitur altera, euexiæ contraria, Cachexia est macies, pallor, & virium infirmitas (vel ex natura, vel ex morbo, quam corporis speciem visus est Hippocrates *b* σύμπτωσιν vocare, quasi casus, & ruina quædam sit) cum euexia hæc habeat cachexiæ contraria, membrorum crassitudinem, & carnulentiam, colorem floridum, & virium constantiam, ac robur. Altera verò cachexia est euexiæ veluti æmula, quæque pro euexia velut se gerit, cum vel corruptus, vel inconcoctus humor corpus vniuersum in tumorem attollit. Vtraque autem cachexia cum morbo, & citra morbum potest

Cachexia duplex.

a lib. 1. post. t. 109.

b 1. sect. aph. 3.

esse,

esse, & per se neutra morbus est; posterior verò vel ex caussis morborum est, vel symptomatibus, Areteus *a* apertè pro caussa accepit, cum inquit, ab hac enascentes morbi ineuitabiles sunt, vt puta aqua inter cutem, aut phthisis, aut eliquatio. Hoc igitur posterius cachexiæ genus à medicis tractatum est, altero prætermisso; nisi si quis opinatus sit, à tabe non differre, quod asserendum non est, tabes namque morbus est, cachexia verò morbus non est. Ideo videtur affectus priuatus quidam (vt dicebas) qui ex morbo concludi non potest; sed cachexia, vt altero modo accipitur, amplior, quam morbus est, quapropter vt Aristoteles dixit, si morbus est, cachexiam quoque adesse colligimus: esse autem ampliorẽ morbo cachexiam, non est difficile docere, quia nũquam ægrotat aliquis, quin vel macies adsit, vel color pallore mutatus sit, vel vires imbecilles redditæ sint, quod est male habere, maloq; habitu præditum esse, vt veteres dicebant.

a lib. 1. c. 16. de caus. & dignot. morb. diuturn.

Tum Fracastorius, mihi ferè, inquit, persuasisti, solus assensum Hippocrates *b* meum retardat, qui in aphorismis cachexias inter senij morbos recensuit; nisi dicendum sit apud Hippocratem, morbi appellatione casus venire, quos Græci symptamata appellant, quæ res sunt à morbis distinctæ, vt Galenus docuit; nec magis esse morbos cachexias, quam vigilias, spirandi, & lotij reddendi difficultates, & alia quædam, quę eodem aphorismo comprehenduntur, & à Galeno symptomata, non autem morbi nuncupantur. Hic Fumanellus, Concludamus igitur Gymnasticam medicinæ partem non esse, quo dicto discessurus surrexit. Sed Fracastorius, siste quæso, inquit, non solet bonus sine auctario lanius emptorem dimittere. Vtinam inquit ille, nè lanijs deteriores simus,

b 3. sect. aph. vlt.

mus, quando in tractandis litteris tam crebrò diuisionibus vtimur, vt lanienam quãdam exercere videamur. Sed misso ioco, quid est, quamobrem hic diutius morari debeamus? In horum inquit Fracastorius gratiam iuuenum, qui nos tam studiosè audiuerunt (mecum scilicet aderant æquales mei aliquot, qui bibliopolæ cuiusdam officinam, in qua colloquium hoc habitum est, frequentare solebant) pauca quædam addere oportet: quod enim Galenus ait; Sanitatem, & bonum habitum non differre, nisi quia bonus habitus ad sanitatem addit firmitatem, & stabilem, & perpetuam permansionem; confirmatur Xenophontis testimonio, cum dixit, bono habitu præditos sanos esse, & robustos, ὑγιαίνουσιν οἱ τὰ σώματα εὖ ἔχοντες, καὶ ἰσχύουσι; his enim videtur, firmam, ac stabilem valetudinem significare, contra quàm ijs accidat, qui malo habitu præditi sunt, qui nihilominus sani etiam sunt, quoniam tu disseruisti, & asseruisti, malum habitum, & bonã valetudinem posse simul esse; sed ea non erit æquè firma, & permanens, atque in illos, qui bono esse habitu dicuntur: propterea eodem loco Xenophon dicit, in bene habentibus multam esse securitatem, τὰ σώματα εὖ ἔχουσι πολλὴ ἀσφάλεια, quod ratione bonæ valetudinis dicitur; nam & Hippocrates libro de victu in acutis morbis eam, dixit, contemplationem sanis vtilem esse ad securitatem, ἐς ἀσφαλείην, ad tutelam videlicet bonæ valetudinis: sic ergo & Xenophon, vt arbitror, voluit significare simili verborum formula, bono habitu præditos, tutam habere sanitatem, firmam scilicet, & permanentem, vt Galenus voluit. Quod tamen altera ex parte Platonis testimonio repugnat dicentis Athletarum habitum esse ad valetudinem dubium. Insuper memini te retulisse ex Platone

tone *a* à moderatis exercitationibus bonū habitum effici, ex Aristotele *b* verò à violentis; quæ pugnantia videntur. Demum occurrit Cęlius Aurelianus, *c* qui malum habitum, seu cachexiam eiusmodi describit, cuiusmodi videtur fuisse bonus athletarum habitus; ait enim ex plurimo nutrimento plurimam carnem adesse, πολυσαρκίαν græcè appellat, motus tarditatem, ex incessu anhelationem, & sudorem, & male sic babentes sentire se à mole corporis plurimū angi, & præfocari, & apertè satis polysarciam appellat cachexiam. quod omnino pugnat cum his, quæ hactenus dicta sunt, quando ipsum bonum habitum cachexiam vocat.

a Dialogo, qui Amatores, vel de philosophia.
b lib. 8 politic.
c lib. 5. tardar. pass. c. 9.

Ad hæc Fumanellus, meminisse, inquit, debemus, dictum esse, disiungi sanitatem à bono habitu, quoniam illa cum malo quoque habitu potest esse. Nec Xenophontis auctoritas Galeni sententiam corroborat, quoniam & si bonus habitus perpetuò per se adiunctam habet sanitatem, non tamen malus habitus per se semper adiunctam habet ægritudinem: nec quia firmior est in bono habitu bona valetudo, quam in his, qui malo sunt habitu, & sani sunt (quos multos esse statuimus) ideo non differt inter firmam sanitatem, & bonum habitum: cum autem differat necessariò dicendum est differre etiam cum ista firmitatis adiectione; etenim rerum species natura distinctæ nullius rei additamento confundi, & mutuo in sese permutari possunt, diceret Aristoteles subiecto esse eadem, sed ipso esse nequaquam; tritam & peruulgatam illius distinctionem meministi. Alia est igitur firma sanitas, quam bonus habitus. Nec pugnat Xenophon cum Platone, nam securitas alia intelligi potest aduersus caussas externas, alia aduersus internas. bono habitu præditum corpus, cum sit

robuſtum, ab externis non tam facile patitur, atque alterum, quod Xenophon voluit; ſed dubiam habet valetudinem, vt Plato dicebat, propter vim cauſſæ internæ, quę eadem eſt, quæ efficit bonum habitum, & ſecurum contra hoſtes externos, ſed periculum habet naturaliter adiunctum, nè mole ruat ſua, ob carnis, & ſanguinis abundantiam, à qua vel vaſorum hiatus aliquis, vel ſubita ſuffocatio, cum modum valde ſuperat, expectanda eſt.

Alter nodus facilè ſic explicatur; nam Plato numerum exercitationum reſpexit, cum dixit, bonum habitũ à moderatis exercitationibus fieri; erat enim eo loci quæſtio; multæ nè an paucæ exercitationes habitum efficerent bonum, & dicebatur, nec à multis, nec à paucis fieri, ſed moderatis opus eſſe. Moderatæ verò, id eſt, quæ nec multæ ſunt, neque paucæ, poſſunt tamen eſſe violentæ, vt Ariſtoteles dicit, qui τὸ ποιόν τι reſpexit, cum τὸ ποσόν Plato ipſe reſpexiſſe videatur, aliud eſt rarò, aut frequẽter, quam conatu maiore, vel minore aliquid efficere. Sed hic oritur dubium aliud à te prætermiſſum; nam eodem loco ſcriptum eſt, bonum habitum fieri à cibis, nec paucis, nec multis, ſed moderatis, quod numerũ reſpicit; Ariſtoteles verò docuit, cibos coactos, & violentos bonum habitum efficere; putabimus igitur cibos eoſdem à Platone moderatos, ab Ariſtotele verò dictos eſſe violentos? Plato inquit τὰ μέτρια σιτία, Ariſtoteles autem βίαιον τροφὴν, & ἀναγκοφαγίαν, quam alio loco dixit πολυφαγίαν; at qui bonum dicit habitum fieri à multo alimento manifeſtè ab eo diſſentit, qui negat eundem à cibis effici multis, non enim eadem dici poſſunt (eidem comparata) multa, & moderata. Quid ais igitur? Reſpondit ille, quam nihil caret difficultate, quam pro-

fundè

fundè veritas latet; quid dicam non habeo, nisi confugiendum sit in eum locum, quem tu indicasti dicens, Platonem verba de vulgari Gymnastica non semper facere, sed nonnumquam de sua illa simplici, quam dixit, Sanitatem in corporibus efficere; itaque dicemus, eam, non autem vulgarem, de qua locutus est Aristoteles; bonum habitum producere: Tum rursus Fumanellus, placet, inquit, mihiq; gaudeo, te non solum non esse meæ huius obseruationis oblitum, sed eadem etiam vti disserendo. Verùm hoc loco ea minus, mea opinione, conuenit: etenim Socrates ad docendum, philosophiam non esse multarum rerum scientiam, exemplo vtebatur Gymnasticæ, quam dicebat non per multos labores, & cibos, sed per moderatos bonum habitum efficere: at exempla debent esse in confesso, & nota, gymnastica autem illa simplex, de qua alibi locutus est, quam tu modò memorasti, ignota erat, ergo aptum non erat exemplum ad id, quod Socrates volebat, persuadendum.

Itaque credendum est, illi sermonem fuisse de vulgari, & nota gymnastica; præsertim cum gymnasticæ studiosum quemdam Socrates alloqueretur. Sed quæres (video) quid ego sentiam. Ego verò, cur dubitem, intelligo, quomodo autem me extricem non reperio. Si mihi sermo nunc esset cum Platone, ipsum rogarem: cum dixeris, vir diuine, eo dialogo, quem Politicum, seu de regno inscripsisti, æquos labores, qui ijs, qui se exercent, iniungunrur, incommodos esse, nec omnibus conuenire, quod ab illis quidam nimis incitentur, quidam verò elanguescãt; si moderati bonum habitum efficiunt; quod alio dialogo, qui Amatores, seu de Philosophia inscriptus est, Significasti, moderatos autem intelligis nec mul

tos,

tos, nec paucos; isti moderationi, ac mensuræ certum numerum assignas, an incertum? quid igitur, Fracastori, responsurum illum existimas? tum ille, nolo, inquit, Platonis parteis mihi sumere; fuit ille ingenio excelso, ac diuino, vt dixisti, illud consequi ob sublimitatem non est facile. tum scio, multa scriptores cogitare, quæ stilum sæpe effugiunt: quamobrem dubia redduntur scripta, quorum perspicua in auctoris animo sententia fuerat. Est autem difficillimum intellectu illud occultum, cuius contrariam veluti faciem ipsæ editæ litteræ præseferunt; tamen diuinare aliquid possumus, & licet, veritatis gratia inuestigandæ, periclitari. Itaque si pro Platone respondero, me labores moderatos intelligere certo numero comprehensos, quid obieceris? Incommodum, inquit. Fumanellus, idem, quod ipse Plato ex æquis, ostendit, laboribus nasci: scilicet, in aliquibus robur corruptum iri, contra quam gymnastica profiteatur: quia mensura eadem omnibus congrua non est: Ergo inquit Fracastorius, dicemus non esse definitum laborum, & ciborum numerum, quos appellat moderatos; sed debere variari, vt qui cuique sigillatim aptus est, cuique sigillatim numerus præscribatur; perinde, atque dixisset, nec multos, nec paucos; sed accommodatos cibos cuique boni habitus caussa, offerri oportere; quo pacto non erit ab Aristotele Plato discors; quia, vt labores possunt esse tum violenti, tum moderati, videlicet nec multi, nec pauci, vt dixisti, sic & cibi.

Nequaquam inquit Fumanellus; nam dispar est laborum ratio, & ciborum: labor enim violentus potest esse paucus, & multus; sed cibus violentus non est nisi multus. propterea Aristoteles ἀναγκοφαγίαν, & πολυφαγίαν, pro eodem accepit, & compertum

est

est illis temporibus, qui gymnasia boni habitus gra-
tia frequentabant, illos, cibos plurimos, non mode-
ratos sumere consueuisse; mittamusq; Aristotelem,
qui fuit Platone iunior, Euripides Platone vetustior,
hoc genus hominum; dixit, maxillæ seruum, & ven-
tri obnoxium, γνάθουτε δόυλος, καὶ νηδύος ἠσσημένος,
& ex ijs alter, quibus cum Socrates eo loco induci-
tur differere, gymnasticus erat, de eoque illud eodem
loco scriptum est, ἢ όυκ᾽ οἶδα ἀυτὸν, ὅτι τραχηλιζό-
μενος, καὶ ἐμπιπλάμενος, καὶ καθεύδων πάντα τὸν
βίον διατετέλεκεν, scilicet arguebatur, quod totam
resupinus, saturq;, & dormiens vitam duceret. Ita-
que non possumus accipere cibos moderatos pro
multis. Sed ego dixerim, colloquium illud conten-
tionis, & Socraticæ dissimulationis plenum esse, at-
que ironiæ, & Socratem eo ducere adolescentes, qui-
bus cum loquitur, vt fateantur, cibos, & labores mo-
deratos bonum habitum efficere, non quia verum
illud esset, aut quia vellet, quid præstaret, docere, vt,
quo loco simplicem illam gymnasticam laudabat;
sed quia rationi, & bonis moribus consentaneum vi-
debatur, cum apud Gymnasticos è contrario se res
haberet; nam ipsemet Gymnasticus, qui cum So-
crate loquebatur, ab altero amatore musicæ studio-
so, ridebatur, quoniam cibo plenus, & somnolentus,
philosophiam contemneret; volebat enim illius eda
citatem notare; & deludere. Hic Fracastorius, ergo,
inquit, idem dici poterit de laboribus, nam eodem
loco, atque cibi, in eo sermone accipiuntur. Verum
est, inquit Fumanellus, attamen non frustra dixi, in
moderatis numero laboribus posse violentiam ines-
se, nam & si semel quis colluctetur, vel vnum sta-
dium currat, conatum tamen vehementem potest
adhibere, quamobrem cursus violentus dici possit:

quo

quo intelligimus, non ſolum in multis, ſed etiam in moderatis, & paucis laboribus poſſe violentiam eſſe. Vtinam, inquit Fracaſtorius; iſthæc tam verè, quam ſubtiliter dicta ſint.

Sed de Cęlio Aureliano quid dicis? Si quod ſentio liberè dixero inquit Fumanellus, vereor, nè temeritatis, aut impudentiæ notam aliquam ſubeam, ſed vel ipſe vera enuncianti parces, vel aberrantem ad rectam ſemitam reduces; Cęlius igitur Soranum, (vt profitetur) imitatus, non ex veterum ſententia, ſed ſuo potius iudicio de bono, & malo habitu eſt locutus: nam illi (vt ante ſatis dictum eſt) in bono habitu membrorum amplitudinem, & corpulētiam poſtulabant, & bonum athletarum habitum, etſi periculoſum, & dubium, bonum tamen habitum appellabant. At Cęlius contra, nos, inquit, ſolam bonam habitudinem intelligimus, quæ ſi fuerit cum modica Carne fortitudo, eſt ſeruanda magis, quam repellenda. Polyſarciam verò rectè cachexiam nuncupamus, hæc ait, quibus manifeſtum eſt, athletarum habitum præter antiquorum ſententiam græcorum ab eo cachexiam appellatum eſſe. Sed abeundum iam eſt, ſcis, quanto nos ægri deſiderio morentur. Cui Fracaſtorius cum annuiſſet, omnes ſurreximus, & poſt conſuetas ſalutationes, quo cuique magis viſum eſt, inde diſceſſimus. Eo igitur ſermone mihi perſuaſum eſt; gymnaſticam non pertinere ad medendi ſcientiam, nec illius partem eſſe, & vnam, eamq; vitioſam, non duas verè gymnaſticas exſtitiſſe. Quibus cum Romanus acquieſcere videretur, ei colluquio finem fecere.

Concluſio.

In exercitationum ratione tractanda; Quid differat inter gymnasticam, & medicinam. Cap. IIII.

EX hac autem disputatione statuerim, de vniuersa exercitationis ratione differere, non ad gymnasticam, sed ad medendi scientiam pertinere; gymnastica enim partem dumtaxat quandam sibi sumit, cum vni euexiæ hoc est bono, athleticoq; habitui operam nauet; quæ peculiaris est quorundam hominum constitutio. Medicina verò sanitatem procurat, quæ nec sexum, nec ætatem, nec studium hominis vllum recusat; est enim sanitas constitutio naturalis humanorum corporum quorumcumq; ; itaque præsens locus requirit, vt de exercitatione disseramus, non qua solum boni habitus effectrix est, sed omnino qua sanitati vtilis est, bonus habitus adsit, vel absit. Quod si quis bonum habitum à sanitate non distinguit, & bonum habitum putat esse sanitatem firmam, permanentem, & perfectam, vt Galeno *a* placet, per me licet: nec de ea re contenderim; nam, quas habeat illa opinio reprehensiones, satis ex ea intelligi potest disputatione, quam ante retuli. Sed ad vitandas ambiguitates, omissa boni habitus mentione, vtar vocabulo sanitatis, quo, & Galenus vtitur, cum de Sanitate tuenda verba facit.

a Vtrum salubre ad medicinam an &c.

De exercitationibus quid tractandum ſit, & quid ſit exercitatio. Cap. V.

CVm autem varia ſint exercitationum genera, non iniuria exſpectabit aliquis, vt ſingulis generibus expoſitis, & ſingulorum viribus examinatis, quæ ſalubriora, quæ minus ſalubria exiſtimanda, & quæ ſalubria ſunt, qua menſura ſint adhibenda, explicetur. Et quoniam Hippocratem ducem nõ ſequi, auctorem optimum, ineptum eſſet, hanc exordiar tractationẽ, vnde & eam ille exorſus *a* eſt, cum labores diuiſit in naturales, & violentos; ἐσὶ γὰρ οἱ μὲν, inquit κατὰ φύσιν, οἱ δὲ διὰ βίης. Appellat autem paſſim labores, quæ græci γυμνάσια, nos exercitationes appellamus, vt Galenus *b* vbique ſolitus eſt interpretari, qui tamen diſtinxit *c* etiam inter motum, laborem, & exercitationem, κίνησιν, πόνον, γυμνάσιον, etſi laborem aliquo modo cum exercitatione confundit; quæ vocabula Hippocratem non latuerunt, ſed vocabulum, πόνον, habuit magis familiarem, & promiſcuè pro exercitatione vſurpauit, vt cum inquit, *d* exercitata corpora ab inſuetis laboribus laſſitudinem contrahunt: ſed & à conſuetis exercitationibus laſſitudinem contrahunt, cum nimium illis vſi fuerint; quo loco cum opponat inſuetos labores conſuetis exercitationibus non eſt dubium, laborem, & exercitationem pro ſynonimis habita. τὰ δὲ γεγυμνασμένα τῶν σομάτων ὑπὸ τῶν ἀνεθίσων πόνων κοπιᾶ, τὰ δὲ καὶ ἀπὸ τῶν συνήθων γυμνασίων κοπιᾶ, ὑπερβολῇ χρησάμενα: motionis vocabulum, vſurpauit, cum inquit, *e* ἐν πάσῃ κινήσει τοῦ

σώμα-

a lib. 1. & 2. de diæta.

Labor apud Hippocratem idem atque exercitatio.

b 2. aph. 16. lib. 6. epid. lect. 4. t. 22. ſect. 5. t. 10. & 34.

c lib. 2. de ſan. tu. c. 2.

d lib. 2. de diæta prope finem.

e 2. aph. 48.

ςώματος, in omni corporis motu, cum incipitur laborare, quiescere statim lassitudinem tollit; vbi si motum pro exercitatione acceperimus, nihil est, quod repugnet. Sed distinxit *a* nonnunquam inter laborem, & exercitationem, vt cum inquit, deambulationes post exercitationes οἱ δὲ ἀπὸ τῶν γυμνασίων περίπατοι: nam deambulationes recensuerat inter labores; videtur autem negare fuisse exercitationes: scilicet propriè dicebatur gymnasium de cursu, lucta, saltu, & similibus. quibus illi se exercebant, qui gymnasticam docebantur, vt Galenus *b* quoque testatus est; Sed constat laboris vocabulum apud Hippocratem motum omnem, & exercitationem comprehendere; siquidem tam naturales, quam violentas motiones amplectitur. Laborant autem viri docti in definitione exercitationis inuestigãda: crassiore ego Mineruа dixerim, exercitationem motũ esse quemlibet ob corporis tutelam, seu valetudinis caussa susceptum. Non me latet exercitationis vocabulum latinis patere latius; vt cum dicunt, virtutis, scelerum, iuris ciuilis, & similium exercitatio; Sed, quod ad medendi scientiam attinet, nos omnia ad bonam valetudinem dirigimus. Comprehenditur autem dicta definitione motus omnis tam violentus, quam naturalis; quod Hippocrati placuit; & siue ex seipso aliquis, siue ab alio moueatur; similiter dicetur exercitatio; siquidem non solum equitationem, & nauigationem; sed quamcumq; vel lenissimam gestationem, etiam lecto pensili exercitationem appellant Celsus, *c* Aetius, *d* Auicenna. *e* Quod enim aliqui volunt, exercitationem non esse absque vehementi motu, & citra anhelitus mutationem: hoc nullis potest necessarijs rationibus confirmari: & constat Auicennam; & si definiendo exercitationem, anhelitus

a lib. 2. de diæta c. 14.

b lib. 2. de san. tuen. c. 2.

Definitio exercitationis.

c lib. 2. c. 14.

d lib. 1. fer. 3. c. 6.

e lib. 1. fen. 3. doct. 2. c. 2.

mutationem memorauit; singulas tamen exercitationes recensentem, lenissimos etiam motus pro exercitationibus referre, in quibus nulla anhelatio exoritur, vt gestationem lecto pensili; sed vt Galenus (etsi aliàs *a* solos vehementiores motus, à quibus anhelitus mutatur exercitationes appellandas indicet) gestationem pro exercitatione pueris, *b* senibus, *c* & imbecillis accommodata, commemorat, in qua mutari anhelitum, ne somniare quidem valemus.

a lib. 2. de san. tu. c. 2.

b lib. 1. de san. tu. c. 8,

c lib. 5. de san. tu. c. 3.

Itaque dixerim, nullũ esse motionis genus, quod valetudinis sustentandæ caussa ab aliquo suscipi non possit, etsi aliàs in aliud opus, præter valetudinem per se dirigitur: fabri laborant, vt suum singuli opus conficiant, nec valetudinis per se rationem habent; at si medicus adsit, ex illius præscripto poterunt eosdem labores sic moderari, vt ad bonam valetudinẽ præsidium afferant, quamobrem effectiones, & operæ accipient exercitationis rationem: idemq; dici potest de fossoribus, de messoribus, de onera gestantibus, & alijs sexcentis vt de gymnasticis dictum est ab Hippocrate libro primo de diæta; quod eo libentius assero, quo Galenus videtur idem approbasse libro *d* secundo de sanitate tuenda, cum ait diuersorũ opificum, quæ recenset, opera sumi aliquando pro solo tempore, aliquando pro meditatione, aliquando pro exercitatione, vt sibi olim accidisse dicit, qui in agro & ordeum contundere, & ligna findere exercitationis caussa coactus est, quæ pro opere ab ipsis villicis sumebantur. Cum igitur omne motionis genus possit vicem subire exercitationis, immensi laboris esset, omne laboris, atque operis genus enumerare, atque de singulis, quas habeant vires referre. Nec credat aliquis equitationem, iaculationem,

d cap. 8.

De singulis generibus exercitationum differendum non est.

luctam, pugillatum, & similia, quæ ad palæstram pertinebant, magis, quàm arationem, fossionem, & cætera, quæ à palæstris aliena fuere, ad medicos pertinere: propterea quod fodere, arare, & similia, non solum exercitationes sint, sed etiam opera; lucta vero, equitatio, iaculatio, & huiusmodi alia, solum exercitationes, non etiam opera dicenda sint; hoc enim est absonum, & à veritate alienum: nam omnium exercitationum, quibus in palęstra locus erat, vsus quoque erat aliquis in Republica: quamobrem opera quoque; non autem solum exercitationes dici debuerunt: scilicet durabantur corpora, & idonea ad belli munera reddebantur, vt apparet ex ijs, quæ de gymnasticæ origine ab Hospite antea dicta fuere; quod si aliqua ludiora potius, quam vsus alicuius in Republica videantur; vt funambulorum studium, & similium; animaduertere est, nullum esse ex his quoque generibus, cuius, qui attentius rem consideret, vsum aliquem non reperiat.

Sed etsi non omnis motus exercitatio dici deberet, qui tamen motum exercet quemcumque, non malè cum ipso agetur, si ita exerceat, vt vnà rebus alijs suis, & valetudini consulere videatur, est enim, vt in circulo principium & finis vbique, ita bonæ valetudinis caussa exercitatio, & exercitationis bona valetudo. Non est igitur de singulis generibus disputandum. Sed præstabit, rerum capita explicare, & exemplis aliquot illustria reddere, & simul, quæ nostris tēporibus congrua, & apta magis videntur, ea persequi: vt his cognitis, facillimo negocio quiuis de omni motu statuere, & dijudicare possit. Hoc autem commodè effici poterit, si quæ sunt communia exercitationis, seu laboris commoda, constiterit. De qua re initio nonnulla diximus, vt præfatio-

nis

nis occasio postulabat: sed hoc loco diligentius examen requiritur.

De vsu exercitationis. Cap. VI.

a lib. 1. de diæta.

b 2. de diæta.

c lib. 1. de diæta.

EST autem summa omnium auctorum consensio in eo, quod omnium vetustissimus Hippocrates dixit, *a* exercitationem, seu laborem ea, quæ sunt in nobis absumere: πόνοι μὲν γὰρ πεφύκασιν ἀναλοῦσαι τὰ ὑπάρχοντα; non tamen omnia, sed humorem: & ideo alio loco dixit, *b* laborem exsiccare πόνος δὲ ξηραίνει, vti è contrario, ocium humectat, ῥᾳθυμίη ὑγραίνει, & implent cibi, ac potiones, σιτία δὲ, καὶ ποτὰ ἐκπληροῦσι τὰ ὑπάρχοντα: *c* scilicet aduersantur labori cibi, atq; potus, quoniam his corpora inanita replentur, illo contra, quę plena sunt, inaniuntur. Ocium autem priuatio veluti quædam laboris, nihil efficit quidem; sed quia, dum ociamur, & quiescimus, nihil humoris absumitur, οὐκ ἀναλίσκει τὸ ὑγρὸν ἐκ τοῦ σώματος; propterea dicitur humectare; est tamen verum, nonnihil in otio quoque humoris consumi, at non ab otio, sed à calore insito, cuius opus numquam intermittitur, & ab alijs caussis, quæ in quiescentibus quoque aliquid efficiunt.

d lib. 1. de san. tu. c. 14.

Exercitatio vtrũ dissoluat excrementa.

Posteriores, vt Galenus *d* dixerunt, exercitationibus excrementa dissolui λύειν περιττώματα, & ἐκκενοῦν; Hippocrates cautius dixit, humorem educi, quoniam labor, etsi à voluntate, & ratione sæpe oritur, ipse tamen, rationis expers, nullum habet rerum delectum, quo potius educat excrementa, quã humorem animali necessarium; nec propterea non est vtilis labor, si probos quoque humores consumat, nam sic minuitur copia, quæ rerum quoque

vti-

vtilium solet esse molesta: immo sic fames oritur, quæ non fit sola excrementorum consumptione; sed vtilis quoq; alimenti defectu; immo ob hanc maximè caussam, quoniam fames, vt est appetitus alimenti, ita sequitur defectum similiter alimenti, nō excrementi: ergo labor, à quo fames oritur, non excrementa magis euacuat, quam bonos succos, & humores animalibus vtileis: propterea generatim, & vniuersè humorem, scripsit Hippocrates τὸ ὑγρὸν consumi à laboribus, & excrementa non memorauit; idemq; dixit vbi fames laborandum non esse, a ὅκου λιμὸς οὐ δεῖ πονέειν, quod non esset vtile præceptum, si labore sola consumerentur excrementa. Sed Aristoteles b libro problematum scripsit, exercitatione, & sanguinem, & reliquum corpus exsiccatione, & ideo cutim obdurescere, itaq; in senibus videri, & ideo cutim obdurescere, itaq; in senibus videri, & rudi sensum obtundi; nam pelle dura constant, & rugosa; hæc verò durities non ab excrementi, sed humoris vtilis inopia producitur.

Fames cur laborem sequitur.

a 2. aph. 15.

b 31. probl. 14.

Est igitur laboris commodum in humoris absumptione præcipuum, eoq; corpus euadit robustius; itaque Hippocrates non dixit solum πόνος ξηραίνει, sed adiecit, καὶ τὸ σῶμα ἰσχυρὸν ποιέει, vt contra segnities idem reddit imbecille, itaq; ab eodem non solum dictum est, ῥαθυμίη ὑγραίνει, sed adiecit, καὶ ἀσθενὲς τὸ σῶμα ποιέει; cui consonum est, quod alio loco dixit, vsus corroborat, otium autem colliquat, χρῆσις κρατύνει, ἀργίη δὲ τήκει, dicit autem colliquat τήκει, aut translatè, vt intelligatur virium dissolutio, quæ robori contraria est: aut propriè, vt significet, parteis solidas humoris copia flaccescere, & deteri, fluuiorum instar, qui littora, qua parte magis exundant, occultè deterunt, cauant, & demum ruinam instruunt. Sed scriptum est à Platone quo-

quoque, corporum habitus quiete, & otio corrumpi, exercitatione autem, & motu plerumq; seruari, τί δὲ ἃ τῶν σωμάτων ἕξις οὐχ' ὑπὸ ἡσυχίας μὲν, καὶ ἀργίας διόλλυται, ὑπὸ γυμνασίων δὲ, καὶ κινήσεως ὡς ἐπιπολὺ σώζεται; quos auctores secutum Celsum scripsisse arbitror, ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.

Labor quomodo exsiccat.

a ad primæ sect. aph. 15.

b 1. aph. 15.

Hæc autem ita fiunt, corpus agitatione totum intus, & extra calefit, & ob id ad calorem insitum additio fit Galeno *a* auctore, quamobrem concoctio magis promouetur, vulgata Hippocratis admonitione in aphorismis, *b* & rursus corpus ab eo calore rarefit, quoad fieri licet, & laxatur, & aperitur, & qui intus humor est, extenuatur, & funditur, & ad motum aptus redditur: quamobrem, & ad omnes parteis defertur, & per laxamēta, & apertos meatus exspirat, & elabitur; quæ tum siccitatis, tum indigentiæ, seu famis caussa est necessaria, & manifesta: propterea, se obsonare ambulando famem, Socrates dicebat. Exsiccatio verò ad robur parandum conducit: constat enim corpora humoris plena, grauiora, & ad laborem esse ineptiora, ipso autem motu leuiora paullatim reddi, & inde promptius, ac facilius moueri, quod si crebrò exerceantur, soliditatem, & duritiem acquirere, vel ex mutuo attritu partium, vt ait Galenus, *c* ἐκ τῆς πρὸς ἄλληλα τῶν σωμάτων παρατρίψεως, & τῶν ὀργάνων ἀλλήλοις παρατριβομένων: vel (neque enim facile est intelligere, vt corporum attritio robur pariat) ex alimenti copia ad parteis solidas delati, quæ, vt vocata filtra, lanea vestimenta, & chordæ, humore multo distenduntur, & duræ, ac rigidæ fiunt: quapropter vim externam facile vel ferunt, vel superant: quod est robustum esse.

Robur vt exsiccatione oriatur.

c lib. 1. de san. u. c. 14. li. 2. c. 2.

Neque

Neque hæc copia est, quæ corpus oneret, & impediat; crudus enim humor, & multus, qui solum ventres distendit, & in articulos nonnullis delabitur; & pinguedo insuper id facit. Sed partium densatio, & densa crassitudo ex bonæ copia alimoniæ, & apta robori, & salubris est: densatio autem idcirco fit, quoniam, calore oborto, ex ventre multus humor ad carnes præsertim trahitur, illisq; apponitur, & adhærenes ascit; hoc autem fit totum à labore, qui cuique sit accommodus, & moderatus, nam excellẽs potest adeo corpus exsoluere, vt statim concidat, vt ab Aristotele *a* sumitur, vbi quærit, cur, qui animo deficiunt, & qui præ nimio exercitandi labore dissoluuntur, mole corporis contractione existunt: propterea Hippocrates alio loco dixit, *b* labores, cibi, potus, somnus, venus omnia mediocria, sicuti Aristoteles *c* quoque dixerat, cum mediocriter corpora laborant, optimè affici, & Hippocrates *d* tradidit, vsu moderato, quæcunque in corpore vsui destinata sunt, ad sanitatem, & incrementum, senectutemq; tempestiuam promoueri; ὑγιεινά, καὶ ἄυξημα, καὶ ἐυγηρα γίνεται, quorum contraria ex otio proficiscuntur.

a 5. probl. 2.

Labor debet esse moderatus.

b lib. 6. epid. sect. 6.

c 31. probl. 21.

d lib. de articulis.

Mediocritas exercitationis quomodo finienda. Cap. VII.

MEDIOCRITATEM verò non numero, aut mensuræ quodam genere metiri licet; sed (vt de cibo priore libro dictum est) ipso sensu, quemadmodum Hippocrates docet libro primo de diæta inquiens, si quis adsit medicus, & inspiciat, cognoscet »
hominem, qui exuitur, & in gymnasijs exercetur, »
quomodo sanum tueatur, ab his quidem auferens, »

„ illis vero adijciens: at non præsenti fieri nequit, vt
„ cibi, & labores adamussim offerantur, ἀδύνατον
„ ὑποθέσθαι ἐς ἀκριβείην σῖτα, καὶ πόνους; quæ oratio non id respicit, vt intelligamus, medicos fuisse gymnasticos (quod ante quoque refutatum est) sed; quia gymnasticæ exercitationi modus aliquis bonæ valetudini accommodatus adhiberi potest; si videlicet medicus adfuerit, qui exercitationes illas, visu perceptas, perpendat, & examinet; hoc exemplo docet, omne laboris genus, vt sanitati congruam mensuram sortiatur, præsente medico egere, qui absens, nec gymnasticas exercitationes, nec alios labores iustè metietur.

Difficultas metiendi labores vnde.

Cuius rei difficultas ab ijs proficiscitur, quæ ab eodem Hippocrate libri initio tertij de diæta explicantur regionum situs, ventorum mutationes, temporum varietates, anni constitutiones, & ipsorum ciborum, in eadem quoque specie, multa diuersitas: tot namque rebus animum aduertere, & hominem ita tractare, vt labores, neque infra modum subeat, neque supra; hoc sanè vires humani ingenij transcendit: nam & præsentem medicum dictarum rerum aliqua fugiet, vel certè non adeo sibi comperta erit, atque explorata, vt illud exactum, absolutumq;, quam ἀκρίβειαν Hippocrates vocat, assequi possit: quando in ijs etiam, vbi sensus magis dominatur, in materia fabrorum magis sequaci, neque regulæ, neque normæ, neque perpendiculi, neque circini tanta vis est, quæ omnem possit errorem prorsus ab operibus depellere. itaque sensu opus est, debetq; quotidie quisque inspicere suæ statum valetudinis, & ex ea conijcere, mutandus nec ne sit modus exercitationum; quod si mutandus videbitur, statuendum est rursus; adijciendum ne sit, an potius demendum;

erunt

erunt igitur reuocanda in memoriam prioris libri *a* documenta de cibi, ac potionis mensura, & de signis, quæ repletionem adesse significant. Quod sic aliquo ex indicijs illic explicatis se quispiam repletione laborare intellexerit, dubio procul ei ad labores consuetos accessio aliqua facienda erit, postea vero demendum, cum se eiusmodi onere leuatum agnouerit, vel infra modum subsistendum, si fames labori inimica accesserit. Sed de mensura exercitationis speciatim posterius quoque differendum est.

a cap. 19. & 20.

Quod genus exercitationis optimum. Cap. VIII.

ILLVD autem exercitationis genus inprimis probandum est, quod æquè omnia possit membra sicca, robustaq; reddere, vt par sit in vniuerso corpore pondus, ac robur, quod genus Socrates laudauit in conuiuio Xenophontis, inquiens παντὶ διαπονῶν τῷ σώματι πᾶν ἰσόῤῥοπον ποιεῖν, dicebat, se corpus totum exercendo æquilibre effecturum; hancq; ob caussam paruæ ludum pilæ Galenus *b* probauit maximè, atque cunctis exercitationibus prætulit, τοῦ σώματος τὰ μέρη δὲ ἴσου μάλιστα γυμνάζει πάντα, ὃ καὶ μάλιστα εἰς ὑγείαν συμφέρει corporis omneis parteis æquè exercet, id quod maximè valetudini conducit. Qualem quoque esse saltationem, ὄρχησιν græcè dictam, Xenophon, *c* seu apud Xenophontem Socrates testatus est; ait enim οὐδὲν ἀργὸν τοῦ σώματος ἐν τῇ ὀρχήσει ἦν, ἀλλ' ἅμα καὶ τράχηλος, καὶ σκέλη, καὶ χεῖρες ἐγυμνάζοντο, nulla corporis pars in saltatione ociosa est, sed vnà, & ceruix, & crura, & manus exercentur; itaque Lucanus *d* de saltatione, etsi

b de ludo paruæ pilæ.

c conuiuio.

d de saltatione.

iocosè multa, illud ſerio dixit, & veraciter, exercitationis eſſe genus ſaluberrimum pulcherrimumq; & aptiſſimum, quodq; prompta, & robuſta corpora efficiat.

Ludus pilæ ſaltationis pars nõ erat.

a lib. 1. dipnos.

b lib. 6.

Sed curioſè quæſitum eſt, vtrum pilæ ludus modò dictus ſaltationis huius pars quædam eſſet; nec defuit, qui hoc affirmauerit Athenæus; *a* ſed eius opinioni aduerſatur, quod in ſaltatione motionis ordo quidam, & numerus, & cantus imitatio quædam obſeruatur, vt legere eſt apud Platonem libris de *b* legibus, & Xenophontem conuiuio, & conſtare videtur ex Homero, qui ſaltationem abſque cantu non memorauit; quinimmo ijdem olim canebant ſaltatores, ſi Luciano credimus; ſed quia anhelitui incommodabat ſaltatio, inſtitutum eſt poſtea, vt alij canerent; At quod in pilæ ludo caneretur, & idcirco numerus in motu ſeruaretur, quæ ſaltatio erat, verè obſeruatum non conſtat: neque ſatis aſſequi poſſum, hoc ab Homero ſignificatum eſſe libro ſexto Odyſſ. vbi de Nauſicaa cum puellis æqualibus pila ludente cecinit σφαίρῃ ταὶ τ᾽ ἄρ᾽ ἔπαιζον; etenim de ſaltatione nullum verbum; vti nec in Demoxeni carminibus apud ipſum Athenæum: quamuis enim Cous ille adoleſcens concinnè, & eleganter omnia in pilæ ludo conficeret, ſaltatione tamen vſus non dicitur. idemq; Athenæus, licet eruditiſſimus, minus ſatisfacere poteſt, qui ſaltationem διὰ τῆς σφαίρας, dubiam apud Homerum memorauit, & διὰ τῶν τροχῶν manifeſtam apud Xenophontem præteriuit: nam eius conuiuio fęminam ſaltatricem legimus ſaltantem rotas duodecim ſurſum iacere, & denuo numeroſè excipere edoctam. poſſet tamen obijci nobis, vt rotas, ita pilas numeroſè ſurſum iactare potuiſſe, & deſcendentes appręhendere: ſed non eſt hic pilæ, qui

voca-

vocabatur, ludus, qui à pluribus vno necessario exer-
cetur, cum muneri saltationis vnus sufficeret.

Si quis verò Homerum obijciat Odyss. Θ. canen-
tem præcepto Alcinoi prodijsse Alion, & Laoda-
manta, qui pila simul, & saliendo spectaculum præ-
buere; neque hoc mouere nos debuerit nam etsi ij-
dem pilæ lusus, & saltationis specimen dedere, non
tamen dicuntur simul vtrumq; confecisse, sed in pila
prius, & saliendo deinceps fecisse periculum, inquit
Poeta; ἐπειδὴ σφαῖραν ἂν ἰθὺν πειρήσαντο, ὀρχείσθην
δὴ ἔπειτα &c. Sed nec illud dilucidius docent, Cu-
bisticam esse quandam saltatoriæ partem, quandò
nec Homerus, nec Xenophon ad partem, sed ad to-
tum genus saltationis significandum dixere, ille,
κυβιστῆρες, idest, saltatores, vt Lucianus interpre-
tatus est; hic vero ἐκύβιστα, καὶ ἐξεκύβιστα, idest insi-
liebat, & exsiliebat. Sed hoc obiter, ad pensum re-
deamus.

Est igitur vt pilæ ludus, ita saltatio saluberrima.
Quod si genus aliud reperitur; quo æquè cunctæ cor-
poris partes, vt in pila, & saltatione exerceantur, il-
lud quoque optimum est. Sed pleræq; exercitationes
membra quædam, siue parteis magis afficiunt quas-
dam, quam alias, scilicet vel superiores magis quam
inferiores, vel implent, vel exinaniunt. Idem Socra-
tes conuiuio apud Xenophontem, inquit, οἱ δολιχό-
δρομοι τὰ σκέλη μὲν παχύνονται, τοὺς δὲ ὤμους
λεπτύνονται. οἱ πύκται τοὺς μὲν ὤμους παχύνονται,
τὰ δὲ σκέλη λεπτύνονται; hoc est, qui stadio cur-
runt, ij crura quidem crassa efficiunt, sed humeros
extenuant. pugiles verò humeros quidem corpulen-
tos reddunt; sed crura emaciant. Scilicet partes eæ,
quæ magis laborant, pleniores & robustiores red-
duntur: dico autem pleniores, seu crassiores, & cor-
pulen-

Crassitudo alia est, quam pinguedo.

pulentiores, sed non pinguiores, etenim pinguedo otij potius, quam laboris est, quod ex animalibus, quæ saginantur, intelligi potest. præterea pleniores, & crassiores intelligo pro cuiusq; natura, & in copia ciborum moderata, & congrua; nam vbi fames, noxia exercitatio est: multus verò cibus, & violentus (vt Aristoteles dicebat βίαιον) qui scilicet modum insigniter superat; qualis fuit athletarum; efficit habitum athleticum fugiendum, quem Cęlius Aurelianus polysarciam appellat, & cachexiam, & bonū habitum putauit dumtaxat naturalem, in quo moderata est caro, atque robur; scilicet contra, quàm de bono habitu vetustiores locuti sint, vt ante in ea disputatione, quam hospes recensuit, expositum est.

Implet igitur exercitatio, etsi consumit etiam, vt dictum est, quæ licet pugnantia videantur, conueniunt tamen, quia libro tertio de diæta Hippocrates inquit, carnes calfactæ, ac siccatæ (scilicet à labore) alimentum in seipsas per venas trahunt, deinde augescunt, exercitatio, inquam, excremētorum copiam minuit, calorem insitum adauget, & roborat, & ad concoquendum aptiorem efficit: argumento est autem, corporis eiusdem parteis, quæ casu quocumq; suo opere, & labore frustrātur, & iure indebito otiantur, sua compare tenuiores, vt imbecilliores euadere: itaque Hippocrates libro de articulis, cum exposuisset multis verbis; articulo femoris alterius elapso, & non reposito, totum crus illud ex carne fieri, ac tenuius altero propterea, quod vsus illius interceptus sit: eoque minus tenue euadere, quo quis eo magis vtetur; commune addidit, præclarumq; illud documentum: omnia, quorum vsus aliquis inest in corpore; si quis moderatè illis vsus erit, & in ijs exercuerit laboribus, quibus singula adsueuerunt; & sa-

na

na esse, & augescere, & probè consenescere & contra,
si quis non vtatur, & in otio relinquat, morbosiora
euadere, non augescere, & cito consenescere: mode-
rata igitur exercitatio cum moderata alimonia, etsi
quædam absumit, ipsum tamen corporis habitum
carne replet.

De varijs exercitationibus ex Hippocrate. *Cap. IX.*

His autem notatis, ad Hippocratis diuisionem
redeundum est: sunt enim aliqua explicanda, de
quibus nihil notatum animaduerti à clarissimis au-
ctoribus, qui eruditissimos commentarios de exerci-
tationum generibus, & facultatibus ediderunt; ea
licet nec inutilia, nec scitu iniucunda videantur; Hip
pocrates igitur labores alios naturaleis, alios esse
violentos dicebat. naturalem dixit laborem visio-
nis, auditus, vocis, solicitudinis. Nec mirari licet
Hippocratem magis, qui visum, & auditum inter
labores enumerauit, quam Aristotelem, *a* qui ex
quibusdam scriptis de natura voluminibus retulit,
& approbare visus est, videre, & audire laborem es-
se, cum in illis scriptum esset, laborare semper ani-
mal; ἀεὶ πονεῖ τὸ ζῶον, ὥσπερ καὶ οἱ φυσικοὶ λόγοι μαρ-
τυροῦσι, τὸ ὁρᾶν, καὶ τὸ ἀκούειν φάσκοντες εἶναι λυ-
πηρόν. ἀλλ' ἤδη συνήθεις ἐσμὲν, ὥς φασιν. Semper (in-
quit) laborat animal, quemadmodum physici te-
stantur sermones, qui videre, & audire dicunt mole-
stum esse; sed iam adsueti sumus, inquiunt.

Laboramus igitur videndo: idque facile sibi qui-
uis persuadeat, qui animaduertat, vt, paulò acrius
oculos in rem quamcumq; intendens defatigetur,

Labores naturales.

Visus, & Auditus.

a lib. 7. de moribus ad Nicnm.

vtque

a Arist. lib. 2. de anima tex. 99. 123. 143. lib. 3. tex. 7. 67. 68.

vtque excellens *a* visum videndi instrumentum corrumpat, vtque diu in tenebris versato lux repentina cecitatis periculum afferat, debereq; illum paullatim luci ferendæ adsuescere, & cogitet, animali recens edito, noua esse omnia & vires infirmas; ita enim intelliget videndi functionem in eo sine labore esse non posse: sed quia lux demum necessaria est, per vices somni, ac vigiliæ, diei, atque noctis, ita adsuescimus, vt nullus videndi labor videatur, nisi id acrius, & diutius fiat, & visa vehementius afficiant: & Aristoteles *b* libro problematum exposuit, oculos ex rerum conspectu laborare, exceptis viridibus, à quibus non, vt ab alijs vehementer, sed mediocriter commouentur: nec erit fortasse quisquam, cui ignotum sit, longiorem vigiliam, & lectionem oculis laborem parere; sed, quæ demum ægris corporibus accidunt, hoc maximè confirmant, quorum oculi, & lumen sæpè refugiunt, vniusque & alterius versiculi lectionem non sustinent: est igitur in visu labor, sed quem sani ob virium integritatem, & consuetudinem non aduertant.

b 31. probl. 20.

Sic laboramus etiam audiendo, vt ab vtroq; auctore affirmatum est: sed labor à sanis non æstimatur ob consuetudinem, & robur, nisi vehementior sonus occurrat, qui auditum labefactare quoque valeat, vti sentiendi instrumentum quodcumq; labefactari, & corrumpi ab excellenti sensibili Aristoteles docuit: ægroq;, & imbecilli corpori auditio manifestè laborem affert, & sano quoque sonus, etsi moderatus, at diuturnior. Verum licet dubitare, & quærere, cur Hippocrates solos visum, & auditum laborare dixerit, treis verò reliquas sensus non memorauerit, sicuti Aristoteles libro septimo de moribus, in physicis sermonibus dixit, factam esse de visu, & auditu mentionem,

Cur soli visus & auditus dicti laborare?

nem,

nem, atque si solis hisce labor conueniat, non autem reliquis, quos tamen sentiendo laborare, & grauiter affici, pro comperto aliquis acciperet. An diuersa res est corrumpi, & malè affici, quam propriè laborare, quod est πονεῖν græcè? scilicet sensus quilibet ab excellenti sensibili malè affici, & corrumpi potest: sed non quiuis sensus sentiendo laborat: hoc enim solius est visus, atque auditus: nam laborare statuimus ea, quorum functionibus, certo spacio, & tempore durantibus, aliquid humoris absumitur; hoc verò in odoratu, gustatu, & tactu vsu venire non videtur: nam sensibilia, vel immodicè sensus mouent; quamobrem momento penè illos labefactant, & destruũt; quod omnibus sensibus euenire potest; vel modicè mouent, atque ob id exhauritur quidem aliquid ab auditu, atque visu, sed ab alijs tribus nequaquam: itaque in visu solo, & auditu laboris opus exsiccatio apparet. Scilicet, gustatu, qui est alimenti sensus; & olfactu (est autem odor veluti genus alterum nutrimenti) tantum abest, vt dematur aliquid de corpore, vt additio quædam potius contingat; nisi ex secundario, ob iniucunditatem saporum, & odorum, vel nausea concitetur, & vomitus, vel trahatur ad os pituita, & sternutamenta excutiantur. Tactu quoque nihil absumitur: nam quæ tanguntur, si modum superant, non laborem inferunt; sed labem, & corruptelam, & paulò diutius ferri non possunt, si verò intra modum sint, corpus ipsum fouent, atque sustentant, & nullo negocio, nullove labore feruntur.

Sed docebis fortasse, tangendi quoque sensum laborare, quoniam vestimentis onustos sudare, & in thermarum calidarijs, atque sub sole versantes sudore perfundi nemo nescit, igitur ab immodico calore absumi, & exhauriri humorem, & laborare corpora,

non corrumpi. At ſudor, qui ex veſtimentorum pondere ſit, non excitatur ab externo rei ſenſibilis calore, ſed onus ipſum veſtium inſtar eſt exercitationis, & motus, cuius opus eſt, calorem in nobis commouere; ſi itaque labor eſt, non ex calore eſt, ſed ex onere. In calidarijs verò, & in ſole magnus quidem eſt calor, ſed non ſemper efficax ad corrumpendum; ſed cum mediocritatem ſuperat: nec laborem etiam inducit, niſi qua in calidarijs aer, aquæ vapore craſſior iuſto redditus, anhelitum nonnunquam impedit, & animi defectionem quibuſdam infert: vt ſudorem quoque ibidem, & in ſole calor mouet non ob laborem, ſed quoniã cutim laxat, & rarefacit, quod quidem facere ſolet labor, ſed etiam alia ſine labore faciunt.

Sed alius fortaſſe diceret, viſa ipſa, colorem, inquam, ignis naturam referre; non enim ſine ignei alicuius præſentia cerni poteſt, vt auctori placuit Ariſtoteli, *a* & Plato in Timæo colores dixit vocari flammas à corporibus manantes, φλόγα τῶν σωμάτων ἀποῤῥέουσαν. & idcirco vim exſiccandi habere, Sonos vero Hippocratem dixiſſe fieri à ſiccis libro, qui de carnibus inſcriptus eſt, οὐδὲν τῶν ὑγρῶν ἠχεῖ, ἀλλὰ ξηρά. Sed hæc ſatisfacere non videntur: nam in tactu quoque locum habent, quia ſunt aliqua, quæ tanguntur ſicca, & ignea. omiſſus tamen eſt tactus, tamquam abſque labore exerceatur. An poſſumus docere, ſimiliter in omni ſenſu laborem eſſe, ſed ob conſuetudinem videri in nullo eſſe, euidentioribus tantum iudicijs in viſu, & auditu percipi, atque ob id omiſſos cæteros. An demum ſoli viſus, & auditus laborare ſimpliciter dicuntur, quia, vt cæteris ſenſibus officij dignitate præſtant, ita inſtrumenta ſortita ſunt, quæ aliorum ſenſuum inſtrumenta ſuperant

a lib. 2. de anima t. 69. & li. de ſenſu c, 3.

tem-

temperamenti, & structuræ nobilitate, & sui (ita di-cam tam delicatè constructa, vt minimæ cuiusq; rei iniuriam sentiant, cum cæteri sensus ignobiliores ru-diore materia fulti rerum occurrentium vires valen-tius ferant, sic solis calorem corpus reliquum sępe iu-cundè, & salubriter sustinet, cum eiusdem solis splen-dorem oculus ne momentum quidem temporis ferat absque labore, qui nec lucernæ flammulam paullo diutius citra caligationem intueatur. Auditusq; pa-rem esse rationem intelligemus, si meminerimus, quam paruæ rei in cursu offendatur. fortasśè vero Hippocrates secutus efficaciora, & veriora; solos vi-sum, & auditum inter labores memorauit. Sed his, quæ dicta sunt, cupimus ingenia studiosorum exci-tari ad illustranda loca, quæ in optimo auctore ob-scura sunt.

Curas deinde, & vocem, μέριμνην, & φωνὴν labo-res vocat naturaleis. Sed hominē à curis, & sollici- Curæ. tudinibus exsiccari, & tabescere; notissimum est ex Galeno, *a* dicebatq; apud Ciceronem *b* poeta ve-tus, curas coquere, itaque vt siccant, ita laboris no-mine, ac genere comprehenduntur. De voce autem minus dubitari potest, nam medicinæ posteriores Hippocrate auctores, non solum sermonem, lectio-nem, & cantum, de quibus Hippocrates mentionem fecit, sed vociferationem, fletum, risumq; inter exer-citationes collocarunt: & ploratum Aristoteles *c* lo-co exercitationum pueris fieri asseruit.

a lib. de cauſ. morb. c. 4. lib. 6. de ſan. tuen. c. 3. lib. 3. de loc. aff. c. 6.

Vox.

b initio lib. de ſeneƈt.

c lib. 7. politic.

De laboribus violentis. Cap. X.

HIs autem explicatis, Hippocrates labores, quos violentos esse dicit, exponere aggreditur; sed primò de deambulatione loquitur, vt quæ media est

quodammodo inter naturaleis & violentos labores; nam dictis quatuor comparata videri poteſt violenta; ſi verò cum cæteris, qui poſt dicentur, conferatur, naturalis exiſtimabitur. Sed de ambulatione ſpeciatim poſterius diſſerendum eſt. Violentos igitur labores ſimpliciter vocat curſos, concuſſiones, quas vocat gręcè παρασεὶσματα, commotiones ἀνακινήματα, alleuationes, ἀνακουφίσματα, luctam, & fricationem, πάλην, καὶ τρῖψιν, volutationem in puluere ἀλίνδισιν, micationem per ſummas manus ἀκροχειρίην, Coryci certamen κορύκωμαχίην, numeroſam manuum motionem χειρονομίην, ſpiritus detentionem πνεύματος κατάχεσιν. Tot eo loco violentas exercitationes Hippocrates enumerat. cur autem non plureis (etenim præter has extabat, Saltatio, Saltus, Rugilatus, Pancratium, Cęſtus, Diſcus, Halteres, Iaculatio, Circilaſia, Trochus, Equitatio, Vectatio Curru, Sella, lectica, in lecto penſili agitatio, Nauigatio, Piſcatio, Natatio, Venatio) cur, inquam, non omnia hæc genera memorauit: non ſanè quia in vſu non fuerint, aut hæ præ cæteris inſignes, vel conferre, magis ad bonam valetudinem niſæ ſint; nam quæ ante de ſaltatoria ex Xenophonte dicta ſunt, has rationes refellunt: ex ijs enim vetuſtatem eius intelligimus, cum Socrates fuerit Hippocratis ęqualis, aut paullo ſenior: intelligimus, & cum vtilitate præſtantiam, cum à Socrate cæteris exercitationibus præferatur ob eandem rationem, qua pilæ ludum Galenus mirificè commendauit.

Exercitationes violentæ.

Sed Hippocrates ſaltatoriæ non meminit idcirco, fortaſſe quod hoc fuit genus alterum gymnaſticæ; Nam Plato (vt conſtat ex libro eius ſeptimo de legibus) gymnaſticam diuiſit in ſaltatoriam, & Palęſtricam, & credunt viri docti ad palæſtricam referri

omne aliud genus exercitationum, saltatione semota; quod verisimile videtur, quoniam pugilatum eodem loco Plato memorauit tamquam partem luctatoriæ, aut eodem genere comprehensam. Voluit igitur Hippocrates solius palęstricæ partes quasdam examinare, idest, quasdam dumtaxat exercitaitonū formas, quæ in palæstris vsurpabantur, etsi luctam non, vt præcipuam recensuisse, appareat, & pugilatum silentio inuoluerit. Scio, Coryci ludum quibusdam videri ad saltationem pertinere; sed hi rem valdè dubiam affirmant.

Quæ medico de exercitationibus cognoscenda.

Verùm hæc nosse, non tam vtile est, quam curiosum: neque enim multum refert, neque medici magis est intelligere, quot, & qualia fuerint vetustis seculis exercitationum genera, quam nunc sigillatim perspectas habere omneis omniū artificum formas laborum, quod infinitum est. Ea debet medicus nosse, quæ ad omne tempus, ad omnem nationem, ad omnem ętatem, & sexum, & ad omne opificium pertinere videntur. Intelligere scilicet, quam habeant vim exercitationes, quæ corpus vniuersum agitant, quam eæ, quæ partem vnam, aut plureis, non autem omneis, quæ superiores, quæ inferiores. His enim ptobè cognitis, non erit arduum de quouis labore, & motu, licet ante incognito iudicium ferre. Propterea fortasse Hippocrates aliquot veluti exempla tantum memorauit, reliqua exercitationum genera breuitatis studio prætermisit.

Laborum cur aliqui naturales, aliqui dicantur violenti. Cap. XI.

NON est autem prætereundum, cur hos violentos labores, illos naturaleis Hippocrates dixerit. Naturaleis vocauit visum, auditum, vocem, solicitudinem, quoniam ad eos maximè procliues sumus, & nolentes etiam in illis exercemur; at cursus, lucta, & reliquæ similes motiones non absque consilio exercentur, neque sic nobis occurrunt, vt nolentes illis animum aduertamus, & corpora offeramus. Sunt igitur voluntarij labores, non autem naturales, dicuntur autem violenti, non si animo comparentur, quia ratione, & consilio, idest de animi sententia suscipiuntur, ergo citra violentiam, sed corpore, quoniam vi sibi quadam illata mouetur, non autem vt suaptè natura moueri solet. Dubium est autem de voce, quoniam sæpè loquentes, atque legentes, canentes quoque perindè laborant, atque ij, qui currendo, & luctando exercentur.

Sed Hippocrates vocem dixit esse laborem naturalem, quoniam de communi, solo, & vulgari loquendi more, & lectione quoque demissa, & cantu pariter, cui nulla sit adiuncta vociferatio. Sic nonnunquam admonuit, *a* vociferationem βοὴν vitandam esse, non autem sermonem dixit λέξιν, & lectionem ἀνάγνωσιν, cantumvè ᾠδὴν, quæ hoc loco nominantur: quia, cum clamor, & vociferatio his possit adesse, & abesse, de his ipsis locutus est, cum neque clamor adest, nec vociferatio. Sed auditus quoque, & visus, violentum aliquid habere videntur: nam motus animalis naturalis quidem est, vt animalis est, vt autem corporis est, potest etiam præter naturam

a lib. de internis affect. primo morb.

ram esse, vt Aristoteles *a* docuit nam, partes anima- a lib. 8. phys. 27.
lium, inquit, sæpe mouentur præter naturam iuxta positiones, & motus modos: &, vt ante quoque dictum est, malè à sensibilibus sæpè afficiuntur, quod sine violentia non fit. Visus tamen, & auditus tam obuij sunt, atque expositi, vt omnis ab illis violentia abesse videatur. præter naturam quoque esse valent, si modum superet vsus illorum, qui moderatus cum est, salubris est, & naturalis exercitatio dici potest.

Cur Hippocrates dixit, animam siccari. *Cap. XII.*

SED est quoque notatu dignum, omnibus Hippocratem laboribus tribuisse quidem vim exsiccandi, sed, vt à naturalibus anima, à violentis autem corpus siccetur. De visu scilicet, inquit, προσέχουσα ψυχὰ τῷ ὑρεομένῳ κινέεται, καὶ θερμαίνεται. θερμαινομένα δὲ ξαραίνεται κενουμένου τοῦ ὑγροῦ, anima aspectabili admota mouetur, & calescit, calescens siccatur dum humidum euacuatur. quod similiter dicit de auditu, voce, & solicitudine. & de his veluti de anima locutus est. De reliquis verò corpora, & carnes calescere dixit. De deambulatione, κινουμένου τῆ σώματος, καὶ θερμαινομένου. De cursu, θερμαίνοντες τὴν σάρκα. De concussione διαθερμασμένον τὸ σῶμα ac similiter de reliquis violentis laboribus loquitur, corpus, & carnem memorans, animæ omissa mentione. Sed quam de anima Hippocrates opinionem habuerit, cum incertum sit, non est etiam quærendum anxiè, cum de hac re meliores Hippocrate magistros habeamus. & si quis ea loca, in quibus animę

fecit

fecit mentionem diligenter examinet, rem quandam corpoream ab eo creditam animam intelliget, calori, frigoriq; , & similibus obnoxiam. quod quam vanum sit, patet sed non est nostri instituti pluribus ostendere. Quod huc pertinet, potuissemus interpretari, dictam siccari à laboribus naturalibus animã, quia in illis animæ vix potius, quam corporis enitet, videre, audire, loqui, cogitare, irasci, mȩrere, & similia officia sunt, quæ animæ potius, quam corporis videntur esse licet non absque corpore exerceantur. ambulare autem, currere, luctari, & alia huius generis, non quidem sine anima fiunt, sed corporis magis videntur esse: à quibus caro, & corpus siccantur. Rursus, cum sæpe corpora tabescant ob studia, & solicitudines; neque hoc fieri ab his, vt ab alijs laboribus videatur per vacuationes manifestas, cuiusmodi est copiosa mictio, vel profluuium ventris, vel sudor, vel mucus, vel sputum, vel si hæc non fiant, ex sensibili saltem corporis calefactione modus percipitur, quo per meatus cȩcos cutis laxatos, clam sensibus humor exspiret, quorum nihil exstat in visus, & auditus laboribus, & vocis (citra vociferationem) ac studiorum, vel solicitudinum, vel animi quarumcumq; affectionum; propterea, cum ab *his* nihilominus corpus tabescere soleat, occultiorem caussam concipiendam Hippocrates arbitratus, animam dixit ab hoc laborum genere commoueri, & concuti, & hinc calescere, & calefactam, humori consumpto, emaciari: tamquam animæ occulte accidat, quod manifeste corpori contingit, cuius humor cum à violentis laboribus per manifestas vacuationes consumatur, & à naturalibus per occultum quasi venenum tabescat, hoc priuatim visum est animæ tribuendum, quæ suo quodam modo moueatur, cale-

fiat,

fiat, & per calorem, humido consumpto, maciem inducat. Nec sane dubitandum est, ob curas, & ob litterarum maxime studium homines tabescere, de qua re Plato in Timæo hæc dicebat, ὅταν εἰς τίνας μαθήσεις καὶ ζητήσεις σύντονος ἴῃ, ἐκτήκει, cum disciplinis quibusdam, & inuestigationibus efficaciter incubuerit (anima scilicet) liquefacit, cui consentaneum illud Galeni est, in libro de paruæ pilæ excercitatione φροντὶς δὲ μόνη ἐκλεπτύνει sollicitudo sola corpus extenuat (non quod alia non sint, quæ hoc præstent, sed quod interdum, alijs absentibus, sola ipsa hoc faciat) quod non vnius Chærephontis, cuius ante meminimus, sed innumeris aliorum exemplis didicimus: vidimus enim sæpe, quotidieq; videmus adolescentulos, & iuuenes, habitus bonitate, colore, ac nitore spectabiles ab iniuria studiorum, & meditationum breui spatio maciem, pallorem, rugasq; adducere, & corporis omnem venustatem, atque elegantiam deponere: litterarum autem studium maxime constat visu, auditu, sermone, lectione, meditatione, quos labores naturaleis Hippocrates vocauit. quod si μερίμνας apud eundem non meditationes ad studia pertinenteis, sed curas, & solicitudines interpreteris, quas nobis, veluti animi aculeos, inijciat aliqua calamitas, & infortunium, constat perinde his quoque corpora emaciari, & tabescere, ex eoque illud manauit Spiritus tristis exsiccat ossa. Sed dicamus demum, corporis maciem hanc citra manifestas inanitiones, quas Hippocrates tribuit laboribus naturalibus, oriri non quia calefit anima, & arescit, vt ille ait, sed quia proprijs, & suis intenta muneribus, veluti corporis curam, cultumq; negligit, & humorem non consumi, sed non præstare, quam debet corpori alimoniam. Sed cuiusmodi sint Prou. c. 17.

labores hi naturales ab Hippocrate dicti, fiet ex ſequente tractatione dilucidius.

De videndi labore. Cap. XIII.

CVM autem hæc dicta ſint generatim de laboribus, & exercitationibus naturalibus, & violentis. iam operæ pretium eſt, vt de recto eorumdem vſu diſſeramus quod ita facturi ſumus, vt immenſo de ſingulis tractandi, atque infinito labore parcendum exiſtimemus, ac de paucis tantum quibuſdam diſſerendum, quorum tractatio ad aliorum notitiam conducat de naturalibus tamen omnibus (quod obſcurior, minusq; trita res, & peruulgata eſt, & ſunt omnibus maximè communes) ſigillatim diſputabimus, & primum de viſu. Eſt autem videndi ſenſus magna tum vtilitas, tum voluptas, vt notiſſimum eſt. Sed eſt etiam labor: quamobrem in ipſo quoque oculorum munere aliquid ineſt, quod ad ſanitatem pertineat.

Eſt autem ipſimet oculo ſalutaris aſpectus, qui tamen non ſuperet modum: dictum eſt enim Hippocrate auctore ſuperius, moderatum omnium vſum membrorum, quorum eſt aliqua functio, ad ſanitatem, & robur conducere: itaque videndo quoque viſus acuitur, & roboratur. Modus verò ſeruandus eſt, nè quid nimis, termini autem moderationis ſunt, in primis ſi oculus benè affectus ſit, viſa vero ſint paria facultati, tempus, quod videndo abſumitur, & medium, quod neceſſario ad videndum requiritur, cæteris reſpondeat. Oculus benè affectus omnibus caret vitijs tam aduentitijs, quam naturalibus. quorum aliqua functionem, eius non impediunt, ſed tantum efficiunt, vt cum labore videamus. Oculus, inquam,

probè affectus nullo labore propinqua, & remota (certa tamen distantia) videt. sunt verò, qui propinqua tantum, sunt qui contra solum remotas sine labore intuentur: quamobrem fit, vt hi, propinqua spectaturi, cogantur spacio quodam ab oculis ea seiungere illi vero, ad videndum remotiora, conspiciliorum vsum requirant. Nec, plura quærere, magni refert, cum naturalia hæc vitia sunt.

Vitia aduentitia magna quædam sunt, alia minora. illa ad alteram Medicinæ partem spectant, quę morbos curat; morbos enim maiora vitia vocamus; minora vitia eadem sunt, quæ libro priore notauimus, quo loco repletionis signa ab affectibus quoque oculorũ quibusdam peti ostendebamus: etenim hæc cum adsunt repletionis indicia, maiore oculos periculo exercemus: Itaque quicquid occurrat tutius ieiuni, quam saturi, tutius mane, quam vespere, & meridie, tutius ante, quam post cęnam, vsura fruimur oculorum. Sunt autem propriè, qui videntur colores; sed videntur quoque motus, quies, numerus, figura magnitudo; quæ communia sensilia Aristoteles *a* appellauit. Color igitur præ cæteris salutaris dicitur virilis; molestus verò est splendor ipse, qui veluti color quidam est, vt colores ipsos Plato flammas in Timæo nuncupauit. Sed hæc subtilius distinguere ad scientiam pertinet de natura: liceat nobis in præsentia, splendorem quoque coloris nomine significare.

a lib. 2. de anima t. 64.

Est igitur in primis molestus rerum splendidiorũ intuitus, vt solis, vt propinquæ flammæ, etenim visum dissipant, caligationemq;, & hallucinationem inducunt, nè dicam cæcitatem; quando, tyrannorum iussu quosdam metalli candentis obtutu diutino excæcatos, proditum est. Postea color albus, & candi-

dus visum dissipat, quippè, qui ad splendoris natu-
a lib. de sensu, & sens. c. 3.
ram proximè accedit: Itaque Aristoteles *a* dixit, solem secundum se album videri; ὁ ἥλιος καθ' ἀυτὸν λευκὸς φαίνεται. Sol autem splendet omnium maximè: Secundum album faciiè aliquis statuat, puniceum, ac rubrum colorem, satis splendoris habentes, ipsamq; purpuram, plebis oculos è principium vestimentis perstringentem visui nocere: neque refert,
b lib. de sensu, & sensili c. 3.
ab Aristotele *b* purpureum colorem, & puniceum, ἁλουργὸν, καὶ φοινικὸν iucundissimos vocatos: nihil enim prohibet, idem iucundum esse; atque noxium certè flauus ab albo non adeo distat. contrarius est albo niger, non est tamen niger valdè salubris, vt neque tenebræ: nam vt albus, & splendor visum dissipat, sic niger; & tenebræ nimis cogunt, & veluti congelant; quamobrem, qui diutius in tenebris versati sunt, lumen repentinum non ferunt: itaque & à nigro, & ab albo distanteis salubreis asserunt, & præ cæteris viridem; licet Galenus cęruleum, viridi prætermisso, cæteris salubriorem esse, docere conatus sit: est quidem gratus visu cæruleus, sed in eo salubritatem iucũditati parem esse, non facile dixerim: nam diuturno aspectu citius, quã viridis, oculos fatigat.

At viridium aspectum salubrem esse, visumq; recreare, & meliorem efficere, veluti notum, & vulgo receptum, & comprobatum Aristoteles accepit, li-
c 31. probl. 26.
bro *c* problematum: etsi, quam attulit rationem, ea communis est omni colori album inter, & nigrum medio. Viridem tamen præferri, illud quoque do-
d lib. 35. c. 5.
cet, quod Plinius *d* scribit, Smaragdi aspectum esse gratissimum, & absque satietate solum oculos intuentium implere, aciemq; aliarum intuitu rerum obscuratam recreare, quod maximè omnium vireat. Itaque non casu, sed optimo consilio factum intelligimus,

gimus, vt tellus fere tota virentibus herbis vestiatur, & plantarum folia omnium vireant: etenim cęli, siderumq; splendore fatigati animalium oculi terræ virentis aspectu protinus reficiuntur. in tenebris quies naturalis, laborandum in luce, sed in ea oculi caligant, horum igitur tutelæ Deus O. M. obuio, promptos herbarum, arborumq; aspectu prospexit: quæ arbores tum maxime virent, & grandioribus, ac frequentioribus ornatur folijs, cum (per æstatem scilicet) propinquitate maximi sideris magis oculi fatigantur. quod ad vmbrarum commodum accedit. eodemq; consilio vis terræ & aquæ insitu, quamobrem ex hisce temperatis leuis caloris accessu viridis vbique herba, vel muscus oriatur.

Est tamen in cæteris quoque gemmis, quod oculos mulceat, splendor videlicet in alijs rubore, in alijs cãdore, in alijs temperatus viola, auro in alijs, atque in alijs aliter: neque enim splẽdor omniquaq; noxius est, sed nimius. Colorum varietas ad fatigandum oculos plurimum adiuuat; itaque in picturis cauent boni artifices (vt magis delectent) nè vis splendoris, & luminis oculos auertat ab intuitu. Laborant quoque & fatigantur oculi plurimum in tenuioribus opificijs: quamobrem non solum visu præstare dicti sunt, qui remotissima quædam videre potuere, vt qui (si licet credere) à Lilybeo Siciliæ promontorio nauium, portu Carthaginis exeuntium, numerum dicebat; sed etiam qui ex ebore formicas, & alia tam parua fecit animalia Callicrates, & Myrmicides, vt partes eorum à cæteris cerni non possent: & qui Homeri carmen Iliada in membrana scripsit, quam nux includeret. Sed horum magna raritas; propterea studiosis bonarum præsertim artium, scientiarumve, suspecta debet esse litterarum lectio minutiorum,

tiorum. Eſt quoque moleſtus rerum intuitus, quæ celeriter, & quæ vario motu mouentur, maximè vero, quæ in orbem feruntur. Blandior eſt rerum aſpectus quieſcentium, & quæ modice, ac ſenſim mouentur. Plura quoque ſimul aſpiciendo, quam pauciora, magis laboramus.

Vtrum autem in maioribus, an in minoribus rimandis corporibus magis fatigemur, incertum eſt: in maioribus diſſipatur viſus, in minoribus plus nimio conſtringitur: in re longe diſſimillima, & contraria par labor videtur, quia res vtraq; à mediocritate diſtat, in qua videndi iucunditas, & ſalubris labor conſiſtit. Figuræ quoque, quo ſimpliciores, eo minorem oculis laborem pariunt: itaque in omnibus mediocritas quærenda: non tamen quod, ſalubritatis cauſſa, leuiori ſemper operi incumbendum ſit: ſed in maiore quoque laborandum ſæpius: nam vt illinc reficitur, & recreatur, ita hinc robuſtus viſus efficitur. Sed in vtroque mora diuturnior noxia eſt: nam alterum diſſoluit lenitate, alterum intentione obtundit, & frangit. Quinimmo cum mediocria ſunt omnia, ipſa mora poteſt obeſſe.

Statum verò tempus ad rei cuiuſq; aſpectum nullum eſt: nam ex rei eiuſdem intuitu labor citius, ſeriusq; oritur pro hominum varia tum natura, tum conſuetudine: ſunt librarij, pictores, ſculptores, & alij plures, quorum opera non minus oculos quam manum, ac mentem fatigant: horum igitur alij tanta viſus firmitate præditi ſunt, vt cum Sole oriente munus ſuum aggreſſi fuerint, vix manum de tabula eodem occidente remoueant: at contra ſunt etiam, quibus poſt breue ſpacium oculi caligant. Lectionis ratio ſimilis eſt, Cui plures horæ, paucioreſve aſſignandæ ſunt pro oculorum integritate, & robore:

Suntq;

Suntq; oculi in media lectione sæpè auertendi, vt sæpè sic reficiantur, & simul intelligatur, caligatio nec nè oriri inceperit: nam sæpè euenit, vt lectioni diutius intentus, quam par est, si ad alia oculos conuerterit, caligationem subito patiatur: ipsa videlicet obseruatio noxij, atque vtilis, iucundi, & molesti modum tempori constituet. Dictum est igitur de videndi sensu, de visis, de tempore.

De medio (quod reliquum est) scire licet minus oculos laborare, cum neque in tenebris, neque in Sole, cum potius auerso, quam aduerso vel Sole, vel alio splendenti corpore intuentur: in crassiore item cęlo, & caliginoso maiore intentione videndo laboramus: aer itaque mediocriter splendidus sit oportet, ac purus, vt iucundus, & salubris visus existat. Itaque dictum est, Mane igitur Montes, sub serum inquirito fontes: quoniam in longis prospectibus sub meridie maiore periculo laboramus, quam mane, & vespere, cum vim splendoris, & luminis radiorum obliquitas frangit. Vespere autem fontes duplici nomine salubres, primo, quod ambulatio per plana loca post cibum minus fatigat; distinguens verò inter fontes, & montes, indicat in locis planis, & campestribus fontes visendos: altero, quod visus reliqua diei parte iam fatigatus, maiore vi recreandus est: hoc verò fontes efficiunt: etenim aqua, vt mollis est, ita radios demulcet, & blandè recipit, nec dissipat raritate, vt aer nec frangit duritie, vt montes. Conspicilia imbecillem visum adiuuant quidem, sed & infirmiorem quoque efficiunt vsu immodico; quamobrem minus bono consilio quidam perpetuò naribus appensa gestant. Quilibet verò sibi modum statuere debet vsu doctus, & exercitatione, curaq; adhibita. Laboris indicia sunt manifesta: rei cuiusque intuitu

tuitu nimio siccantur oculi, vel dolent, vel caligant: ita igitur exercendus visus, vt quisque discat citra hæc incommoda oculis vti.

De Auditu. *Cap. XIIII.*

NON dissimilis auditus ratio est; qui non minore, quam visus, cura custodiendus est: licet enim ad vitæ dulcedinem, & corporis vsum magis oculi conferant; animi tamen ornamenta corporis commodis præferenda sunt; hic verò disciplinæ sensus iure, & merito dictus est, & quamuis hoc ex accidenti huic conuenire Aristoteles *a* dixerit; doctrina tamen æstimanda tanti est, vt pari diligentia, atque si per se fieret, curandum sit, nè detrimentum aliquod hic sensus patiatur. sunt sua auribus vitia, quorum alia pertinent ad partem alteram medicæ facultatis, quæ morborum curatrix dicitur: aliæ vero huc quidem spectant; sed ea libro priore inter signa repletionis memorauimus: & quia pleno, & distento corpore maiore semper periculo laboramus, quam cum moderatè refectum est, inde euenit, vt in communi vitæ consuetudine ad audiendum aptiores matutini simus, quam vespertini, & omnino ante, quam post cibum, nisi fames adsit: tunc enim à labore abstinendum, grauissimus auctor Hippocrates *b* docuit: sed de communi viuendi more sermo est, in quo mediocriter cęnati, post iustum somni modum, matutino ad omne opus, omnemq; laborem suscipiendum apti exsurgimus.

a lib. de sensu, & sensili c. 1.

b 2. aph. 16.

Sunt quidem grati nobis à cibo sermones quidã, & cantus: sed in rebus serijs, & grauioribus audiendis sermonibus, & alijs, quæ intentionem auditus postulant, tutius ieiuni versamur, quam sumpto alimento:

mento: quod si forte fortuna fames adsit, modica refectio ad hunc quoque laborem aptiores efficiet: est enim vt vulgatum, ita verum illud, Ieiunus. venter non audit verba libenter: quod de ieiuno in fame accipi debet: non enim quiuis ieiunus famelicus est. Auditus sonum, & soni differentias percipere ab eodem Aristotele *a* rectè dicitur; dico autem sonum non, vt à Musicis accipitur; qui à Græcis φθόγγος dictus est, sed qui ab Aristotele dicitur ψοφός; & à latinis strepitus, qui æquè animo carentibus, atque ijs, quæ sunt eodem prædita, inesse potest.

a lib. 2. de anima 77. li. de sensu, & sens. c. 1.

Dicendum est autem primo de communi sono, qui varius, & multiplex est; nam alius est magnus, & is vel acutus, vel obtusus, qui & grauis dicitur, alius est paruus, & is quoque vel acutus, vel grauis, alius quoque durus, alius mollis: idemq; vel ab vno tãtum corpore, vel simul à pluribus cietur. Magnus, quam paruus aurium sensum magis afficit, & commouet; acutus, quam obtusus: magnus, & acutus, magis quam magnus, & obtusus: quæ paucis exemplis explicabuntur: Tonitrua igitur, & bombardæ mouent plurimum ob magnitudinem, & acumen, (nè quis tamen decipiatur, accipiens pro acumine tenuitatem,) quibus addamus ex Isidoro duritatem; fluuij contra; etsi magno labuntur impetu, & murmur cient eximium; minimum lędunt; minorum serò fontium susurrus est gratissimus, qui neque magnitudine officit, neque acumine. Campanarum sonus varius similiter, & pariter acutus molestior est, quam obtusus, grauisq;, magnus, quam paruus, durus, quã mollis: est quoque molestior ex pluribus, quam ex vno, nisi certa ratione adhibita, quamobrem, licet vedisparia sinantia corpora existant; vnum tamen veluti sonum ex multis conficiunt, quæ harmonia vo-

lib. 3. originum tractatus de musica c. 5.

catur. Sed hac de re non nihil posterius dicetur. Qui verò suaptè natura molestus est, diuturnitate fit longè molestissimus: sed & qui iucundus est, assiduitate molestus euadit, & laborem inducit.

Est verò alter sonus animalium proprius, & hic duplex: alter enim vox appellatur, quam edunt sola, quæ pulmonem, & linguam nacta sunt animalia. Quæ his carent, illa sonum tantum emittunt, vt cicadæ, muscæ, apes, & alia, quæ Aristoteles recenset
a cap. 9. libro quarto *a* de historia animalium. De his verò nihil subtilius disputabimus, nè partes, vel physici, vel Musici occupare videamur. Sed nec de sono eorum, quibus vox non est, alia ratio habenda est, quam soni, de quo ante diximus. Constat autem, vocem aliam esse hominis, aliam brutarum animantium; Canum, & Ranarum propter acumen molesta vox est: Asini ruditatem quid memorem? vox eius magnitudine, & incondito quodam acumine molesta simul, & ridicula: cui inter aues similis videtur esse Gallorum, quos Indos vulgò vocamus. Sed horum, & gallinarum, aliarumq; animantium vox vt iniucunda, sic & ad bonam valetudinem incommoda: vt contra Lusciniæ, & similes, suaue concinunt, & nullo labore audiuntur, nisi cuius auditus malè affectus sit: ita natura prouidè coniunxit voluptatem, & salutem, nisi cum modus non seruatur. Sed de brutarum vocibus animantium hæc indicasse satis esto.

Vox humana vel est sermo, vel cantus: sermo, qua sonus est, easdem habet differentias, quas de sono generatim exposui: alia enim acuta vox est, alia grauis, vel obtusa, alia magna, alia parua, alia dura, alia mollis, de quibus ante dictum est satis; est præterea alia cita, alia tarda, & cita, dubio procul magis affi-

cit, vt etiam aspera, quam lenis, & quæ continuato
spiritu editur, quam intermisso: sunt enim hæc quo-
que genera præter dicta. Sermo verò, cum sit pluriũ
coniunctio verborum, alius habet eam cohęrentem,
lenem, & affabrè confectam, alius asperam, hiulcam,
& inconditam: in hoc igitur audiendo molestia, &
labor, quam in illo, maior est: est enim sensus ratio
quædam, vt Aristoteles *a* tradidit: vt verò excellens a lib. 2. de anima t. 123. 143.
res quælibet sensum proprium corrumpit, ita, qui ser
mo auditus rationem dissoluit, laborem affert. Ser-
mo rursus alius solutus, alius numeris adstrictus est,
prosa oratio illa dicitur, hoc verò carmen vocatur;
auribus carmen iucundius, & auditum minus fati-
gat, ergo salubrius: itaque prisci Sapientiæ amato-
res, professoresq; , eiusdem sapientiæ præcepta com-
plecti carminibus, operæ pretium existimarũt. Quod
verò carminis genus aures delectet magis, dicere
non ausim: sed vt poetarum ingenia varia sunt; quan
do alius Epicis, alius Lyricis gaudet; ita par est, au-
ribus quorundam hæroicos versus, aliorum verò
iambicos, aliorum hendecasyllabos, aliorum Sap-
phicos, ac denique aliorum alios iucundos reperiri,
quod si idem genus omneis delectaret, otiosè natura
videretur tantam peperisse varietatem.

Si quid tamen communiter dicendum est, qui ver
sus ad prosam magis accedunt, vt iambi, hendeca-
syllabi, & magna illorum pars, quibus Poetæ Lyrici
vtuntur, in ijs minor voluptas inesse videtur, quam
in heroicis, vocatis, & elegiacis. Sed & solutum ser-
monem, quo auribus hoc requirentibus blandiretur,
& exciperetur iucundius, numerorum quodam ge-
nere adstringere instituere, cuius rei princeps Isocra-
tes fuerit, an Trasymachus, an Gorgias, nihil mo-
ror; sed hanc sententiam M. Tullij testimonio con-

 firmare

firmare alienum non erit, qui in Oratore inquit, aures, vel animus aurium nuncio naturalem quandam in se continet vocum omnium mensionem. itaque & longiora, & breuiora iudicat, & perfecta, ac moderata semper exspectat: mutila sentit quędam, & quasi decurtata, quibus, tanquam debito fraudetur, offenditur. Non est autem dubitandum, vnius, quam plurium sermonem simul audire, minus molestum esse, & laboris minus inducere; diximus de sermone.

Cantum esse vocem à sermone differentem, cuiuis notissimum est. quod verò differãt inter se, quoniam sermo vox est continuata cantus verò vox est habẽs interualla, vt Aristoxenus docuit libro Elementorũ primo, & Victruuius ex Aristoxeno interpretatus est libro quarto de architectura; hoc persequi diligentius nostri instituti non est. Esse vero aliquid in cantu, quod bonæ conseruandæ valetudini conducat, vno saltem argumento nobis persuasum potest esse: nam ad somnum conciliandum non parum valet, vt, infantibus euenire notissimum est, vel Galeno *a* teste, & Auicenna *b* adsertore. Magna autem in cantu varietas est; nam vel vnus canit, vel plures: vnius cantio, si cętera paria sint, minus auditum permouet; absit videlicet durities, & asperitas, & pro sententiæ natura, nunc intentiore spiritu, nunc remissiore vox emittatur, nunc incitatior, nunc leuior feratur; fieri demum non potest, quin aurium sensus multiplici magis quam simplici sono moueatur.

a lib. 1. de san. tu. c. 7. & 8.
b 3. 1. doct. 1. c. 2.

Cumq; canendi modus triplex traditus sit, græcis nominibus retentis, diatonus, chromaticus, enharmonius; qui est antiquissimus, Aristoxeni testimonio, diatonus, salubrior debet censeri quando inharmonio vix, & multo studio sensus, vt idem est auctor Aristoxenus, adsuescit, chromaticus vero, etsi

sua-

ſuauior, laborem tamen inducit, quam diatonus, maiorem, ob modulorum, & interuallorum crebritatẽ: & licet cum voluptate natura conſueuerit vtilitatem adiungere, non tamen quo maior voluptas, eo quoque maior vtilitas exſpectanda: ſalubritas habet adiunctam voluptatem, ſed moderatam; chromatica igitur modulatio minus ſalubris, quia eſt ad delectandum paulo intemperantior.

Quod verò dictum eſt de cantu vnius, de ſingulari quoque inſtrumento ad canendum idoneo ſtatuendum eſt. Inſtrumenta muſica non ſunt à nobis ambitioſè referenda; illud vniuersè notandum eſt, alia ſonum ſimiliter vnum edere, ac ſimplicem; qui tamen variatur ſucceſſione ab acuto ad graue, & à graui ad acutum diſcedentibus, vt eſt in his manifeſtum, quæ inſpirata cantum exhibent, qualis fiſtula, & tibia: alia verò vnum, & plureis ſimul edunt ſonos arbitrio Cantoris, vt cithara. Sonus, qui ſingularis eſt, minus mouet, quam multiplex. Sonus quoque muſici cuiuſq; inſtrumenti durior eſt, quam vox humana: minus tamen durus, qui inſpiratu fit, nam vocis humanæ particeps ferè eſt, eique facilius ſenſus adſueſcit, quoniam minore ſtudio diſcitur, quando ſine præceptore multi fiſtula, & tibia canere diſcunt, vt paſtores, quod ab Athenæo *a* notatum eſt. a lib. 4.
Sed ſæpè miſcentur voces, & organa, qui cantus mollior dubio procul eſt, & iucundior, quam qui ex ſolis fit inſtrumentis, vt eſt quoque mollior, qui fit ex pluribus inſtrumentis, quam qui ex vno, quæ tamẽ ſint inuicem iuſtè temperata: ita enim ex multis conflatur vnus veluti ſonus auribus gratus, qui ſine magno labore delectat plurimum. Sic quoque humanæ voces plures, & temperatę, minus fatigabunt, quam vna, cuius ſit durities aliqua, vel aſperitas; nam ex

multis

multis fit veluti vna mediocris, quæ fatigabit minus, quam verè vna, sed cuius sit aliquod vitium, sed quæ vna est mediocris, illa omnium est auribus aptissima de mulcendis; cum verò simul miscentur instrumenta, & voces magno numero, etsi hoc absque voluptate non eueniat, idem tamen efficit auditui, quod à colorum varietate visui euenire dictum est.

Audimus autem remota difficilius, quam propinqua, sed remotiora, cum magnos edunt sonos, non difficulter, & propinquos sonos, sed demissos nimis, & obscuros difficulter percipimus, vtque obturatis auribus sonos non percipimus, ita in aqua minus (efficit enim veluti obstructionem in auribus) quã in aere, & in hoc crasso, & impuro, quam puro, & tenui audire minus valemus, atque ideo magis laboramus. Diuturnitas quoque sermonum, & soni cuiusq; laborem parit, & efficit, vt subinde in silentio, bombo in auribus quodam relicto, sonos adhuc percipere videamur, quod est manifestum satietatis indicium. Admonuit quoque Aristoteles, *a* ad audiendum esse aptiorem noctem, quam diem: quoniam aer interdiu densus à luce, & radijs efficitur noctu rarior est, aut quoniam vis audiendi in varia interdiu diducitur, & ob id minus percipit singula. dixere quoque, interdiu in populi frequentia perpetuum, & confusum esse in aere sonum qui auditum clam occupat, cessat verò nocte (ideo dictum noctis silentium) & liberum auditum dimittit. quamobrem & qui aurium tintinno laborant, nocte magis hoc patiuntur, & labentis fluuij sonus noctu magis auditur. Quemadmodum autem visui adiumento conspicilia inuenta sunt, ita, quod auribus surdis auxilietur instrumentum, compertum non est: nouimus tamen virum, quemdam auribus admota fistula ab

a 11. prob. 33.

aduerso loquentis ore, surditatis tędium minuere so-
litum. Quod igitur moderato labore cum visum, tū
auditum tueri oporteat, hocq; ad bonam valetudi-
nem prodesse, hæc docent.

De voce. *Cap. XV.*

VOx tertium laboris, & exercitationis genus na-
turalis ab Hippocrate dictum est: de cuius exer-
citationis commodis satis est ea nosse, quæ Plutar-
chus recensuit libro de præceptis salubribus, cum do-
cuit, disputationes quotidianas, quæ voce fiunt, non
solum conducere ad bonam valetudinem, sed etiam
ad corporis robur, quippe vox agitatio quædam spi-
ritus est, quæ calorem in ipsis visceribus auget, san-
guinem subtilem reddit, purgat venas, aperit arte-
rias, nec humorem sinit superfluum crassescere. Vt
verò salubriter vocem exerceamus, debent in primis
probè constituta esse instrumenta, quæ voci famu-
lantur: quot verò ea sint, quænam, & quis naturalis
status eorum, non est hoc loco examinandum. Illud
in memoriam reuocare necessum est; vocis nomine
nos indicare sermonem, cantum lectionem: & ser-
monem quēdam esse familiarem, & quotidianum,
qui nobis in vitæ consuetudine maxime necessarius
est, quendam verò à communi vsu semotum, quem
vocati Oratores præcipuè sibi vendicant: sed & bo-
narum artium interpretes sequuntur. In omni autem
dicto genere communis quædam est differentia: nam
altera vox remissa altera in extremo contentionis
posita, quæ vociferatio, seu clamor; græcè βοὴ dici-
tur, tertia denique mediocris est: quibus omnibus si
veluti appendices, risum, & fletum adiunxerimus,
rem fecerimus non alienam. Verùm cum Hippocra-
tes

tes loco eodem vocis genus vnum dicit λέξιν, idest, sermonem, alterum ἀνάγνωσιν, idest lectionem, & tertium ᾠδὴν, idest, Cantum, intellexit hæc omnia citra violentiam, vt antea notaui; quamobrem mentio clamoris, & vociferationis videretur ab hoc loco aliena, vbi naturaleis tantum labores cum Hippocrate perpendimus: sed nè propter rei cognationem cogamur frustra eadem locis diuersis repetere; & quoniam de omnibus sigillatim violentis laboribus dicturi non sumus; præstat hac parte totum id, quod de voce propositum est, examinare.

Illud verò communiter de voce statuere expedit, quod de auditu diximus: cum scilicet salutare est audire, tunc salutare quoque esse vel canere, vel loqui, vel legere; ergo mane, & ante cibum in his exercemur tutius, quam vesperè, & à cibo præsertim multo, qui onus inferre possit: itaque à veteribus obseruatum est, vocis tenorem post cibum infringi: cuius

a 11. probl. 15. & 13. rei Aristoteles *a* caussam afferebat, humoris copiam ex cibo, quam facile arteria, & pulmo in voce reddenda calefactus trahit: & addebat histriones, saltatores, & omneis, qui vocem exercent, mane, & ieiunos hoc exercitationis genus subire: cui & illud con-

b 11. probl. 11. & 17. sentaneum est, quod ibidem *b* respondit quærenti; Cur ei, qui vigilarit, vox asperior redditur; respondit enim, corpus, & maximè parteis supernas humescere cruditate, humoris autem copiam fauces obsidentem vocem asperam reddere.

c lib. 1. c. 4. Celsus *c* quoque tum legere; tum voce contendere post cęnam ijs, quibus caput infirmum est, incom

lib. 1. tard. pass. c. 1. modare, disertè prodidit: cui non est contraria Cęlij Aureliani sententia docentis vocis exercitationem in capitis dolore salubrem esse; nam plurimum refert, aliquid fieri ante, vel post cibum, ille vocis con-

tentionem

tentionem damnat post cęnam, quod vero ab hoc dicitur, probare tantum, si fiat ante cibum, debemus. Hippocrates *a* quoque semel, à cęna vocis laborem per quam commodum, testatus est, sed in eo repletionis genere, in quo ambulationes quoque à Cęna laudabat, quas alibi matutinas semper probauerat. Verum sanè est contra sæpe contingere, quam communiter seruandum putamus; nam à cibo multi, & prolixi sermones fieri solent, sic & solemus post epulas tum vocibus, tum cithara, & alijs huiusmodi instrumentis aures oblectare, sic Vlisses cęnatus apud Alcinoum suos errores disertissimè exponit; sic Æneas apud Didonem suos. Quid verò tot à sapientibus viris descriptos à cęna sermones cõmemorem longissimos, vt Platonis conuiuium, & Xenophontis? quæ docent, visum esse ad colloquia tempus aptissimum, quod epulas excipit vespertinas. sed non omnia, quæ vel absque detrimẽto fiunt, laudem merentur: fit hoc quidem sæpè, satius tamen esset aliam sequi rationem; sed necessitas nos ad hanc consuetudinem trahit; nam diurnis districti muneribus dumtaxat in cęna, & à cęna otium suppetit, ad familiarium, & amicorum fruendum consuetudine. Natura omnium animantium post cibum, quietem requirit, nec hominis minus, cui à cibo ferè statim somnus obrepit; sed paullatim adsuescimus nocturnis post cęnam vigilijs, quas tamen sæpè noxias, & morborum effectrices experimur. Nec poetæ longissimos illos post epulas sermones de Vlissis erroribus, & huiusmodi rebus introduxerunt, quasi sanitatis magistri; sed vt casuum imitatores admirabilium.

a lib. 3. de diæta.

Cum verò sapientes quidam conuiuia memoratu digna litteris persecuti sunt, inprimis verò Plato, & Xenophon, illo post epulas varios de amore sermones,

nes, more oratorio habitos, exhibente, hoc verò familiaria colloquia, eaque interrupta varijs interrogationibus, & reſponſis, referente, hoc, quod eſt Xenophontis, bonæ valetudini aptius dixerim: quoniã ſermones continuati poſt cibum, cuiuſmodi Oratorum ſunt, ſalutares minimè ſunt. Sed cauenda ſemper eſt vociferatio, vt rectè Plutarchus *a* admonuit, cum enim vox nobis maximè ſit neceſſaria, magno quoque ſtudio cuſtodienda eſt: quamobrem illa optimi Oratoris *b* ſententia retinenda eſt, ad vocem dicendo obtinendam nihil eſſe vtilius, quam crebram mutationem, nihil pernicioſius, quam effuſam ſine intermiſſione contentionem: hanc ſcilicet grauiſſima incommoda ſequuntur: itaque L. Craſſus ab eodem oratore dictus eſt dolore lateris conſumptus, in quem inciderat, propterea quod ſumma contentione in Philippum Conſulem perorauerat: clamoremq; ſæpè raucitas ſequitur, & ἀφωνία, ſequitur nonnunquam in pulmonum venis, vel arterijs fractio aliqua, vndè magno diſcrimine ſanguis effunditur: nonnunquam dolores etiam capitis fiunt ob intemperantiam caloris, qui ab eadem vocis contentione non aliter in nobis, quam in aere ipſo vehementius percuſſo excitatur; fiunt etiam, vt Galenus *c* docuit libris de ſanitate tuenda, quoniam in maximis clamoribus caput excrementis repletur: eſtq; euidens ſanguinis, & ſpiritus aſcenſus ad caput per ceruicem. Intueri in ijs licet, inquit, tum qui tibia inflant, tum qui maximam acutiſſimamq; vocem edunt, collum omne dilatari, faciem intumeſcere, & caput validiſſime impleri.

a lib. de tu. val.

b Cicer. lib. 3. Or.

c lib. 3. c. 2.

Quæ incommoda eò adhuc maiora fieri ſolent, quo pluri ſunt referta, & diſtenta corpora alimento. Sed non repletionem ſolam, verum etiam libidinem

immo-

immoderatam, & defatigationem cauendam esse Plutarchus *a* admonuit: manifesta scilicet ratione; labore namque corpus afflictum quiete recreandum est, non autem labore nouo grauius affligendum. Vt verò clamor, & vociferatio paullò diutius ferri non potest; siue quis caussas oret, siuè populum de loco sublimi adhortetur, siuè aliquid recitet, vel canat etiam; etenim vires non sufficiunt, ac si quis vim sibi velit inferre morbi prestò sunt; ita si moderatè se in his exerceat, non tamen multo amplius hora in eis commorari sine aliqua intermissione tutò potest: quamquam ob naturæ hominum varietatem alius alio vocis robore sic præstet, vt nunquam satis alicui possit tempus exercendæ voci accommodatum definiri, & præscribi. Sanè cum quis nimium in concione laborauit, & anhelatio, & totius corporis calor, & sudor, & lassitudo oriri solet; quæ tamen non subito, & aceruatim, sed sensim cientur, vt facilè quiuis agnoscat silentij tempus instare, & periculum, si longius laborem traxerit.

a de tu. bo. val.

Neque solum periculum imminet ex diuturnitate vociferationis, verum etiam ex eo solo, quod eodem spiritu, vel longiorem verborum periodum aliqui proferant, vel sonum dumtaxat magna contentione diutius edere conantur; quod ad præcones præcipuè spectat, & cantores; hos namque sępè oportet vocem eodē tenore diutius edere, & sustinere; quē indecore intermitterēt: Præconesq; solent longissimo sonū spiritu præsertim postremū in præconijs edere, ad vim pectoris ostentandam, quæ maximè ex ea spiritus continuata efflatione cognoscitur: quem vocabant pedem, vt Galenus indicauit in secundo libro de motu musculorum, & Iulius Pollux in quarto libro. *b* Quod verò sit commentum Neronis imitādum; qui

b prope finem.

vocis roborandæ caussa plumbeam laminam pectori imponebat; est aliqua ratio: nam, vt qui grauioribus, quos gestarunt, calceis depositis, currunt velocius, ita, qui onus illud pectori impositum gestauit, expeditius, eodem deposito, vociferatur: ita enim
a cap. 18. sunt illa Plinij accipienda ex libro trigesimo *a* quarto; Neronem lamina pectori imposita, sub ea cantica exclamantem, alendis vocibus demonstrasse rationem: videtur enim alienum à ratione, interim, dum canitur, pectus plumbo onustum gestare: sed Suetonius in Nerone, rem indicat rationi magis consentaneam, inquiens; Neque eorum quicquam omittere, quæ generis eius artifices, vel conseruandæ vocis caussa, vel augendæ factitarunt. Sed & plumbeã chartam supinus pectore sustinere, & clystere, vomituq; purgari, & abstinere potu, cibisq; officientibus: cum igitur supinus cartham plumbeam pectore sustineret; nec dicatur à Suetonio, tunc cecinisse, videtur significatum eo pondere id pectori euenire, quod ante de pedibus dixi: alioqui non est, quod in plumbo vim inesse doceat aliquam peculiarem voci alendæ accommodatam. Immo vt lumbis adalligatum plumbum Venerem, & seminis effluuia cohibet natura frigidiore, ita voci officere debuisset, quando
b 5. aph. 24. inimicam pectori frigidam naturam Hippocrates *b* docuit: & licet de frigidissima loquatur, qualis in niue inest & glacie, non est tamen non suspecta, quæ minus frigida est. Fuere qui, me admonente, huiusmodi laminam dies aliquot gestarunt, cumq; eandem concionaturi deponerent, se ad dicendum robustiores esse, testabantur, quam maiore fructu noctu præsertim supini dormientes gestarent. Sed aliud est vocis conseruandæ artem, vel augendæ, docere, aliud modum vocis exercendæ salubre indicare,

dicare, quem nos quærebamus: hæc igitur hactenus.

De risu, & fletu. Cap. XVI.

RISVS, & fletus absque voce non fiunt; & fletum in infantibus loco exercitationis, vt ante quoque notatum est, Aristoteles *a* agnouit, & illum secutus Auicenna: *b* sed in pueris ratio aliqua, & modus adhiberi potest: quoniam nutrices mammillis eorum admotis ori, fletum subito plerumq; cohibent, quem rursus, eisdem negatis, excitant, & longiorem efficiunt. in alia verò ætate nullus adhiberi modus potest: nec magnum habet momentum ad bonam valetudinem conseruandam. Modus, inquã, adhiberi non potest, quoniam non est in nobis flere; nisi more histrionum, & præficarum mulierum, nos ipsos ad fletum componamus; sed externa caussa semper requiritur, vel fortuito oblata, vt coniugis, aut filiorum interitus, vel quæsita; potest enim quilibet vel lectione, vel auditione, vel cogitatione in memoriam tristia quædam reuocare; quæ fletum, & lacrymas moueant: itaque cum histrio quidam in Tragædia, ad ciendum misericordiam lacrymari cuperet; nati cineres in proscenij angulo, vase contentos, locauit, quorum aspectu lacrymas vberrimè sibi, & alijs rei ignaris, excussit, qui veras pro fictis lacrymas accepere; possumus igitur fletus caussam quærere. Sed perinde est, à nobis caussam quæri, atque illam sua sponte sese nobis offerre: hoc tantum interest, quod si nos quęramus, possumus aliquam temporis rationem obseruare, alias minimè. est verò eadem obseruanda ratio, quam sæpè narrauimus: nam labor quiuis à ieiunis, citra famem, tutius suscipitur,

a lib. 7. politic.
b 3. 1. doct. 1. c. 2.

præ-

præsertim, si cum fletu eiulatus futurus sit; monuitq; Celius Aurelianus, à cibo fletum stomacho noxium esse: itaque per quam moderatè post epulas fletus admittendus est. Lacrymarum est quidem vsus aliquis ad leuandum caput succo nimio refertum: in hoc tamen exercitationis genere ex sola necessitate versari oportet: quoniam fletus, & lacrymæ, calamitates, & infortunia nostra sequuntur, vel eorum, qui necessitudine aliqua nobis coniuncti sunt, quæ res, & animo, & corpori aduersaria ad bonam valetudinem per se inutilis est.

Contra vero risus lętos euentus sequitur, aut quia nos, aut qui nobis coniuncti sunt, optatum aliquid assequimur, aut insperatò periculum euadimus, aut fit, quia sese aliquid offert ex ijs, quæ ridicula vocantur, aut quia partes corporis, ad risum efficiendum destinatæ, contactu externo, quæ titillatio dicitur, excitantur: quem, verum esse risum, negare, vt Nicolus *a* facit, est negare risum esse risum; nam vt sit verus risus nihil deest. Fortasse aliquis dicet, non adesse totum illud, quod requiritur ad explendum naturæ consilium: voluit enim risu nos gaudia nostra significare, vt mærores fletu; hoc verò non fieri sine meditatione, & appręhensione aliqua rei, quæ risum mouere possit, cuiusmodi appręhensio non est, quando titillatione sola risus mouetur; itaque nullius gaudij signum est: Tamen risus est: quoniam ita fabricata natura nos est, vt non solum in nobis appręhensione aliqua, sed etiam, si desit occasio appręhensionis risum cieri voluit; (qua commodum aliquod est ad vitam, & sanitatem in risu,) vel sola præcordiorum, vel alarum attrectatione, qua infantibus risum nutrices sæpè excitant, alioqui ineptis adhuc ad cogitandum, & concipiendum ridicula; qua non-

a serm. 1. tract. 2. c. 36.

nullis quoque melancholia laborantibus cum cætera risus argumenta vel desint, vel frustra adhibita sint, risus ab amicis prouocari consueuit.

Sed de his non est huius loci subtilius, & accuratius disserere, ergo optabilior est risus, quã fletus; qui vt excitetur, caussam perindè, vt de fletu diximus, adesse oportet, vel extrinsecus oblatam, vel studio à nobis quæsitam, lectione, aut meditatione, & reminiscentia earum rerum, quæ risum nobis mouere consueuerint; quod sanitati cõducit, cum quia lętos euentus sequitur, & iucundas cogitationes, de quibus posterius dicendum erit; tum quia spiritus agitatur, & cor, & viscera reliqua veluti exhalant; tum, demum, quia nonnullis ex risu non secus, quam ex fletu lacrymæ prosiliunt; vitandum tamen est, nè risu, præsertim post epulas, vehementius concutiamur. Sunt quidem nobis naturaliter grati inter cõuiuia, & post eadem ioci, & spectacula, quæ risum cieant; quapropter Xenophon à suo conuiuio non reiecit Philippum Scuram, & Aristotelem *a* nouimus obseruasse, quietem, & iocum ad vitam esse necessarium. Sed gratus quoque cibus est, & necessarius; qui tamen noxius est, si modus non adsit. Moderatus risus igitur vt iucundus, ita salutaris potest esse post cibum, sed & ipsum moderatum. Cachinnus verò nunquam non est periculosus, quando Philistionis, & Philemonis Poetarum exemplis constat, risu nimio aliquos repente interijsse.

a lib. 4. de morib.

Sed quæres de Democrito quid sentiendum, qui ferè perpetuò ridens; quamobrem Ciues illius Abderitæ eundem insanire veriti sunt; vixit tamen annis plus centum. An igitur conducit ad sanitatem, & vitæ longitudinem risus? dixerim autem non tam risum, quam hilaritatem risus originem (de qua posterius

sterius dicendum est) sanitati conducere, & vitæ longitudini: risum verò profusum, & longum obesse, nisi sit quædam singularis natura, quod monstrũ censendum sit: Esse autem homines, qui semper rideant, quod de Democrito fertur, monstrum est, non secus, quam eorum, qui nunquam risisse dicti sunt, vt Crassus *a* illius Crassi auus, quem Parthi interemerunt: & eorum, qui totam vitam plorando traduxerunt, quod de Heraclito *b* proditum est. Habetnè aliquid peculiare risus cum splene, quamobrem dictum est, Splen ridere facit, cogit amare iecur? scriptumq; à Plinio *c* est; sunt qui putent, adimi simul risum homini, intemperantiamq; eius constare lienis magnitudine; at nouimus non paucissimos, quibus lien tanta erat magnitudine, vt ventrem occuparet vniuersum, qui tamen non erant cæteris ad risum propensiores; dixitq; idem Plinius præcordia, hoc est vocatum septum transuersum; Græcè διάφραγμα, risus & hilaritatis sedem esse, ob hocq; in prælijs, & gladiatorum spectaculis mortem cum risu traiecta præcordia attulisse; quod Aristoteles quoque proditum, testatus est libro *d* tertio de partibus animalium; & Hippocrates libro quinto, & septimo epidemion Tychonis cuiusdam historiam narrat, cui ex vulnere pectoris risus obortus Hippocrati persuasit, ferri aliquid in septo transuerso à medico relictum.

a Plinius lib. 7. c. 19.

b Aelianus var. hist. lib. 8.

c lib. 11. c. 37.

d cap. 10.

Noui tamen aliquos negare, hunc esse risum, vt negant esse, quem facit herba Sardonia. Sed conuulsionem esse affirmant; de qua re non contenderim: tantum admoneo, risum quoque verum esse conuulsionem quandam, differentiam verò esse inter caussas eius conuulsionis. Itaque etsi non est verus risus ex vulnere præcordiorum, eo tamen non fit, vt

pars

pars ea, nihil ad risum conferre, dicenda sit. Visi tamen sumus sæpè aduertisse, titillationem in sinistra præcordiorum parte promptius, quam in dextra, risum mouisse, quod fortasse opinionem hanc de liene concitauit: verùm quia mouetur quoque risus ex titillatione dextræ partis, vbi iecur est, nec propterea dicimus, iecur esse risus auctorem; possumus id de liene etiam negare; Ex liene nasci risum eo nonnulli docebant argumento, quod liene duro laborantes minime rident; Sed Alexander *a* in problem. in aliã discessit sententiam, falli nos, qui credamus à liene risum fieri; nam accidit hoc, non autem per se fit; Res ita se, inquit, habet. Quandiù lien sanus est, è iecore fęculentum, & melancholicum trahit succum; itaque sanguis purus, & defęcatus totum corpus, cerebrumq; peruadit; naturam simul, & animam non aliter, quam vinum oblectans, & exhilarans, & in tranquillam, rectamq; constitutionem traducens. Inde autem risus excitatur; hæc ille; at si ita res habet, cur non rideãt semper, qui sani sunt liene? Num Heraclitus lienis laborauit duritie? Sed nec ob id explicatum est, cur sinistri præcordij attractione risus cieatur; An igitur hoc ita fit, quia titillatio promptius attingit septum transuersum in sinistra, quam in dextra, quoniam tenuiora tantum membra inter cutem, & septum interposita sunt; lien namque ad dorsum vergit: in dextra verò subest cuti iecur crassum, amplumq;, quod magnam ventris partem occupat, & potest impedimento esse, quominus pari facilitate, atque in sinistra, titillatio ad septum pertingat?

a sect. 1. probl. 36.

De cura, & ſolicitudine. Cap. XVII.

QVARTVM, & poſtremum genus laboris na-
turalis Hippocrates dixit μερίμνην, animi
ſcilicet motum quendam; de quo genere hoc loco
differendum eſt: nec eſt alienum; cum tam multa de
corporis motione dicta ſint, & dicenda; ſi de animi
quoque laboribus dicatur (dicimus verò motus cor
poris, qui in ipſo corpore apparent, animi verò, qui
in corpore minus conſpicui ſunt) Hippocrates enim
genus vtrumq; coniunxit, vt Auicenna cauſſas mor-
borum enumerans in primo libro, motus ita diſtin-
xit, vt alios dixerit eſſe corporis, alios animaleis vo-
cauerit, ideſt animi; propterea nos quoque iure has
tractationes coniungimus. Galenus vocat animi af-
fectus πάθη libro artis medicæ, quos dicit eſſe iram,
mœrorem, furorem, timorem, inuidentiam, quibus
addit libro de cognoſcendis, & curandis animi affe-
ctibus, cupiditatem, amorem, odiumq; ; & in his exi
ſtimauit, eſſe aliquod ad ſanitatem vel conſeruan-
dam, vel reparandam momentum. Sed cur non & in
alijs animi motibus aliquid huiuſmodi ineſſe cre-
damus in imaginatione, intellectione, recordatione?
an Hippocrates hoc voluit, qui non dixit πάθη, af-
fectus, &, vt alij interpretantur paſſiones, ſeu petrur-
bationes; ſed μερίμνας, ideſt, curas, & ſolicitudines,
quod omnem animi laborem ſignificet, vt fortaſſe
actionem potius, quam paſſionem animi ſignifica-
ret? nam vt à viſu, auditu, & voce (de quibus proxi-
me dictum eſt) ita à curis quodam dixit Hippocra-
tes affectum animi caleſcere, & ſiccari; & ideo hu-
morem quoque carnium conſumi.

Sed quomodo omnes animi affectus, & passiones exsiccent, non est facile ostendere; etenim contrariæ inter se sunt, & contraria efficere videntur. Si timor, & mæror siccant, spes, & gaudium nutriunt, & humectant: siccat inuidentia, quæ bonis alienis dolet aliquis, ac mæret, non siccat maleuolentia, vt ab Aristotele vocatur, qua malis alienis homines gaudent: siccat verò cura omnis, & solicitudo. Ergo vt in reliquis; ita in curis, & solicitudinibus modus salutaris est adhibendus; nam de his præcipuè ex Hippocratis præscripto agendum est: dicemus tamen & de animi perturbationibus, quod ad præsens institutum pertinere videbitur.

Curarum tria sunt summa genera: etenim omnis humana cogitatio in tribus rerum generibus versatur, vt est optime ab Aristotele traditum: namque res omnes totidem generibus comprehenduntur; est enim genus vnum earum rerum, quæ contemplationis tantum sunt, alterum earum, quæ sub actionem veniunt, tertium earum, quæ effectioni subijciuntur: à quibus triplex quoque hominum genus constituitur, vnum eorum, qui contemplationi operā nauant, & in perspiciētia veri, solertiaq; versantur, qui alias sapientes, alias sapientiæ amatores, & græco vocabulo philosophi dicti sunt; alterum eorum, qui rebus gerendis occupantur, quæ ad Reipublicę vtilitatem, & ad hominum societatem tuendam conducunt, siue domi pax quærenda, siue foris victoria de hostibus procuranda, in quibus iustitia, liberalitas, fortitudo, magnanimitas, & aliæ huius generis enitunt virtutes. tertium est illorum, qui tum sibi, tum alijs necessaria ad victum suppeditant instrumenta, qui vocantur artifices. Ex omni autem genere quiuis aliquid contemplatur, & cogitat.

Curarum tria genera.

Primum genus totum in cogitatione positum est; duo reliqua cogitationi docendo, vel discendo quodnam sit cuiusq; officium, vel opificium, & consulendo de rebus agendis singulis, vel efficiendis: nihil enim ad agendum, vel efficiendum suscipitur, de quo prius consilium aliquod capiendum non sit. Dum aliquid, quod sub actionem, vel effectionem cadit, opere prosequimur, in eo motus corporis conspicuus est: at de motu corporis antea disputauimus; &, quod reliquum est, postea explicabitur; in consultationibus verò, & doctrina, & veritatis indagatione, animi labor maximè apparet: & hoc est, de quo præsens disputatio instituta est; hæc cura est, & sollicitudo; quæ ad bonam valetudinem conficere potest, & eidem quoque obesse, vt modus seruatur, vel negligitur: cura, & sollicitudo, omnisq; cogitatio magnam habet vim ad exsiccandum, & emaciandum corpus, vt superius exposuimus, *a* nisi modus adhibeatur. Vt igitur de visu, & auditu diximus, ita propemodum de mente quoque dicendum est, quæ veluti sensus internus quidam est. Debet enim in primis esse animi mens ad cogitandum idonea: ingeniũ debet esse natura perspicax, cui ars postea debitam adhibeat culturam. Signum verò cognoscẽdi bonam mentis indolem; Aristoteles *b* existimauit in carnis mollitie positum: itaque si quis delectus habendus esset hominum, ex ijs, quibus caro mollis est, ij, qui contemplationi, & studijs litterarum dicandi sunt, accipi deberent: hi namque minore periculo meditando, & cogitando laborant.

a cap. 13.

b lib. 2. de anima t. 94.

Cum autem duo illa præcipua officia sint intelligere & meminisse; vis intelligendi, & memorandi in alijs firmior est, in alijs imbecillior, & eo efficitur, vt nonnulli intelligendo magis, quam memorando

labo-

laborent, & contra nonnulli felicius discunt, & intelligunt, quam meminerint, vt sunt aliqui ea temperie præditi, vt pari felicitate vtrumq; exerceant; pueros, & senes immemores Aristoteles dicebat, hos ob decrementum, illos ob incrementum, vtrumq; enim motus est, motus verò memoriam impedit: celeriores item, & tardiores minus esse memores, quoniam hi duriores non admittunt, illi humidiores non retinent, quæ accepere; difficulter quoque similes nanis reminisci, cum habeant supernas parteis iusto maiores, & grauiores: maximus autem illorum labor est, qui vt meminerint, debent sæpiunt res meditari, & secum reputare, ac animo voluere: vt igitur quisque huic aptior est functioni, quam illi, ita minus in hac laborat, quam in illa.

Quod igitur tempus est mentis laboribus accommodatum (quod posterius explicabitur) in eo rem exerceat quisque, gratia cuius propterea laborādum magis sibi est, quod minus idoneum se ad eam obtinendam agnoscat. Quoniam verò mens iuncta corporis suas absque organo corporeo functiones non exercet, & sensu; vt sensus quiuis propinquiora facilius apprehendit, quam remotiora, ita mens promptius, & facilius ea concipit, quæ sensibus propinquiora sunt, quam remota; dico autem propinqua sensibus ea, quæ sensus euidens testimonium nacta sunt; remota verò, quæ obscurius. huiusmodi sunt in primis communes quædam sententiæ, & quæ effata Cicero; Græci ἀξιώματα vocant, de quibus quilibet testimonium accipit à seipso, vt illud, Omne, quod enunciatur, aut verum est, aut falsum, & illud, omnia bonum aliquod appetere videntur, & omnes homines natura scire desiderant, & Principia vel vnum, vel plura sunt, & omne totum est maius sua parte; huius-

huiusmodi cuncta cognitu facillima sunt, quoniam
euidenti sensuum testimonio confirmantur; similiter
& alia quædam facillimo negotio cognoscimus, quę
ab Aristotele libri physicorum prioris proęmio vo-
cantur vniuersalia, & confusa: quo significauit com-
muneis rerum conditiones, siue rationes, quibus res
quæcunq; primo quidem nobis innotescunt; sed vt
confusa, & imperfecta notitia efficiatur, quæ tunc
perspicua, & perfecta est, cum ea deinceps inuenta
sunt, quæ rem quamcumq; ab aliarum communita-
te separant, & disiungunt, quæ singularia ab eodem
vocantur, quia singulorum propria sunt. Sed hæc di-
sputatio alterius loci est. Mens igitur minus laborat
in concipiendis communibus rationibus, & condi-
tionibus, quam minus communibus, & proprijs.

Cum autem variæ sint homini addiscendæ disci-
plinæ, & scientiæ, illę facilius similiter comprehen-
duntur, quę minus à sensibus recedunt; itaque in sin-
gulis artibus simpliciora prius addiscimus, quia sen-
su facilius apprehensa, mente quoque minore labo-
re comprehenduntur: itaque pueri litterarum ele-
menta primum per figuras sensui obuias, & mani-
festas perdiscunt; deinde coniugationes eorumdem
elementorum primas, quæ syllabæ vocantur, tam
alteras, quæ verba, postremo tertias, & quartas, vi-
delicet simplices orationes, & singulas periodos, &
prolixos sermones, & tractatus integros, & eodem
modo scientię omnes habent quædam veluti elemen
ta priore loco ob facilitatem addiscenda, quæ ideo
facilia sunt, quia sensus testimonium obuium ma-
gis, & expositum habent, quam quæ ex elementis
constantur. in artibus vero quia est vsus, est & quæ-
dam de cuiusq; earum constitutione, & natura tra-
ctatio, & contemplatio, quæ *θεωρία* græca voce, cum

usus vocetur πρᾶξις; ipsa praxis facilius apprehenditur; quia tota pene in sensu est; etenim *a* in singularibus omnis actio versatur: singularia autem sub sensum cadunt: theorica supra sensum nos euehit, rerum est enim vniuersarum, quas vna mens capit, ideo difficilior: scientiarum verò aliæ in rebus versantur, quæ sensibus percipiuntur, aliæ in sublimibus, & sensum effugientibus; hę dubio procul, quam illæ captu difficiliores sunt.

a Arist. lib. 6. de morib.

Vt vero quæuis facilior est, aut difficilior ad discendum, ita mens magis, aut minus laborat, & magis, aut minus carnes exsiccat, & tabefacit: & quia coniunctio corporis inferte mentius laborem, & difficultatem ad intelligendum, ideo quo plus aliquis studuerit corpulentiæ, eo ineptior ad mentis officia reddetur: itaque cibus multus, atque potus, litterarum, & bonarum artium studijs aduersatur: propterea non eo solum vtilis continentia per se est, quod priore *b* libro expositum est; sed etiam, quia studia litterarum efficit, vt salubrius exerceantur: nec litterarum solum, sed artium quoque omnium, quæ mentis intentionem aliquam exposcunt, itaque de Protogene proditum est à Plinio, *c* dum Ialysum, tabularum eius laudatissimam, pingeret, madidis lupinis vixisse, quoniam famem simul sustinerent, & sitim, nec sensus nimia dulcedine obtruerent: inde natura veluti duce factum est, vt studiorum tempus omnes delegerint matutinum, & lucubrationes post somnum laudauerint, sin lucubrandum est, inquit Celsus, *d* non post cibum id facere, sed post concoctionem: itaque nec à prandio, nec à cęna salubriter in serijs cogitationibus, nisi multo spacio interposito, versamur, à prandio quidem mediocri (nam post epulas liberaliores omnino studia deferenda sunt)

b cap. 2.

c lib. 35. c. 10.

d lib. 1. c. 2.

quinta,

quinta, vel ſexta hora, à cęna vero poſt iuſtum ſomni modum, de quo alibi: propterea Marſilius Ficinus, *a* in libro de vita ſana, aggredi nos ſtudia voluit Sole Oriente, aut hora citius vna, vel altera, quamquam Ariſtoteles *b* Solis ortus ratione, quam Ficinus, non habuit, ſed dixit, nocte ſurgendum patrifamilias, quoniam, & ad ſanitatem, & ad curam rei familiaris, & ad ſtudia philoſophię cõfert quamplurimum: cum videlicet cibus minus onerat corpus, tunc minus quoque graue corpus eſt animo: hoc verò poſt concoctionem fit: accedit noctis ſilentium, quo intenditur animus magis, & quies curarũ, quas ſomnus aufert ſępiſſimè. Solem verò in ortu, & meridie, & hora nona viribus magis pollere, hæcq; ob id eſſe tempora Muſis, & grauioribus ſtudijs, & inuentionibus aptiora, hoc fortaſſe ſpecioſius, & iucundius, quam verius à Ficino dictum eſt; illud eſt egregiè ab eo notatum, cum ſtudiorum modum debere eſſe, vt crebrò de intentione mentis aliquid remittatur, nec vlterius progrediendum meditatione, quam voluptate: ſcilicet ita laborandum, nè corpus detrimentum patiatur; vt verò in epulis ſuccedens voluptati iniucunditas, ſatietatis index eſt, ac propterea tunc abſtinemus; ita ſtudiorum voluptas conſueta cum ceſſat, quieſcendum admonet.

a cap. 8.

b in Oecorom. c. 6.

De animi perturbationibus.
Cap. XVIII.

HÆc hactenus de animi motu, in quo actio potius enitet, quam paſſio. Iam dicendum eſt quoque de animi paſſionibus, quas Galenus ψυχικὰ πάθη vocabat: etenim in ijs aliquid ineſt etiam,

quod

quod ad bonam valetudinem conseruandam pertinet, & silentio inuoluendum non fuit. Galenus igitur inter præcepta sanitatis conseruandæ admonuit libro artis medicæ, cauendam esse immoderationem omnium animi affectionum, videlicet, iræ, tristitiæ, furoris, timoris, inuidiæ. Hoc autem perindè est, atque debere illum esse, qui studio sanitatis tenetur, omnibus ornatum virtutibus: Siquidem virtus nil aliud sit, quam omnium animi affectionum mediocritas, vt ex ijs notum est, quæ Aristoteles libris de moribus disputauit. Optima sanè, & valdè salutaris Galeni admonitio: nam etsi potest auarus, timidus, superbus, iracundus, & huiusmodi sanus esse, minus tamen securus est, quam is, qui vitijs eisdem careat: nam auaritia quanquam animi morbus est, non corporis, ex ea tamen potest morbus in corpore suscitari: vt si, studio cumulandæ pecuniæ, parcius aliquis, & durius viuat, quam par est, & cibos viles, & mali succi, & negligentius paratos sumat, & potus similiter prauos; quis non vereatur fore, vt hic tandem gra ui morbo capiatur? non ægrotabit ille quidem eo nomine, quod auaritia est animi vitium, sed quia vitium illud hominem adducit ad ea peragenda, quæ morbum efficiunt: sic intemperantia morbum non excitat, sed efficit, vt, qui intemperans est, vel ob nimios cibos, vel ob tumulentiam, vel ob nimiam Venerem, morbo tandem aliquo crucietur: propterea dictum est à Catone apud Ciceronem, libidinosam, & intemperantem iuuentutem corpus effretum tradere senectuti: Ira, ægritudo animi quædam est; sed ira concitus aliquis excandescet, & exclamabit; indè verò vel racescet, vel sanguinem de pulmone reijciet; reliquarumq; similis ratio est. Optima igitur, & salutaris est Galeni admonitio, cauendas omneis

vltra modum affectiones, quoniam qui hoc effecerit, securius bona fruetur valetudine.

Vt verò sit his affectibus modus adhibendus; hoc iam non est à medico postulandum, qui corporis curam gerit, sed ab eo, qui animorum onus curãdorum sustinet. Neque Galeni sententiæ contrarium est, quod Aristoteles docuit libro secundo de moribus, nullum esse in vitijs modum laudandum: nam alia est vitiorum, de quibus Aristoteles, alia affectionum ratio, de quibus Galenus loquutus est. immo in idẽ incidit vtriusq; documentum: etenim virtus, de qua Aristoteles, non est aliud, quam affectuum moderatio, quam probat Galenus: virtutes enim dumtaxat moderantur, non autem tollunt affectus, & perturbationes (quod fieri non potest) neque aliud Galeni verba significant, licet à nonnullis ita accepta sint, ac si Galenus affectus tollendos existimauerit; & ob hanc caussam acuti quidam interpretes illum reprę-henderint: qui tamen visi sunt, parum accuratè verba illius perpendisse, qui inquit; ἀπέχεσθαι τῆς ἀμετρίας χρὴ ἁπάντων τῶν ψυχικῶν παθῶν. abstinere oportet ab immoderantia omnium animi affectionũ: non dixit, ab omnibus affectibus ἀπὸ τῶν ἁπάντων παθῶν, sed ab eo, quod in illis est nimium, ἀπὸ τῆς ἀμετρίας: itaque libro de cognoscendis, & curandis *a* animi morbis, ab ira, inquit, prorsus liberari simul, ac quis velit, non potest; comprimere autem illius perturbationis intemperantiam, atque insolentiam potest, quanquam hic non dicit, ἀμετρίαν; sed ἄσχημον τῶν πάθους; quod est idem, perturbationis turpitudinem: alioqui par est, & eum non ignorasse, affectus non temerè, & frustra esse nobis à natura traditos: itaque nec esse radicitus euellendos.

Quinimo virtutum quodammodo sunt affectus

a cap.4.

ministri, si quis diligentius consideret: etenim iracundia magistratum adducit, vt scelera puniat, quod est iustitiæ: idcircoq; legitur in sacris litteris; irascimini, & nolite peccare. An non odisse vitia, & hominum scelera oportet? & contra, bonos viros, & virtutem amore prosequi? ergo non est odium auellendum ab animis nostris, non amor, quibus affectionibus rerū vniuersitas conseruatur; an non ignominiam timere expedit, & in egregijs facinoribus ad Dei gloriam, & Reipublicæ salutem audentem esse? ergo nec timor, nec audacia euelli ex animis nostris debet; quis euadat fortis sine audacia? propensio hæc animi ad adeundum pericula fortitudinis instrumentum est, & ministra: non sunt igitur euellendæ affectiones; sed moderandæ: hocq; voluit, & scripsit Galenus.

Scire autem oportet, esse affectiones natura in animo, & facultates, & à facultatibus functiones nasci (neque enim accipio id facultatum genus, quo nos ad perturbationes propensi sumus, de quo genere Aristoteles libro secundo de moribus) affectionum verò nonnullas præire functiones, nonnullas comitari, nonnullas sequi; præeuntes affectiones sunt veluti aculei, qui facultates incitant, impelluntq; ad aliquid peragendum: ideoque dixit Aristoteles, *a* actiones tum nasci ab ira, tum à cupiditate. comites functionum sunt duæ, voluptas, & dolor; Sequuntur item duæ, lætitia, & mæror, præcedunt verò, quæ dicta est, ira, & cupidites, & præterea amor odium, spes, timor, audacia, inuidentia, desiderium, æmulatio, misericordia, & quæcunq; sunt præter has. Voluptatem verò cum Aristoteles libro septimo de moribus dixerit, functionem esse muneris; id totum, quod animo voluebat, non expressit, etenim non est sine functione quidem voluptas, vt neque dolor; at si

Ordo eorū quæ natura in animo sunt.

a lib. 3. de morib.

functio ipſa eſſet voluptas, functionis genus idem omnibus voluptati eſſet, ſed ſæpè euenit, id volupta ti eſſe vni, quod alteri dolori eſt: itaque libro decimo idem, repetita de voluptate diſputatione, docuit, eadem alios delectare, alios offendere, his amabilia eſſe, & iucunda, illis odioſa, & moleſta: non eſt igitur functio voluptas: ſed vt ab eodem traditum eſt in decimo eodem, perfectio functionis quædam, & vt finis quidam functionem conſequens, vt ſequitur ętate florentes pulcritudo; ὡς ἐπιγινόμενόν τι τέλος, οἷον τοῖς ἀκμαίοις ἡ ὥρα.

Voluptatis definitio.

Eſt igitur affectus animi voluptas, qui comitatur functiones voluntati, ſeu appetitui congruentes, & dolor contra, affectus animi ſimiliter quidem eſt, ſed qui comitatur functiones ab appetitu, ſeu voluntate alienas; nec eſt affectus ille, qui parte quadam origo functionis eſt, vt ira, vt amor, & huiuſmodi, ſed ipſam functionem, velut vmbra corpus, conſequitur. Ab his deniq; diuerſa ſunt gaudium, & męror; nam pręter functionem, & affectum animi functionis comitem, alius functioni ſuccedit affectus; nam ſi functio eſt adiuncta voluptati gaudium parit, ſi dolori, męrorem inducit; differuntq; à voluptate, & dolore, quia non ſunt hæ ſine functione; gaudium verò, męrorq; à functione quoque remanent, eamq; naturaliter ſequuntur: etſi nonnunquam, cogitando ventura, præuertit animus, peruerſo ordine; ea percipere ante quam aliquid efficiatur, quæ re peracta naturaliter percipiuntur, iuxta prouerbium; Triumphus ante victoriam, itaque & lætamur, & meremus ſæpe ſola futuri ſucceſſus triſtis, aut læti meditatione; vt è contrario, quæ naturaliter præire ſolent, ordine præpoſtero, nonnunquam re tranſacta nos non aliter mouent, quam in præſenti mouere debuiſſent, vt de

non-

nonnullis proditum est, qui flumina, & lacus hieme media gelu stantia, & niue tecta imprudentes transiuere, & re deindè cognita, eoq; concepto timore, qui transeuntibus & periculi conscijs oriri debuisset, subita virium ex solutione exanimati ceciderunt. itaq; & in ipsa actione sæpe non solum voluptate, aut dolore, sed gaudio quoque aut merore afficimur: sed non tam est temporis, quam naturæ ratio habenda: sunt enim multa, quę, si tempus respicias, simul sunt, at, si naturam, hæc illis priora.

Hæc ita natura constituit: quæ non debent ei ignota esse, qui vel animum, vel corpus animi particeps curandum suscipit. Non est autem dubitãdum, quin naturæ consilio effectum sit, vt voluptatem, & gaudium, tanquam rem nobis salutarem studiosè quæramus, doloremq;, ac mętorem caueamus, tanquam insalubres, & nobis aduersos: natura enim bonum appetimus, atque dũ in eo consequendo laboramus, voluptatem percipimus, vbi verò consecuti sumus, gaudio perfundimur, quod risu significare solemus; & contra, cum inuiti quid agimus, quod malum arbitramur (quod natura refugit) dolemus, męremusq;, & re peracta, in męrore persistimus, qui fletu sæpe significatur, & lacrymis. Quis ergo negabit, dum naturæ congruenter viuimus, hoc etiam esse salutare, & contrà insalubre, dum id agere cogimur, quod sit naturæ contrarium, & alienum? dicebat eodem loco Aristoteles, Non temerè nos voluptatem appetere; nam omnes vitam expetimus, quam voluptas perficit. męrorem autem esse naturæ cõtrarium ea docent, quæ de morbis auctores ex męrore nascentibus tradiderunt, inde enim atra biliarij *a* fiunt, qui postea vel epileptici, vel apoplectici, vel furentes, vel cęci fieri solent. tantum aduertere expedit, nè in- (a Hipp. 4. aph. 23. & 7. aph. 42.)

tem-

temperantius voluptatem sequamur, indè enim facilè sanitas euertitur. voluptas igitur, & gaudium salubria, dolor, & mœror insalubres sunt: itaque & affectus ij salubres erunt, quos sequitur voluptas, & insalubres ij, quos excipit dolor.

a lib.7.& 10. de morib.

Verùm non est eius obliuiscendum, quod Aristoteles *a* egregiè notauit, & docuit, voluptates aliquas absolutè bonas esse, aliquas non bonas. voluptates non bonæ sunt, quas pueri, & bestiæ persequuntur; bonæ autem, quas viri sapientes, atque prudentes: hæ ad animum, illæ ad corpus magis pertinent; debet igitur, qui vitam hominis propriam viuere velit, vt omnes debemus, hoc est rationi congruentem, in bonis voluptatibus (Christianè, catholicèq; loquor) quærendis exerceri; scilicet sunt temperantis, inquit idem, propriè quædam voluptates, sed sunt in omnibus honestis munerum functionibus; Sunt in iustitia suæ, sunt in fortitudine, sunt in magnanimitate, & id genus alijs, sunt etiam ex contemplatione rerum, & disciplina. Adsuescat igitur à teneris oportet homo bonas absolutè voluptates prosequi: ita enim fiet, vt ab honestate nunquam recedens voluptate fruatur, & simul hilariter, & salubriter viuat: immo etiam salubrius, quam si genus voluptatum sequatur, quæ ad corpus pertinent, quoniam voluptas efficit, vt magis, ac magis id efficiamus, vnde ipsa voluptas manat, quod optimè docuit Aristoteles in eisdem libris septimo, & decimo de moribus: hoc verò minus affert periculi in ijs, quæ ad animũ, quam quæ ad corpus pertinere dicuntur: quod facilè persuadebitur cogitanti, quam promptè homines ex crapula, & Venere, & simpliciter ex incontinentia in morbos incurrant: & contra, quamdiù, qui temperantes sunt, sine incommodo, in comparandis virtutibus,

tutibus, & disciplinis, versentur.

Quod verò timore quidam perierint, & alij gaudio, negandum non est: huius verò rationem quærere, curiosum fortasse magis est, quam vtile, quandoquidem, rarissima quæq; persequi, artis esse non videtur: illud tamen constare, putauerim, in timore sanguinem, & spiritus intrò confestim, & subitò recurrere, id quod nonnunquam tanta vi fieri potest, vt ob caloris insiti in extimis partibus defectum, & venarum, & arteriarum in eisdem partibus conniuẽtiam ex subita inanitione (cuius indiciũ pallor est) adeo sanguis in corde, & cordi proximis regionibus impingitur, vt foras amplius reuocari non possit; sed quasi concretus, & instar gelu immotus maneat, gelidusq; coit formidine sanguis, inquit Poeta: prohibito verò sanguinis recursu ad extimas parteis necessaria, & repentina mors sequitur. sæpius tamen ex timore membrorum nascitur exsolutio, quam vacuatio alimembrorum... qua sequitur inuoluntaria. Contra in gaudio (non quia sit formidini contrarium gaudium, sed quia dissimile, & in ordine rerum contrario est; timor spei aduersatur, & audaciæ; gaudium verò mœrori contrarium est, sed vt timor, & mœror, sic spes, & lætitia affines sunt: itaque etsi non est lætitiæ contraria formido, contraria tamen formidini efficere potest) contraria igitur in gaudio, quam in timore eueniunt: foras sanguis fertur, & spiritus, nonnunquam verò tanto impetu, vt intro nequeat amplius reuocari: itaque & hi subito moriuntur, quod Chiloni Lacedæmonio, Sophocli, Dionysio tiranno, & alijs quibusdam euenisse, proditum est.

Sed pudore quoque nonnulli mortui dicuntur, vt Diodoras, sapiẽtiæ dialecticæ professor, lusoria quæstione non protinus ad interrogationes Stilbonis dissoluta,

a lib.7. c.53. ſoluta, vt Plinius *a* ſcripſit. Eſt verò pudor peculiare timoris genus, ne de dignitate detrahetur, & laceretur fama, in quo tamen foras ſanguis mouetur: nam erubeſcunt, quos pudet: niſi quis credat, verum in Diodoro ex pudore timorē exortum, de quo ante dictum eſt: eoque non autem pudore interijſſe. Sed quid hæc perſequor, quæ tam rara ſunt, & cum eueniunt, medelam non admittunt? ne quis verò in hæc pericula incidat, debet adſueſcere, nulla vt perturbatione inferior ſit, & nulli obuiam infortunio imparatus prodeat, ſed valeat, vt Anaxagoras filij mortem nuncianti reſpondere, ſibi non ignotum fuiſſe, illum à ſe mortalem genitum: ſic fertur Socrates eodem ſemper vultu proſpera, & aduerſa excepiſſe. Sed hæc præſtantioris cuiuſdam medicinæ ſunt. Timori autem, & mœrori, qui plerumq; accidere ſolet, & medelam recipere poteſt, & ſpac um ad conſultandum exhibet; præter ea auxilia, quę prudentia, & ipſa ſufficit philoſophia; præſidio eſſe ſolent læta amicorum conuiuia, ioci, ſpectacula, vinum ipſum mœrores, dicebat Socrates, *b* vt Mandragoram homines, ſopire, & hilaritatem, ſicut oleum flammam, excitare: itaque meri potio ſæpe tum metum, tum mœrorem diſcutit; quod pluribus Galenus exponit libro, *c* quod animi mores corporis temperaturam ſequantur. nec alienum eſt ab his alterum ab eodem traditum, *d* Æſculapium multas inſtituiſſe cantilenas, mimosq; ridicularum rerum, & melodias quaſdam, quibus animoſa pars languens erigitur, & vehementius commota corpus calefacit, quod in formidine, ac mœrore frigeſcit.

b in conuiuio apud Xenophontem.

c cap.3.

d lib.1. de ſan. tu.c.8.

Sunt præterea Helenium, Oenopia radix, Bugloſſum ab antiquis ob eandem cauſſam laudata. de Helenio Plinius, *e* attribuunt, & hilaritatis effectum eidem

e lib.21.c.21.

dem potę in vino, eumq; quem habuerit Nepenthes „
illud prædicatum ab Homero, quod tristitia omnis „
aboleatur. de Nepenthe autem idem *a* alibi, Home „
rus herbas Ægyptias à regis vxore traditas suæ He- „
lenę plurimas narrat, ac nobile illud Nepẽthes, obli- „
uionem tristitiæ, veniamq; afferens, & ab Helena „
vtique omnibus mortalibus propinandum. cuius rei „ a lib.25.c.2.
quoque mentionem Theophrastus *b* fecit, & Sicu- b lib.9.de plant.
lus *c* Diodorus. Vtrum verò nomen mixti medica- c.15.
menti Nepenthes esset, an herba quædam, vt aliqui c lib.2.
putarunt, qui eamdem Oenopiam vocatam dixe- d lib. quod ani
runt, teste Galeno, *d* an potius epithetum dictum mi mor. corp.
νηπενθὲς, quod non aliud Homero significet, quam, temp. c.3.
absque luctu, vt eodem *e* loco ἄχολον idest, absque e ὠδυσ. Δ.
iracundia, nostra nihil interest. De Oenopia radice
nihil dixerim, quando & Galenus eam in vini copia
neglexit, & quod à rei herbariæ auctoribus neoteri-
cis prætermissa est: Idem de Oenutta statuendum, de
qua Ælianus, *f* & Athenæus *g* ab eisdem pariter f var. hist. lib.2.
omissa; nisi vtraque sit, quam Oenotheram dicit g dipnosoph. li. 10.
Theophrastus, *h* quæ ex vino mansuetiorem, & hi- h lib.9 de plant.
lariorem hominem efficit, πραότερον ποιεῖ καὶ ἱλα- c.21.
ρώτερον, cuius pariter Plinius *i* mentionem fecit, & i lib.26.c.11.
onurin quoque vocari dixit: cui tertium imposuit no
men Dioscorides *k* Onagram, quod etiam cogno- K lib.4.c.118.
uit Galenus, *l* quam recentiores rei herbarię aucto- l lib.8.simpl.
res videntur in Apenninis montibus obseruasse, nul-
lo tamen virium eius facto periculo.

Est autem vulgatum Buglossum (quæ vulgo di-
citur Borrago) cui præcipuum est, quod ex vino ani
mi voluptates auget, & vocatur Euphrosynon, au-
ctores Plinius, *m* & Dioscorides. *n* Sed nè quis hâc, m lib.25.c.8.
vt Oenopiam Galenus; in vini copia contemnat; no n lib.4.c.128.
stri; quibus hoc ingenium est, vt vel leuissimos nutus

antiquorum in amplissimos cōmentarios explicenti ad hilaritatem, nō ex vino tantū, sed ex aqua etiam, ex iure, & cibo sumptam, tum hanc, tum alias herbas, vt mellyssophyllon, plurimum laudāt. Crocum etiam Auicenna inter ea locauit, quæ lætos faciunt. est verò qui scribat, Crocum adeo cordi amicum, vt solo annularis sinistræ manus digiti affrictu in illud confestim penetret: itaque corporis venustatem augere, colorem amabilem conciliare, vsuq; immoderato gaudium immodicum ciere, quod hominem ridentem interimat, vt de Sardonia herba dictum est. Laudatur quoque eadem de caussa ex metallis aurum candens vino extinctum, quod bibendum est; aut deiectis in vinum bracteis, vel iura; aut ex auro escis, & vino sumptis; aurum verò ipsum in liquorē redactum, & potui paratum, iure ab Arnaldo Villanouano damnatum putamus. Laudatur ex gemmis potissimum Hyacinthus, si ore teneatur. Sed plura recenset Auicenna, quę frustra non sunt à nobis hoc loco repetenda: mittam igitur Opium, quod Turcis hilaritatem vini vice conciliat; mittam Mithridaticam antidoton, Theriacen, & reliqua, quorum Sephasia diues est non minus, quam scribentium de viribus medicamentorum volumina. Hactenus igitur de animi perturbationibus, & laboribus, quos naturaleis Hippocrates vocauit.

lib. de medic. cord.

Deambulatio consideratur. *Cap. XIX.*

DE violentis autem laboribus, etsi mihi propositum non est, vt ante quoque indicaui, sigillatim differere, & exercitationum singula genera, & modos

dos, ac vires prosequi; de ea tamen, quę & vulgatior, & communior, & magis familiaris est, dicere institui, vt manifestius fiat nobis, quid de alijs, cum occurrunt, statuendum sit. Est autem communis maxime deambulatio, quæ comparata reliquis violentis laboribus (vt ab Hippocrate vocantur) naturalis videri potest, vt ante dictum est, quoniam facillima omnium est, habet tamen aliquid violenti; inquit Hippocrates, ἔχουσι δὲ τι βίαιον: cuius ea fortasse ratio est, quod non pro corporis natura, ambulando, mouemur; est quidem incessus animali naturalis, sed corporis moles præter naturam in incessu fertur.

Deambulationũ differentiæ, & vires.

Deambulatio alia est matutina, & ventriculo vacuo suscepta, alia post cibum meridianum, alia post cibum vespertinum. Vt quis autem nocte somni tempore ambulet valetudinis gratia, ne cogitandũ quidem est. Si tamen libet, addamus, aliam hybernam esse, aliam æstiuam, & demum aliam vernam, & aliam autunnalem. Rursus alia deambulatio per plana loca, alia per inæqualia suscipitur, alia sub dio, vel in Sole, vel in vmbra, alia sub tecto, vel locis subterraneis, alia longa, alia breuis, alia recta, alia curua. Insuper alia per se est, alia vehementiora exercitia sequi solet: præterea alia velox, alia tarda, alia vehemens, alia remissa, & lenis. Sed omnis deambulatio, qua exercitatio, seu labor est, vim habet exsiccandi: magis autem siccat matutina, & ieiuni, quã pomeridiana, & à cibo: magis item per inæqualia loca, quam per plana, magis sub dio, & in Sole, quã sub tecto, in vmbra, & locis subterraneis; magis itẽ breuis, quam longa (pari scilicet temporis interuallo, & cæteris item paribus) propterea quæsitum est apud Aristotelem, *a* cur breues deambulationes

a 5. probl. 12.

laborosiores; curua item magis siccat, quam recta, velox, quam tarda, vehemens, quam remissa. Matutinas ambulationes exsiccare, idcirco Hippocrates asserebat, quoniam motu corpus calefit, & humor tenuatur, atque expurgatur, partim à spiritu, partim quia emungitur, & exscreatur, partim demum, quia in alimentum ab animi calore consumitur. Ambulationes autem post cibum, maximè post cęnam, de quibus Hippocrates loquitur; ait enim, ὁ ἀπὸ δείπνου περίπατος (nec dubitari debet, quin τὸ δεῖπνον significet cęnam: hoc enim priore libro demonstratum est) post cęnam inquam, ambulationes ab Hippocrate similiter dicuntur vim habere exsiccandi: siccare autem ventriculum, corpus, & aluum: nam ex motu corpus calefieri dicit; quamobrem, quod est in alimento tenuissimum, consumitur, partim ab innato calore, partim verò cum spiritu foras excernitur, partim autem mingitur, & relinquitur quod est in cibis siccissimum: quamobrem vnà cum ventre caro quoque siccatur. Qui modus à superiore eo differt, quo hic humor ad vrinæ vias delabitur, illic verò per os, & nares eijcitur. Præterea narrat, ambulationes à cęna non permittere, ventriculum amarescere: nam commoto, inquit, homine, corpus, cibiq; calefiunt, quamobrem caro humorem attrahit, & amarum ventriculum fieri non sinit: corpus autem impletur, ventriculus verò extenuatur; τὸ μὲν σῶμα πληροῦται, ἡ δὲ κοιλίη λεπτύνεται; quibus verbis, corpus, τὸ σῶμα speciatim significat corporis cōpaginē, & maximè carnē: corpus igitur impletur, idest, caro plenior euadit, & crassior, venter verò gracilior.

Matutinæ verò ambulationes; καὶ οἱ ὄρθριοι περίπατοι, præter exsiccationem, caput leue, agile, ac promptum reddunt, & ventrem soluunt: venter sol-

uitur,

uitur, quoniam calidus cum sit, irruente spiritu su-
pernè frigido, calidum frigido cedit; scilicet mane cę-
lum frigidius solet esse, inspiratus igitur aer frigidus
calorem, qui est in ventre, deorsum pellit, eoque de-
scendente humorem secum subducit, itaque manife-
sta est ratio, quamobrem venter à matutina deam-
bulatione soluitur. Soluta verò aluus, & inanis, ca-
lidaq; trahit, inquit, ad se tum ex reliquo corpore,
tum ex capite humorem; capite vero inani reddi-
to, & visus, & auditus purior efficitur: atque ideo
prompti, & agiles homines fiunt. Opinio igitur fuit
Hippocratis, ex matutina deambulatione caput per
os, & nares expurgari, ventremq; solui: ex vesperti-
na verò (post cęnam tamen: de illa enim, quæ fit à
prandio, nihil est eo loci locutus) ventriculum qui-
dem inaniri, sed non soluto aluo, verum humore ad
renes, & ad vrinæ vias deriuato.

Deambulationi quodnam tempus accommodatius. Cap. XX.

DEAMBVLATIO autem tam vespertina, quam matutina habet sua commoda, vtra verò salubrior sit, in controuersia est. inquit Hippocrates, *a* Vbi fames, laborandum non est; ergo matutina deambulatio minus est salubris, quam post cęnam, iudicanda: tunc enim laborandum, vbi corpus ad ferendum laborem aptius est; fertur autem labor facilius ab eo, qui cibo refectus est, quam à ieiuno; huc enim pergit Hippocratis, quæ dicta est, admonitio. Sed & necessaria est post cęnam ambulatio, vt probè cibi concoquantur, tunc enim quiescentibus innatat cibus ad os ventriculi, vt veteres, *b* Aristotele teste,

Matutina, an vespertina deambulatio salubrior.

a 2. aph. 16.

b lib. 2. post. t. c. 51.

teſte, exiſtimarūt; cuius etiam Ariſtotelis propriam fuiſſe hanc opinionem Plutarchus *a* retulit, & aliā, præter dictam rationem eiuſdem expoſuit, ſcilicet calorem ambulatione poteſt cęnam excitari; ſomno autem, ſiquis illum ſubitò admittat, ſuffocari. Contra autem eſt Hippocratis *b* auctoritas, cuius illa ſunt, labores cibos præcedant. quo ex loco ea Celſus *c* ſumpſiſſe videtur, exercitatio ſemper antecedere cibum debet.

a lib. de tu. bo. val.
b lib. 6. epid. ſect. 4.
c lib. 1. c. 2.

Quibus addit Galenus *d* rationes non contemnendas, & à poſterioribus *e* comprobatas. cum enim exercitatio iuuet alimēti diſtributionem; ἀνάδοσιν, Galenus vocat; Si quis à cibo ſtatim exerceatur; periculum eſt, nè magno viuentis incommodo, inconcoctus cibus, accenſo per exercitationem calore, ad membra feratur, & alibi *f* inquit, non leue incommodum nonnullis accidit, cum repleti cibo ſe exercitant: nonnullis enim & caput impletur vaporibus, & in iecinore, aut ponderis ſenſus, aut diſtentionis, aut vtriuſq; percipitur: cumq; rurſus conducat exercitatio ad expurgandum meatus, & educendum excrementa, præſtat ante cibum id facere, vt purius corpus cibos recipiat; nam impuro *g* cibus noxius eſt. Hiſq; addimus rerum externarum exemplum, namque elixatio impeditur, niſi quæ res elixantur, opportunè moueantur, quo Theophraſtus *h* oſtendebat, res degenerare, ſi naturalis illarum impetus motione aliqua intercipiatur. Quæ licet ab Hippocrate, & Galeno vniuersè de omni exercitatione dicta ſint, locum tamen habent in deambulatione, de qua nunc diſſerimus.

d lib. 2. de ſan. tu. c. 2.
e Auic. lib. 1. F. 3. doct. 2. c. 3.
f lib. 6. de ſan. tu. c. 7.
g 2. aph. 10.
h lib. 2. de cauſſ. plantarum c. 20.

Mihi verò naturæ mores conſideranti, de re hac ita ſtatuendum videbatur. cum videamus animalia poſt cibum quieti, & ſomno ſe paſſim tradere, id videtur

detur quoque naturæ consilium fuisse, vt cibus non solum reficeret animal nutriendo; sed etiam inuitaret ad dormiendum: quod de cibo quocunq; tempore sumpto dici potest, sed de cęna maxime ob adiunctam naturæ consuetudinem, verum est: nam infantes, perinde ac brutæ animantes, quauis diei parte cibum sumunt, & deinde dormiunt: paullatim verò adsuescunt epulis minus frequentibus, & somno quoque rariori, ac demum nocturna quiete contenti degunt, interdiu vigilant, licet multi somno etiam meridiano vel natura, vel consuetudine indigeant; cum itaque naturalis sit post cibum quies, naturæ consilio aduersari videntur ij, qui post cibum exercitationem laudant, præsertim autem à cęna, cum pluri iam cibo venter grauis est: rarum est enim, vt satis concocto cibo meridiano, cęna sumatur: itaque vt naturæ consilio consentanea magis est matutina deambulatio; ita etiam salubrior censenda est: quæ verò post cęnam suscipitur, vel noxia, vel minus salubris dicenda: itaque cum illud rectè Hippocrates monuit, labores ante cibum suscipiendos; tum cruditatem vitandam esse, veteres auctores docuerunt, vt ante diximus; à prandio verò quia iam stomachus grauis est, minus est, quam ante prandium salubris exercitatio; sed & noxia minus, quam post cęnam, cum ob vespertinas epulas, nondum matutinis (vt dixi) planè confectis, grauius corpus effectum est.

Per æstatem verò præstat à cęna penitus quiescere, quam ambulare, vt Hippocrates *a* admonuit, qui è contrario genus hoc ambulationis hyeme probauit: quo pariter docuit, præstare matutinas deambulationes vespertinis; quoniam has recusat æstate, illas omni tempore admittit: scilicet deambulatione corpus calescit, hyeme verò modis omnibus contra frigo-

a lib. 3. de diæta.

frigoris iniuriam pugnandum eſt, vt æſtate è contrario modus labori eſt adhibendus, ne calore nimio corpus diſſoluatur. Præterea Hippocrates tam libro tertio de diæta, quam libro de inſomnijs, ſæpe monet, à cęna non eſſe ſemper ambulandum: & libro de internis affectionibus, breuiorem poſt cęnam debere ambulationem eſſe, quam ante. Omnino igitur ambulatio matutina ſalubrior eſt. Nec mouere nos debet, quod obijciebatur, cibo refectos, quam ieiunos, aptiores eſſe ad laborem: eſt enim ſermo nobis de ijs, qui, vt apud vulgus fit, ſingulis diebus mane, & veſpere comedunt, ac bibunt: hos enim conſtat, mane, etſi ieiunos, habere tamen cibi pridie ſumpti reliquias in ventre; quamobrem non eſuriunt, & illis digerendis exercitatio vtilis eſt. Nec maius habet momentum, quod ab Ariſtotele dictum eſt, ambulationem à cęna prohibere innatationem cibi ad os ventriculi; quoniam, vt vitemus hoc periculum, ſatis eſt, ſi non ſubito dormitum iuerimus; ſed vel ſederimus, vel modico tempore ſteterimus; altera autem ratio, quam Plutarchus retulit, minus nobis aduerſatur; eſto ſcilicet, quod calor exercitatione excitetur, & ſomno, qui ſtatim poſt cęnam admittitur (vt ille dicebat) ſuffocetur: non probamus hanc ſomni rationem, quam ille damnat; etenim à cęna, nulla interpoſita mora dormiendum non eſt: nec negamus, calorem (vt idem ait) exercitatione cieri; ſed aſſerimus, mane ſalubrius calorem ipſum ambulatione excitari, quam poſt cęnam. ambulatiunculam a cęna non damnamus, ſed pręſtare matutinam, nobis perſuaſum eſt, quæ tamen euicta cruditate tutior eſt.

Quod verò aliqui putant, non per aluum, & veſicam tantum deponenda excrementa ante exercitationem,

tionem, sed etiam per os, & nares; hi sanè inutilem propemodum, & noxiam exercitationem hortantur, quandoquidem is est fructus exercitationis, præsertim matutinæ, vt emunctione, & exscreatione corpus siccetur: quod si corpus excremento vacauerit, inutilis, vel noxia exercitatio erit: quoniam vltra, quam par est, siccum, immo & squalens corpus euadet. alui, & vesicæ onus, quod in promptu est, omnino deponi ante laborem debet Galeno *a* auctore: at quibus dura aluus est, ijs ambulatio ipsa matutina prodest, vt ex Hippocrate superius dictum est: itaque non semper ventris solutio ante exercitationem exspectanda est.

a lib. 2. de san. tu. c. 2.

Quo anni tempore magis ambulandum.

De anni verò temporibus vnum notare licet, hyeme, & frigido tempore plus laboris subeundum, minus vero æstate, calidisq; temporibus: nam pares labores, qui hyeme calorem adaugent natiuum, æstate facile eundem extenuant, & dissipant. Vere autem paullatim demendum hyemis laboribus, Autumno paullatim æstiuis adijciendum. Hanc probauit Hippocrates rationem libro priore de diæta; à qua recessisse Aristotelem minime video libro *b* problematũ, dicens, hyemi minus sudorem fieri, & minus prouocandum esse, quam æstate: hoc enim cum Hippocratis sententia non pugnat: nam licet aliquis hyeme se exercuerit plurimum, minus tamẽ sudabit, quam ex paribus æstate susceptis laboribus; itaque cum multo labore sudor exiguus, & cum labore exiguo sudor multus cieri potest. Neque Aristotelem damnandum duxerim, quod, æstate studiosius sudorem prouocandum, dixerit, cum id de veterum auctorum sententia à se dictum profiteatur, & habeat probabilem rationem; tunc enim curandum est magis, vt corpus vacet excrementis, cum ea solent promptius

b 2. sect. probl. 21. 33. & 42.

putreſcere: hoc verò æſtate fit, quoniam calor natiuus ab externo calore tunc magis, quam hyeme, vincitur; itaque morbos ex putredine fieri magis ęſtate, quã hyeme, vel Hippocrate ipſo auctore nouimus: nec propterea efficitur, vt ſit æſtate magis, quam hyeme laborandum, contra quam antea dixerimus; quoniam facilius ætate ſudamus: itaque & remiſſo magis labore opus eſt. Sed ſcire eſt, quibus corpus inane eſt, exercitatione opus non eſſe: quibus plenũ, ij laborare debent, donec ſudor citetur. quod ſi non aſſequantur, minus hyeme, quam æſtate lædi poſſunt; itaque æſtate debẽt ſtudioſius hoc conari, quod tamen ex minus vehemẽti labore quam hyeme, manifeſta de cauſſa obtinebunt. Poſſumus inquam, hyeme ſudare, ſed non facile; poſſumus æſtate locis temperatis, vel gelidis non ſudare; ſi igitur euacuatione ſudoris egeamus, ea curanda eſt magis æſtate, quam hyeme, non quia ſit opus labore vehementiore, ſed quia poſſumus, ſi lubet, abſtinere vel à minimo, quo æſtiuis temporibus ad ſudandum opus eſt. Hippocrates ſcilicet docuit, quod eſt naturę, ac neceſſitatis, hyeme plus laborandum. Ariſtoteles illud, quod eſt voluntatis, indicauit, quoniam poſſumus æſtate ob negligentiam id minus aſſequi; quod natura factu eſt facilius æſtate, quam hyeme.

Quæ diei hora deambulationis magis apta.

Quęritur demum curioſius fortaſſe, quam vtilius, quæ diei hora ad exercendum apta ſit; cumq; aliam æſtate, aliam vere, aliam alijs temporibus eligẽdam aliqui moneant, ſatisfactum huic quæſtioni puto; cum Hippocrates generatim docuit, exercẽdum ante cibum eſſe, niſi fames vetet; cui ergo in meridie cibus ſumendus eſt, is ante meridiem exerceri debet; ſi cui conſuetudo ſit veſpere comedendi; is ante veſperum exerceatur; qui bis die comedunt, bis quoque ſe

ſe poterunt exercere, licet tutius matutino; ſed & à prandio ſine periculo ſeſe exercuerint, ſi cauerint, nè ventre nimis diſtento labores ſubeant; & illud, quod ſemper eſt obſeruandum, nè ſtatim à laboribus, ſed aliqua interpoſita mora cibos aſſumant; quæ tanta eſſe debet, quanta opus eſt ei, qui ſe exercuerit, ad intelligendum, ſubſediſſe omnia, quæ in eius corpore, dum exercebatur, commota erant vehementius. Si calor, ſi ſudor, ſi anhelatio, ſi oris ſiccitas adſit, & quicquid ſit, tamdiù cibus differendus eſt, donec omnia hæc conquieuerint. rationem dicebat Ariſtoteles, quod corpus adhuc purgatur, mouetur, & excrementis redundat: perinde ac ſi mora aliqua neceſſaria ſit, donec penitus corpus expurgetur, & omnino quieſcat: quibus tamen rationibus non intelligitur planè cauſſa moræ interijciendæ; itaque Apponenſis problematum interpres addit, calorem per corpus vniuerſum diffuſum non poſſe ad ciborum concoctionem aggredi. Sed fortaſſe aliquis dixerit, etſi non ſtatim, fore tamen, vt paullo poſt calor ad ventrem reuocetur, & fortaſſe tanta ſolum mora à cibo ſumpto, quantam inter laborem, & cibum interijciendam exiſtimant. An quia labore calor ingenitus ad extima trahitur, ſi ſtatim cibus, potuſq; ingeratur, ventrem, & viſcera, eo calore deſtituta, nimis frigefaciet, & vim frāget caloris partibus eiſdem inſiti (quem cōplantatum calorem ſchola vocare conſueuit) quamobrem minus ad munia propria obeunda in poſterum aptæ reddantur? propterea calidæ potiones à labore tutius, quam frigidæ offeruntur, vt alibi indicauimus? An nimio calor impetu à cibis reuocatur, & ex motus cōtrarietate vis caloris ipſius frangitur, quamobrem cibi corrumpūtur citius, quā concoquuntur? hactenus de tempore.

Deambulationum reliquæ differentiæ examinantur. *Cap. XXI.*

Deambulatio sub dio.

PRAESTAT etiam sub dio, quam locis tectis ambulare, dum ventorum, aut pluuiæ, aut similium vis nulla molestiam pariat; hyeme vero in Sole, vt æstate in vmbra; ἐν σκίᾳ inquit Hippocrates, *a* vti ἐν ἀλέῃ dixerat, cum de hyeme, & autumno verba fecerat, hoc est in tepore. Solem verò non esse hyeme timendum, docet Hispanorum mos, qui salubritatis, & ferè delitiarum caussa hyeme non ambulando solum, & equitando diu morantur in Sole; sed stando etiam insolatione plurimum gaudēt: quamobrem ortum est vulgatum illud; Hispanorum focum Solem esse, quod de Vrbanis pariter, atque de agrestibus dictum puta. Sed innumeræ gentes sunt, quæ non hyeme tantum, sed quauis anni parte insolatum patiuntur: & Celsus *b* disertè meliorem dixit deambulationem in Sole, quam in vmbra: sic tamē, vt Solem meridianum cauendum, monuerit, & nonnullorum capita propter imbecillitatem insolatum non ferre. Verùm in hac re potest plurimum consuetudo; propterea constat, rusticos in Sole quouis tempore, quam Vrbanos, tutius versari. Esse autem, quæ in Sole fit ambulationem efficaciorem ea, quæ in vmbra, satis superq; intelligitur, cum libro secundo de diæta Hippocrates dixerit, Solem, atque ignem siccare (quod exercitationis munus est) vmbram & frigus moderatè humectare, quod est ab exercitatione alienum.

a lib. 3. de diæta.

In Sole ambulatio.

b lib. 1. c. 2.

Salubriorem autem in Sole esse velocem ambulationem, quam segnem, non est ab Hippocrate *c* dictum in eum finem, vt aliqui acceperunt, quod ipsa sem-

c lib. de salubri diæta.

ſemper in Sole mora nocua ſit; ſed fugiendam æſtate
ſpeciatim, docuit; ait enim tunc quietè ambulãdum,
atque ſenſim, niſi per ardorem; διὰ καῦμα, ambulare
opus ſit; hyeme celeriter eſt ambulandum, non vt So
lis noxam vites (de qua re nihil dixit, nam, inquit;
ὁδοιπορέειν τοῦ μὲν χειμῶνος ταχέως χρή· τοῦ δὲ θέρεος
ἡσυχῆ· ἢν μὴ διὰ καύματος ὁδοιπορέει, ac ſi dixiſſet;
hyeme ſemper celeriter ambulandum, æſtate verò
ſenſim, & lentè; niſi per Solis æſtum ſit iter, quaſi &
in Sole, & in vmbra ſit hyeme celeritas vtilis) dixit
igitur hyeme celeriter ambulandum, vt calor poſſit
excitari; nam & in Sole ambulatio tunc non admo-
dum calefacit; niſi velox fuerit, quoniam per id tem-
pus vim non habet Sol magnam ad calefaciendum:
nec dici poteſt tunc ardorem eſſe, τὸ καῦμα, cuius vi-
tandi cauſſa (illud enim dumtaxat vitandum admo
nuit) celeritate opus ſit.

Nec etiam illius rei rationem, vt putarunt, Ari-
ſtoteles *a* reddit: non enim quærit, cur in Sole ſtan- a 5. probl. 34.
tes, quam ambulantes magis lędimur, ſed cur magis
caleſcimus; διὰ τί ἑστηκότες ἐν τῷ ἡλίῳ μᾶλλον θερ-
μαίνονται, ἢ κινούμενοι. Illudq; non eſt omittendum,
in Sole ambulanti, aut quomodocunq; ſe exercenti
(non enim Ariſtoteles ait περιπατῶντες; ſed κινού-
μενοι, cum mouemur, inquit, quod omne genus exer-
citationum amplectitur) duplicem calorem accede-
re, alterum ex Sole, qui ſtantem quoque, & ſedentẽ,
& decumbentem, & quocunq; modo quieſcentem
calefacit, alterum ex ipſo motu: qui ex motu eſt, po-
teſt eſſe maior, ac minor pro motionis natura, atque
modo, erit enim ex curſu, quam ex ambulatione ma
ior, & ex celeri ambulatione, quam ex tarda item ma
ior, & ex vehementi aliquo exercitio poterit non in
Sole tantum, vehementior cieri calor, quam qui ab
ipſo

ipſo ſolo ciebitur Sole; verùm in vmbra quoque, quamquam ex æquis laboribus in Sole, quam in vmbra, maiorem oriri debere, rationi conſentaneum eſt; Ariſtoteles de calore verba facit, quem Sol ipſe concitat, non qui ex ambulatione prouenit, alioqui falſum ſumeret, quia ſępe ex motu magis, quam ex Sole caleſcimus. Verum eſt, ab eo examinari illam rationem, quod motus omnis calefacit; ſed non quia comparauerit calorem ex Sole ei, qui ex motu, verum, vt obiectioni reſponderet, ac ſi quæſitum eſſet, cur ſtantes magis in Sole caleſcimus, quam cum mouemur, cum duplex eſt caloris cauſſa, Sol, & motus; deberet enim ex duplici cauſſa calor naſci vehementior; cui reſpondetur, ex duplici cauſſa fortiorem alterius effectum non naſci, niſi cauſſa vtraq; conueniat, quoniã ſi diſcors altera fuerit debilior alterius effectus producetur, vt in hac quæſtione euenit: Sol calefacit; motus quoque, ſed motus non adiuuat calorem, quem Sol efficit, immo cohibet: nam aeris motio, ac quies plurimum conducit ad calefaciendum, & refrigerandùm: immotus aer calorem Solis ingeminat, ventus autem reddit eundem moderatiorem, quod verò eſt flatus homini quieſcenti in Sole, idem eſt motus hominis in aere ipſo quieſcente. Motus autem hic debet eſſe moderatus, alioqui non eſſet locus quæſtioni; cur in Sole, dum mouemur, minus, quam ſtando caleſcimus, nam vehementior motus poteſt, vt ante dixi, magis, quam Sol ipſe calefacere. Illud fortaſſe dilucidius quæſitum eſſet; cur in Sole cum mouemur, minus quam ſtantes coquimur, ſeu comburimur, vt quæritur ab eodem Ariſtotele 38. probl. 6. διὰ τί μᾶλλον καίονται ὑπὸ τοῦ ἡλίου καθεζόμενοι τῶν γυμναζομένων: eſt enim Solis vis ea, quæ non ſolum calefaciat, quod & motus facit, ſed etiam

aduerat,

adurat, quod à motu, licet vehementi, non efficitur (nisi cum solidorum attritu corporum ignis excitatur, quod hominibus non accidit.)

Quibus verò Sol omnino fugiēdus est, his tamen non ante Solis exortū, neque ab occasu, vel hyems, vel ęstas fuerit, ambulatio sub dio salubris est; quam aliquam nemini salubris propriè dicenda est, sed aliquibus, vel ob corporis robur naturale, vel ob consuetudinem minus periculosa. Veteres eundem Apollinem dixerunt, & Solem, finxereq;, serpentem, è terra natum lutulenta, Phębi iaculis confectum vulgatissima hæc fabula est: fabulis autem naturaleis rationes illi claudebant: serpentem sanè significare dixerim vaporem humidum Sole absente sublatum è terra in aerem, qui veneni ferè instar humana potest corpora inficere; Sole autem oborto disijcitur, & consumitur: quāobrem purus, & salubris aer redditur: hac de caussa insalubris semper censenda est Sole absente ambulatio: propterea scriptum est illud, *a* matutinum, & vespertinum frigus cauendum esse, & id speciatim, quod flumina, & stagna, & niues exhalant: propterea & villas *b* dixerunt ædificandas neque iuxta paludes, neque aduerso flumine, & Homerum scripsisse, è flumine auras antelucanas semper esse insalubreis.

a Hippoc. lib. 3. de diæta. Cellsus li. 1. c. 2.

b Plinius li. 18. c. 6.

Deambulatio quo flante vento salubrior.

Addunt quoque ventorum rationē negligendam non esse: fuitq; Antylius auctor, vt libro tertio Collectaneorum Oribasius docuit, præstare ambulationes flante Zephyro, quam Austro, & Borea, & Apeliote, quoniam ille flatus est omnium moderatissimus: & alibi quoque anteposuit Zephyrum Boreæ, Euroq;, eodem Oribasio auctore libro nono Collectaneorum eorumdem. cui tamen sententiæ contraria Hippocrates tradidisse videtur libro de aere,

aquis,

aquis, & locis, dicens Ciuitates ad occasum positas morbissimo situ esse, ventosq; occidentales esse autumno similes; Sed & Plinius libri secundi capite quadragesimo septimo; Saluberrimum omniū aquilonem asseruit, & recentiores nonnulli aquilonios, & ortiuos flatus occiduis, & meridianis salubriores produnt, & ob id ciuitatum ad ortum, & septentrionem vergentium, situm prædicant salubriorem. Sed volo studiosos admonitos, nullam esse contrarietatem; & non esse negandum, quin Zephyrus, vt omnes dixerunt, sit ventorum saluberrimus: nam qui ad vitam conducit plurimum, cur non & ad salubritatem conducere par est?

Verum hoc interest inter Hippocratem, & alios auctores, quod illi ventos vt caussas; Hippocrates vero loco dicto vt signa accipiebat: ventorum videlicet appellatione Hippocrates situm ciuitatum designabat, quarum tamen salubritatem non ex ventis, sed ex Sole aduenire admonebat: Ciuitas ad ortum posita salubris, non quia Apeliotes spiret, qui flatus salubris non est; sed quia Solem tempestiuè admittit orientem; contra, quæ ad occasum sitæ sunt, insalubres, non quia spiret Zephyrus blandus, & viuificus flatus, & saluberrimus; sed quia à Sole serius illustrantur: itaque has autumno, illas veri simileis Hippocrates dixit. Quod verò legitur, ventos occidentaleis esse autumno simileis, hoc fuit interpretum vitium; quoniam de Ciuitate hoc dictum est ad occasum posita, vt eam, quæ ad ortum, veri similem dixerat. Ab his verò non est alienum quod Zephyrus dicatur saluberrimus, subsolanus verò è contrario; namque in Ciuitate eadem flatus omnigeni spirant, & pro eorum varietate salubritatis quoque, & insalubritatis status mutatur. & licet Ciuitas ad ortum

posita salubris sit, erit tamen seipsa tunc salubrior, cum Zephyrus spirabit, namque à situ salubritatem habet veluti ingenitam, & natiuam, à salubri verò flatu aliquando veluti aduentitiam, & alienam obtinet; & è contrario, quæ situ insalubri est, vt si ad occasum vergat, erit insalubrior, cum subsolano perflabitur, & minus insalubris spirantibus Zephyris euadet. Esse igitur Ciuitates ad ortum, & septentrionem positas salubriores, quia salubriores inde venti spirent, & falsum, & præter Hippocratis consilium dictum est: nam saluberrimus (vt caussa) fauonius, cui succedit Aquilo, quem subsolanus sequitur, cum notus sit omnium deterrimus. Quod verò Plinius Aquilonem saluberrimum, dixerit, hoc non nisi ex accidenti locum habet, quia expurgat aerem, vt Hippocrates eodem libro admonuit. Sed & salubris natura flatus ratione situs fieri potest insalubris, si diutius spirans liberum perflatum non habeat quamobrem Hippocr. duo illa coniunxit, προσωχουσιν, & προσκειν perseuerant & insidunt, contraq; situs cęli ratione salubris ob paludem propinquam, vel ob aliam quamcunq; caussam insalubris redditur. ita pauca sunt, de quibus liceat libere affirmare, aut negare. itaque rectè dicta est ambulatio spirante Zephyro salubrior, quam austro, & reliquis.

Quæ verò per loca fit inæqualia, vt magis exsiccat, ita quoque (vbi exercitatio necessaria sit, quod intelligendum semper est) salubrior est. exsiccat, inquam, magis, quoniam calorem magis excitat, & sudorem, laxatis corporis perspiramentis, magis prouocat, quod vt experimentis compertum est, ita non dubiam habet rationem; nam locis inæqualibus modò ascendimus, modò descendimus, modò per plana incedimus: ascensus verò difficilior est, quam in- Deambulatio per inæqualia.

ceſſus per plana loca; ita etiam contra naturæ impetum grauis corporis moles ſæpe mouetur; dicebatq;
a 5. probl. 10. Ariſtoteles *a* ἔστι τὸ αἴρειν παρὰ φύσιν, βία γὰρ ἐστι πᾶσα ἄρσις: attollere eſt præter naturam, vi enim
b 2. probl. 38. conſtat omnis eleuatio; & alio loco, *b* inceſſum per accliuia etſi hebetiorem, mouere magis ſudorem, quam per decliuia: nam ferri ſurſum præter grauium rerum naturam eſt; τοῖς βάρεσιν ἐς τὸ ἄνω φέρεσθαι
c 5. probl. 10. & 23. παρὰ φύσιν. idem *c* tamen aſſeruit, magis defatigari nos æqualibus locis, qnam inæqualibus, cui videtur contrarium, quod modò diximus, & illud quo-
d 5. probl. 12. & 33. que, quod ab eodem *d* dicitur, breues deambulationes defatigationem mouere, quoniam ſunt inæquales, & cogunt ſæpe nos ad contrarium mutari: ita igitur per inæqualia loca, & inæqualis eſt ambulatio, & contraria, & licet non ſit inæqualitas eadem, atque contrarietas, quæ breuibus eſt adiuncta deambulationibus, eſt inæqualitas, & contrarietas: aſcenſus enim, & deſcenſus contrarij & per inæqualia loca neceſſariò motus eſt inæqualis: & maior eſt inæqualitas hæc, quam ſit in breuibus deambulationibus, vbi contrarietas potius eſt, quam inæqualitas, niſi locus ſit inæqualis, eſtq; laborioſa magis contrarietas in aſcenſu, & deſcenſu, quam in proceſſu, atque reditu per plana loca: illud enim videtur verũ,
e 5. probl. 19. quod alibi Ariſtoteles *e* tradidit, aſcendentes tibijs deſcendentes femoribus laborare; neutrum verò eſt in plana deambulatione, niſi dicas, totum corpus ex longo itinere laborare, at in aſcenſu, & deſcenſu laborem breui percipi.

Sed vt hæc queſtio diluatur, animaduertere oportet, non eſſe idem defatigare, & ſalubrem eſſe, vel inſalubrem: neque rurſus idem eſſe defatigari magis, & exerceri magis: nam contra, illa ſalubrior videri

debet

debet exercitatio, quę minus fatigat: propterea apud Platonem Phędri initio dicit ille, se ambulare libentius in vijs, quam in curriculis (qui locus erat in palęstra δρόμος à Græcis vocatur (quoniam minus fatigatur; ac rursus sæpe euenit, vt qui minus exercetur, maiore lassitudine corripiatur: præterea non est prætereundum Aristotelem non simpliciter dixisse, magis defatigari ambulanteis per æqualia, quam per inæqualia: videtur quidem hoc dicere problemate decimo, & vigesimotertio quintæ sectionis, sed hoc accipiendum est, illa adhibita distinctione, cuius mentionem facit problemate primo eiusdem sectionis, cum ait, ambulationes prolixas & per inæqualia, magis, breues autem minus laboriosas. ad hæc notandum est, primo problemate dicto, non comparari longas ambulationes breuibus (intelligatur autem longitudo, & breuitas spacij, non temporis) vt factum est problemate duodecimo, & tertiodecimo; sed longas per æqualia longis item sed per inæqualia: & breues rursus per æqualia breuibus per inæqualia. Si comparatur longa breui, laboriosior omnino breuis, vt dicitur problemate decimo, & trigesimotertio, & Phædro, quoniam semper est in ea quædam inæqualitas, videlicet frequens conuersio ad contrarium, vt Aristoteles ait; si comparatur longa per loca æqualia longæ per inæqualia, illa prior est laboriosior; breuis è contrario, minus est laboriosa, quæ per æqualia (semper tamen est, quam prolixa, laboriosior) quam quæ per inæqualia: quoniam in breui per inæqualia duplex est inæqualitas, altera, quam habet ex frequenti vertigine, altera, quam habet a loci inæqualitate. Hæc verò non efficiunt, quin deambulatio per loca inæqualia sit salubrior; nam etsi longa per inæqualia minus fatigat; magis

tamen calefacere valet, & siccare vehementius: itaque quod ait Celsus, *a* ambulationem melius mouere corpus, quę cum varietate quadam, ascendendo videlicet, & descendendo, id efficiat; nisi sit imbecillum; hoc accipiēdum est de breui ambulatione, quæ per æqualia infirmo commodior erit, quia minus fatigat: nam, contra, longa per plana loca laboriosior est, quam per inæqualia, & magis fatigat, itaque robustiora corpora exspectat; per inæqualia verò est vtilior, quam per plana, quia magis mouet, & calefacit magis. Est autem par ratio curuæ, velocis, & vehementis, quæ rectæ, tardæ, & leni præferenda est.

a lib.1.c.2.

Deambulatio per se, & post alios labores.

Quæ verò per se est, non est illi comparanda, quę maiores sequitur labores, & vehementiores exercitationes: est enim alius finis, & alia necessitas. Quæ per se est, & salubris, & necessaria est: altera in vsum venit, quod post violētas exercitationes subita quies periculo non vacat, ambulandum igitur est, vt veluti per gradus à labore ad quietem reuertamur: quod tamen necessarium non est, nisi cum à labore sub dio morari nos oportet: nam subita refrigeratio morbos solet acutos excitare; tunc igitur sensim expedit à labore ad quietem redire; & idcirco deambulatio vtilis est: Alias si commodè post laborem possimus in tepidum cubiculum nos recipere; & ibi quiescere, deambulatio necessaria non est: propterea Hippocrates *b* labori ex quocunq; motu remedium in quiete, non autem in ambulatione, positum, docuit, qui verò locis publicis, & apertis exercebantur, vt Lacedæmonij in agro iuxta Eurotam, & Romani in campo Martio propè Tiberim, illo commodo carebant, propterea deambulatio post exercitationes in vsum venit, quæ ἀποθεραπία dicta est, quasi resarcitrix, quod illa incommodum aliquod ex vehementi labore

b 2.aph.48.

bore

bore profectum amoueret: de qua nihil à nobis dicendum est, quoniam instituti nostri non est de vehementibus laboribus, & exercitationibus agere ad habitum athleticum cõparandum idoneis, quibus hoc deambulationis genus, quasi remediũ lassitudinis, succedebat. Dictum est igitur, quas nobis afferat deambulatio vtilitates, quod illius genus sit salubrius, & alijs præferendum, dictum est, quo tempore, & loco ambulatio vtilior sit.

De ambulationis mensura.
Cap. XXII.

RELIQVVM iam est, vt modus eiusdem, seu mensura explicetur (his tamen omissis, quæ communiora de exercitationum mẽsura supradiximus) neque enim infinita debet, vel potest esse ambulatio, sed neque studiorum est aut passuum numero definienda; quamuis aliquando apud Hippocratem *a* notatus sit studiorum numerus à denario ad centenarium; sed erat illi sermo non de tuenda valetudine, sed de nonnullorum curatione morborum, in quibus cautio quædam maior est adhibenda; idcirco numerus præscribitur; quod ad hunc locum non spectat. Huc illud pertinet, de quo mentio ante facta est, moderatam debere exercitationem esse, moderatas ambulationes: modum autem numero non esse definiendum, at, sicut ab Hippocrate *b* dictum est, ipso sensu: vt scilicet tantum ambulemus, quantum satis est, citra periculum, citraq; corporis detrimentum. cuius rei indicia video communi quadam consensione ab auctoribus notata, & litteris tradita, coloris *c* bonitatem, membrorum plenitatem, & agilitatem

a lib. de internis affectionib.

b lib. 1. de diæta.

c Galen. lib. 2. de sa. tu. c. 12.

Auicenna lib. 1. fin. 3. doct. 2. c. 3.

litatem quamobrem promptè, æqualiter, & numerosè mouentur: hæc signa esse existimarunt exercitationis, quæ adhuc intra modum consistat: sunt Galeni verba (quæ sæpe græca ideo exhibemus, vt sit cuiq; promptum animaduertere, num fideliter auctorum sententias grecorum referamus) γυμναζέσθω μέχρις ἂν εἰς ὄγκον αἴρηται τὸ σῶμα, καὶ εὐανθὲς ὑπάρχε, καὶ αἱ κινήσεις ἕτοιμοι τε, καὶ ὁμαλαὶ, καὶ ἔυρυθμοι γίγνονται. quod si deterior color oriatur, & membra ingrauescant, & lassitudinem sentiant. atque flauescere incipiant, tunc, exercitationem esse nimiam, intelligemus.

Anhelatio & sudor quid indicent.

Anhelatio, & sudor minus certa indicia sunt: quoniam per accliuem locum deambulatio, vel breuis vtrumq; excitare citissime potest; etsi nondum corpori satisfactum est: itaque non est mirari; si Celsus *a* non omnino exercitationis finem dixit sudorem esse; sed adiecit aduerbium, plerumq; ; nam multis de caussis sudor vel tardior vel celerior, quam corpus requirat potest esse: quapropter nec tuto semper exspectabitur sudor; nec in sudore statim quiescere semper oportet. Nec Galenus mutationem anhelitus dixit esse terminum exercitationis, vt intelligamus, tum ab ea desistendum, cum iam quis anhelare incipit; hoc enim tam breui tempore sæpe contingit in vehementi motu, vt nullus esse valeat fructus exercitationis; sed cum definiret exercitationem, velletq; eam ab ijs motibus, quibus exercitationis appellatio iure non conuenit, distinguere; dixit, anhelitus mutationem esse terminum vehementiæ motus, vt ex hoc termino, tãquam indice, cognosceremus, qui motus vehemens foret, & iustè exercitatio vocari deberet: & termini nomen eo loci ὅρος, non pro fine; sed pro indice exercitationis accepit: vt enim terminis

a lib. 1. c. 2.

nis agri ab agris diuiduntur, ita anhelitus mutatione motus, qui non est propriè (de Galeni sententia) exercitatio, ab exercitatione distinguitur. Itaque loco dicto Galenus ab exercitatione desistendum monuit, non sudore accedente: sed si corporis moles contractior facta sit, si coloris gratia euanescat; si motuũ alacritas, æquabilitas, vel concinnitas remittatur; hæc enim docent iam vltra modum exercitationem productam esse. Cum autem laboris modus, seu mensura pro naturæ hominum varietate variari debeat, constat, imbecillioribus tam iuuenibus, quam senibus, minus laborandum: & quoniam labor exsiccat, qui sicci natura sunt, his similiter multus labor cauendus est, qui verò *a* assueti laboribus sunt; etsi fuerint imbecilles, vel senes, solitos labores fortibus, atque iuuenibus, non ita laborare consuetis, facilius ferunt. scilicet, vsus est altera natura (vt iam tritum est sermone prouerbium) quæ verò secũdum naturam eueniũt, ea toleratu sunt non facilia solum; sed etiam iucunda. Non est autem solum non exercitatis molestus labor, sed etiam, vt ab Hippocrate *b* scriptum est, exercitatis labor insolitus, & solitus labor, qui consuetum modum exsuperet: nam prioribus exercitatio, alteris genus exercitationis, postremis exercitationis modus nouus est.

a Hipp. 2. aph. 49.

b lib. 3. de diæta.

De lassitudine. *Cap. XXIII.*

VOCAMVS autem ex labore, seu exercitatione molestiam, lassitudinem, quam Græci κόπον dicunt: de qua, quid à veteribus dictum sit, Galenus copiosè, & disertè libris de sanitate tuenda explicauit. Faciliora quædam cognitu hoc à nobis loco tractabuntur. Duplicem igitur lassitudinem agnosco, qua-

quarum altera non est aliud, quam sensus eiusmodi in carne, cuiusmodi fit à nobis aduersus ossa carnem ipsam comprimentibus, qualis quoque relinquitur à rei solidæ percussu, & contusio vocatur: quam facilè crediderim à veteribus vlcerosam nuncupatam, eandemq; dictam tensiuam, & inflammationis æmulã, vt eumdem sensum diuersi diuersimodè describebãt: cum enim eò conuenirent, lassitudinem, κόπον, esse illam, quam inducit exercitatio molestiã, quidnam esset, interrogatus aliquis respondebat, contusionem sibi videri, alius verò quamdam inflammationem, alius deniq; vlcus quoddam, vel tentionem, cum tamen idem esset in omnibus sensus. Hoc facilè, inquã, crediderim, quoniam, qui has lassitudinum varietates sentiat, numquam occurrit.

a lib. 2. de diæta.

Hippocrates *a* duas quidem naturas lassitudinum ostendisse videtur, vbi de illis disputauit, quarum altera fit, cum liquatus corporis humor labore totus non excernitur, eius parte aliqua intus alicubi prę ter naturam retenta, quæ partem illam dolore afficiat: altera, cum ex superflua purgatione; quam faciunt labores consueti quidem, sed immoderati; caro inanita dolet; qui sensus idem videri potest, nam vtrobiq; constrictio carnium fit quædam, hic humore carnem infercië te, illic siccitate eamdem in se ipsam adducente: quo pacto conuulsio, & singultus ab eodem *b* fieri dicuntur tam à repletione, quam ab inanitione, cum vnus videatur effectus, etsi à contrarijs profectus initijs. Siquis tamen Hippocrati etiam velit lassitudinem alteram esse veluti ex inflammatione, vel tensiuam, quoniam humor, qui in aliquam partem decumbit, vel inflammat, vel extendit; alteram verò vlcerosam, quia ex vacuatione oriatur in carne instar vlceris affectus quidam; per me licet.

b 6. aph. 39.

animaduertere tamē est, Galeno *a* etiam vlcerosam a lib. de san. tu.
lassitudinem ab humore fieri, non ab inanitione: &
ab eodem lassitudinem à nimia vacuatione exortā,
nullam explicatam esse. Siquis demum omnino ve-
lit Galeno, & Hippocrati conuenire, ipse viderit.

Est igitur vnum lassitudinis genus mihi notū ex-
perimentis, carne veluti compressa, vel flagello per-
cussa, alias in omnibus membris, si corpus vniuer-
sum, alias in aliquo tantum, si illud dumtaxat præ-
ter morem laborauerit. alterum est cum sine eiusmo
di sensu in carnibus, corpus sibi redditur graue, nec
potest amplius seipsum, quasi viribus exhaustis, su-
stentare, quam vocamus propriè fatigationem, qua
cogimur ab exercitatione cessare, de qua locutum
Hippocratem *b* arbitror, cum dixit, in omni corpo- b 2. aph. 48.
ris motu, vbi laborare cęperit, quiescere statim lassi-
tudinem aufert; non potest enim sermo esse de priore
lassitudinis genere; illud enim quiete non statim au-
fertur, sed alio motionis genere, alijsq; præsidijs, vt
posterius dicetur. in altero verò lassitudinis genere
constat ex ambulatione, cursu, saltatione, & quocun
que motu ortam fatigationē quiete sedari: potestq;
in hanc lassitudinem quiuis ex motu quouis tam con
sueto, quam insueto incurrere, cum prior lassitudo nō
adueniat, nisi in exercitatione, vt dictum est, nouum
aliquid, & insolitum fiat, vel enim exercitationis ge-
nus omne, vel aliquid nonnullis insuetum est, vel
exercitationis modus, aut mensura insolita est.

Quæ sponte oritur lassitudo, & morborum nuncia
est, vt Hippocrates *c* monuit, ad hunc locū non per- c 2. aph. 5.
tinet. Est igitur lassitudo ex laboribus, & exercita-
tionibus duplex, vni, vt dixi, auctore Hippocrate, re-
medium est quies, altera verò potissimum frictioni-
bus amouetur: cum enim tripartita ferè sit, vt dictum

est, omni generi frictio conducit, quod perspicuum est ex Hippocratis libro secundo de diæta. Sed & fotu, & lauacro, & exercitatione, & certa cibi, & potus ratione curatur, distinctione adhibita, vt qui non solent exerceri, si forte se exercuerint, & lassitudinem contraxerint, curentur fotibus, lauacris calidis, ambulatione violenta, cibi parcitate, & extenuatione, frictione verò diuturna, oleo adhibito, adhibitisq; illitionibus sudorificis, & mollientibus; etenim emollitioni studendum est: qui verò exercitationibus adsueti exercitationes insolitas experti sunt, lassitudinem auferent, resumptis consuetis exercitationibus, & lauacri calentis vsu, vt priores, & frictione simili, sed fotibus omissis, qui demum superauit modum exercitationis consuetum, lauacro nec valde multo, nec nimis calido, cumq; à lauacro vinum potauerit molle, cęnet edulia omnigena, & vinũ bibat aquosum, molleq;, ac multum, deinde diutius fricetur, quoad scilicet venæ expletæ emineant, postea vomat, ac deinde, vbi modicum steterit, dormiat molliter, demum ad consuetum cibi, & potus, ac laboris modum sensim redeat. his lassitudinem ab exercitationis nouitate profectam Hippoctates curandam docuit.

Nostra verò tollendæ lassitudinis ratio, eaq; communis, præcipuè posita est in quiete, in iterato eiusdem generis labore, vnde orta est lassitudo, in frictione, excrementorum subductione, venæ sectione, ciborum detractione calidis potionibus, longiore somno. Si videlicet sola defatigatio sit, vel labor absque sensu vel inflammationis, vel tensionis, vel vlceris, quies sufficere solet. Si verò sensus aliquis è dictis adfuerit, & vires integræ manserint; quamobrem videatur tutò posse idem laboris, & exercitationis genus

nus assumi; postridie simili se modo exercere, lassitudinem tollit, vel auctore, & adprobatore Galeno libro tertio de sanitate tuenda: quo loco, dum vellet docere, lassitudinem tolli lassitudine, docuit tantum, lassitudinem tolli repetito labore, à quo exorta est lassitudo, & caussam esse eandem, atque remedium lassitudinis, non autem lassitudinem lassitudinis medelam esse: prior scilicet labor liquefacit, & mouet corporis succos, & ad loca extima prouocat; sed non exhaurit, hi ergo tristem sensum efficiunt loco importuno positi, labor autem repetitus eosdem iam magis obuios promptè educit, & liberum corpus relinquit. hoc idem frictiones efficere valent; nam & dissipant conglobatos humores, & cutis meatus aperiunt, vt vel facilè humores egrediantur, vel in varias corporis parteis dirigantur. Si præterea aluus sicca fuerit, vel ciborum ingesta copia, expedit illam medicamento idoneo subducere; huic verò ciborum detractione occurrere. Ob eandem verò rationem veteres vomitibus vtebantur, vt Aristoteles *a* testatus est. a 5. probl. 7.

Quod si vehemens exercitatio magnam lassitudinem induxerit, quæ suspicionem grauioris mali facessat, viribus validis, atque integris, venæ quoque sectio imperanda. Dico autem vires validas inspecta hominis natura, integras verò vi inspecta exercitationis: nam iuuenis alioqui sanus vires habet valenteis comparatione pueri, vel senis, sed ex vehementia laboris eæ frangi possunt: fractas verò indicabit, præter lassitudinem, defatigatio. hic igitur quiete prius, & cibis recreandus est: deinde vena aperiente da: nisi lassitudo interim soluta sit, & ablata grauioris incommodi suspicio. Est autem par facultas in ciborum detractione, quoniam calor natiuus super-

fluitates promptius absumet. Calidæ verò potiones pariter concretos humores dissoluunt, attenuant, & faciles reddunt ad excretiones tam per manifesta emissaria, quam per occultos cutis meatus: quamobrem Celsus *a* monuit, ex labore sudanti frigidam potionem pernitiosissimam esse, & extra sudorem etiam inutilem: itaq; ille dixit, & calidam fesso comparat vxor aquam: licet enim de lotione aliqui dictum opinentur; ea tamen opinio suspecta est, quoniam pauperis domus, & vxor (de paupere enim Poeta loquebatur) huic ministerio inepta est. Calida potione nonnulli hodie quoque vtuntur, qui post laborem consueuerũt ius calens sorbere: Plutarchus verò libro de tuẽda bona valetudine, inquit; Si quando non cum sitimus, sed alioqui post fatigationem, calidam biberimus aquam, aut post vehementem commotionem, æstumue, protinus in intimis laxamentum, ac lenimentum sentire solemus. est ergo calens potio lassitudinis cum præsentis, tum imminentis medela. Est pręterea lassis remedium longior somnus, quem Celsus *b* quoque probauit; quia in somno calor natiuus robustior fit, atque ideo valentius concoquit, & superfluitates consumit, inuitatq; nos ad somnum labor ipse: quamobrem dicebat vetus ille, esurienti panem cibarium videri siligineum, sitienti aquam mulsum, exercitato suaue somnum.

a lib. 1. c. 3.

b lib. 2. c. 3.

De balnei viribus, & vsu. Cap. XXIIII.

SED non ante finis huic volumini imponendus est, quam de Balnei ratione nonnihil, quod rei propositæ inseruiat, exposuerimus: quæ tractatio eo est

huic

huic loco congrua, quoniam fuit semper tanta cum exercitatione lauacri coniunctio, vt ipsa ædificia, quę magnificentius extruebantur à veteribus, haberent simul inclusas balneas, & loca ad exercendum varia, vt apud Victruuium legitur: & Lacedæmonij iuxta Eurotam fluuium, vt Romana iuuentus propè Tiberim exercebatur: vt, qui se exercebant, paratum haberent, quo sordes abluerent; quæ lauacri origo necessaria videri debet: nam sudore, & puluere, ac nonnunquam cęno sordes inter laborandum exortæ, detergendæ fuere: quod superius ab hospite narratum meminimus. Qui tamen frigida eluebantur, sanitatis rationem non habuisse, facilè credas; nisi putes, corpora ea ratione robustiora fieri, vt ferrum candens frigida extinctum duratur: quamobrem legitur apud Plinium, *a* perfundere caput aqua calida ante Balnearum vaporationem, & postea frigida, saluberrimum intelligi: & proditum est, Sueuos *b* lauari solitos olim fluminibus, & Hispanos *c* aqua calrda lauari post secundum bellum Punicum à Romanis didicisse; cum antca sola frigida lauarentur: quod ab adsuetis sine incommodo fieri potuit: alioqui perniciosissimum est, ab exercitatione calens corpus frigida immergere illustri Alexandri Macedonis exemplo, & Friderici ænobarbi, quorum ille fertur Cydno fluuio Ciliciae gelidissimo ad lauandum immersus in neruorum distentionem, tremorem, ac torporem incurrisse; & hic dum fluuio similiter gelido in Armenia ęstuans ablueretur, cxtinctus dicitur.

a lib. 28. c. 4.

b Cæsar. Cōme. de bello Gall. li. 4.

c Iustinus lib. 44.

Memini tamen controuersię illius, quam inter iustum sermonem, & iniustum exhibet Aristophanes Nebulis, quādo Iustus calidam lauationem damnabat, vt pessimam, & quæ timidos homines redderet: contra verò Iniustus obijciebat, Herculem virum

opti-

optimum, & fortiſſimum extitiſſe, Herculis verò lauacra nuncupata nulla frigida exſtare: quinimmo Iuſtus ſermo balnearum vſum damnare penitus videbatur, quaſi viros probos in balneis verſari non deceret: quod indicatum quoque ab Athenæo *a* notauimus ex Hermippo dicente, bonum virum inebriari, & calida lauari non debere, quapropter olim balneas intra Ciuitates minimè admiſſas, teſtatus eſt. Verùm, quæ ad mores pertinent, huius loci non ſunt. Illud conſtat, lauationem initio à neceſſitate, vt ante indicaui, originem duxiſſe, vitio autem homines abuſos eo, quod ſuâptè natura, ſi modus adhibeatur, ſalutare eſt, nec in viris quoque probis damnari poteſt, quando eius rei gratia lauantur, cuius gratia lauandum natura brutas quoque animanteis edocuit. lauandum ſcilicet eſt ob neceſſitatem, & ſalutem, non autem ob voluptatem, & luxuriam. hoc viri boni condemnant, illud medicinæ auctores iure merito examinandum eſſe ſtatuerunt. nec lauacro calido, vt ille dicebat, homo timidus efficitur, niſi cũ quis eo immodicè vtitur. de lauacri igitur modò ſtatuendum eſt.

a lib. 1. dipnoſoph.

Et in primis ex hac breui diſputatione, tanquam ex velitatione quadam, intelligimus, operæ pretium eſſe, vt cominus, & iuſto quaſi prælio certando, expendamus; vtra lauatio præſtet, calida, an frigida: ita enim vtriuſq; vires explicabuntur. deinde definiendum, qui lauandi ſint, & qui in vtraq; lotione modus ſeruandus, quotidie nè, an rarius lauandum, quo anni tẽpore magis, qua diei parte item magis, quanta mora in balneis ſalubris ſit, vniuerſum nè corpus, an aliqua tantum membra lauanda ſint. Sed præter hæc non immeritò diligentior aliquis a nobis quæret de loco, de apparatu, de inſtrumentis, & miniſtris ad

lauan-

lauandum idoneis, cum Hippocrates, *a* hæc omnia aptè conuenire oportere, admonuerit, nè incommodum aliquod ex ipsa lotione proficiscatur. Et hoc primum expediendum est. a lib. de victu acut. sect. 3.

De loco balnei, Ministris, atque instrumentis. Cap. XXV.

LOCA igitur quædam sunt à natura, quædam hominum industria, & labore constructa. De naturalibus nihil dicendum est. Vbicunq; aqua est, ibi lauacrum est. Mari quoque loti dicuntur ab Homero *b* Diomedes, & Vlysses. quæ arte constructa sunt b Iliad. K. ad lauandum ædificia quædam publica olim fuere cum apud Græcos, tum apud Romanos; quorum celebris memoria est; quædam priuata; hæc verò aut ad solum familiæ vsum, aut ad quæstum etiam faciendum, vt operæ quotidianæ popularibus locarentur; βαλανεῖα Græci appellarunt, quæ eiusmodi fuisse Athenis, vetustissimis temporibus, & multorum vsui paterent; testis est Aristophanis comędia Nebulæ, vbi sermo iustus conqueritur, quod palęstræ vacuæ, balnea verò plena essent. Vtrum verò ædificia quædam essent aere publico magnificè ibidem constructa, cuiusmodi Romæ fuisse constat, quas Thermas græca voce appellarunt; an secus, hoc quęrere curiositatis est. Pausanias, qui curiosè totius Græciæ loca sibi sumpsit describenda, & Atticæ in primis, nullum huius rei monumentũ reliquit. Gymnasiorum meminit, quæ condidere Athenis Lycurgus, Ptolomęus, & Adrianus; sed esset ne locus in eisdem aliquis ad lauandum dicatus, ab eo prætermissum est. Victruuius Græcorum describens palęstras (quæ

(quæ nondum eius tempestate in Italia construi consueuerant) etsi ante de balneis seorsim dixerat, memorat tamen frigidam, calidamq; lauationem, quo intelligere est, Græcorum palęstras adiuncta balnea habuisse. balnea verò extra palęstram Italico more tunc priuata tantum fuisse.

Scilicet erant aliqua in publicis ædificijs balnea, aliqua erant priuatorum quidem, sed vsui publico lucri caussa exposita. Sic Romę nunc quoque exstant publicorum fragmenta ædificiorum, quæ iam inde ab Agrippa Augusti Genero cępere ad balneorum vsum ædificari: quæ deinde & exercitationibus Græco more accommodata Nero primus, vt initio huius voluminis notauimus, extrui iussit: quem imitati deinde sunt, Titus, Adrianus, Caracalla, Alexander Mammeę, Antoninus, Constantinus, Diocletianus: erant etiam priuatorum balnea, popularium tamen vsui exposita; itaque Martialis, *a* lauabimur vna, scis quam sint Stephani balnea iuncta mihi: sed hæc aberant à palęstra. Hippiæ cuiusdam priuati hominis balneum Lucianus descripsit, cui palęstram adiunctam fuisse perspicuè significauit: Sed hoc tamquam rarum accipiendum est. Priuatorum pro vsu familias dumtaxat, balnea Hippocrates significauit libri acutorum segmento tertio, cum dixit, in paucis domibus reperiri idonea instrumenta, & ministros ad lauandum: & ideo rarum esse lauacri vsum: loquitur autem de ægrotis, quos ad publica lauacra deferri, perniciosissimum fuisset: itaque debuere in proprijs domibus lauari; sed hoc pauci efficere poterant: quoniam priuatorum domus lauandi apta instrumenta, & famulos pauca habebant.

a lib. 11.

In priuatis verò balneis non erant illa membra, quæ in publicis græco more exstitere: tepidarium, &

cali-

calidarium dumtaxat Victruuius memorauit. erat quoque hypocaustum, & super hypocausto tria vasa aquam continētia, superius frigidam capiebat, quæ in medium deflueret, vbi calescere incipiebat, & ideo tepidarium vas vocabatur, vnde in calidarium demum cadebat. frigida lauatio, calida lauatio (diuersæ res à calidario dicto, & à vasis item dictis) rursus frigidarium (quod à frigida lauatione aberat) fuere balneorum, quæ in palęstris exstruebantur, vti quoque propnigęum. Sed Concamerata sudatio, & laconicum, non solum gymnasiorum balneis, sed priuatis quoque adiungebantur. Nec idem fuit laconicum, & calidarium, quando seorsim Victruuius in balneorum descriptione de laconico, & calidario locutus est. In palęstræ descriptione idem tepidarij mentionem prætermisit, an quia græcorum palęstrę non haberent, vt aliqui crediderunt, mihi incertum est: Lucianus Hippiæ balneum describens tepidarij mentionem fecit. quod igitur necessarium magis, & salubrius est, calidarium est vocatum, & tepidarium: est enim salubrius à frigido in calidum, & è contrario à calido in frigidum ingredi per locum tepidum, quam statim à frigido in calidum, & à calido in frigidum meare: nam subitas mutationes natura non facilè patitur, vt Galenus auctor est. (lib. de art. med. c. 85.) Calidarium verò necessarium, quoniam nudis lauandis locus calidus necessarius est.

Cur autem Victruuius voluerit calidaria, & tepidaria ab occidente hyberno, vel à meridie lumen habēre, in promptu ratio est, dicente eodem, maximè lauandi tēpus exstitisse à meridie, vel ad vesperum: itaque splendidiora loca sunt Sole ad ea pertingente: conducit hoc tamen ad locum calefaciendum, qui calore indiget: quapropter Hippiæ balneum descri-

bens Lucianus, memorauit cellam caloris indigam
ad auſtri, euri, Zephyriq; , frigoris verò egenam ad
aquilonis flatus oppoſitam. In calidario autem hy-
pocauſtum fuit neceſſario, & vaſa antedicta: item la-
brum erat, & alueus, vt Victruuius indicauit (vt
omittamus curioſius quærere vaſorum genera, quæ
Iulius Pollux recenſuit libro decimo) labra vaſa am
pla fuere, è marmore aliquo figura multiplici, ſed
pleraq; oui figuram exhibebãt. Alueus cauitas erat
in medio balnei pauimento, quæ inſtar amphithea-
tri rotunda, gradus habebat, quibus deſcendebatur
ad imam partem, qui quoque gradus ſeſſioni inſer-
uiebant, & hoc præſertim præſtabant, vt poſſet qui-
uis aqua alueo contenta mergi magis, aut minus:
nam in ſupremo ſedens ſolos pedes, in propinquo
verò tibias quoque, vt in inferioribus & femora, &
medium, & totum ventrem, & pectus vel medium,
vel totum ad fauces vſque mergere valebat. Labra
Lucianus vocauit πυέλους cum dixit in Hippiæ bal
nei calidario exſtitiſſe τρεῖς πυέλους, quas κολυμ-
βήθρας nuncupauit in frigidarij mentione. Gręcam
vocem peluis latinorum videtur referre; ſed non me
fugit Varronem lib. quarto de lingua latina ſcripſiſ-
ſe, a lauandis pedibus dictũ peluim, quaſi pedeluim.

Sed noui doctiſſimum virum negaſſe, aquam vl-
lam in calidario exſtitiſſe: quod fortaſſe de publicis,
& magnificentius exſtructis balneis verum fuit: ſed
in priuatis balneis calida lauatio, & calidarium non
diſtinguebantur: quinimmo balnei nomine locus ca
lidus humido humore ad ſudorem eliciendum idô-
neus veniebat: quod illa Celſi a docent; ſudor elici- a lib. 2. c. 17.
tur, vel ſicco calore, vel balneo: ſiccus calor erat are-
næ calidæ, laconicum, & clibani, & quarumdam na-
turalium ſudationes: ſed balneum quid erat, niſi ip-

ſum

sum calidarium, cuius calor humidus ob aquã, quæ
ibi continebatur, sudorem prouocabat? ideo Lucia-
nus in calidario tres agnouit pelueis τρεῖς πυέλους,
inquit, quo vocabulo eodem sensu Hippocrates *a* a lib acut. seg. 3.
quoque vsus est. quæ vasa ἀσαμίνθους Homerum *b* b Odyss. Θ.
dixisse; Didymus interpretatus est. erant autem alia
quam tria superius dicta, frigidarium, tepidarium,
calidarium: namque in pelui lauabantur, siue labro
lauabantur hausta aqua ex calidario. & licet Lucia-
nus treis pelueis memoret, tamen plures, & paucio-
res esse poterant loci amplitudine, & lauandorum
hominum frequentia. Cicero vnius mentionem fe-
cit scribens ad Terentiam liabrum si in balneo non
est fac vt sit. Scapha vas simile ad lauandum, quo vt
pelui veteres, cum balneæ nondum essent vtebãtur,
vt apud Suidam legitur in vocabulo βαλανειομφά-
λους. Sed cum esset idem vsus, curiositatis est quæ-
rere, quo differrent figura ne, an materie, an vtraq;.
Genus hoc vasis Solium dixisse Celsus videtur, in
quo aqua pleno desidere homines consueuerunt. La
bra marmorea plurima Romæ exstant, è thermis
eruta publicis, quas magna in parte diruit sæua Got
thorum barbaries: maxima verò sunt duo ante ædeis
Farnesiorum amplissimas omnium oculis exposita,
quæ ora habent parte externa aliquantulum emi-
nentia, & modicè deorsum inclinata, vt in rotundi-
tatem tumentia labri inferioris humani speciem ex-
hibeant, quare & labra vocata. Aluei nomen à Liuio
pro scapha vsurpatum grammatici obseruarunt. Sed
qui alueus in calidario, is in frigidario piscina no-
men sumpsit, & baptisterium, vt nonnullis placuit:
quanquam aliqui credunt, piscinas in frigida laua-
tione locatas fuisse, non in frigidario, de qua re cer-
tandum non est. piscinarum frigidam aquam exsti-

tiſſe conſtat ex dictis à Lampridio de Alexandro Seuero, quod Caldarijs numquam, vel raró, piſcinis ſemper vteretur, & frigidam quoque Claudiam ieiunus biberet. quibus intelligimus, & frigidæ potu, & frigido lauacro delectatum: atque ideo credẽdum, aquam in piſcinis frigidam exſtitiſſe.

Noſtra ætate, vt multis ante ſeculis, vſus balnearum vulgaris in Italia remanſit. Locus eſt ad veſtes deponendas tepidus, cui adiunctum eſt calidarium, in quo hypocauſtum, & vaſa tum calidam, tum frigidam continentia, ex quibus miſtis tepida, quibus opus eſt, confeſtim paratur. ibi ſolum lignẽũ, ſi quis eo vti velit ad inſeſſum, & merſionem, alioqui ſine ſolio, & ſine labris in ſubſellio lauantur. nuſquam alueí, niſi in pauciſſimis principum quorumdam virorum ædibus, cuiuſmodi Romæ in edibus templo Sancti Apollinaris, & S. Mariæ in regione tranſtyberina adiunctis alias videmus: ſed erant balnei parua veluti exemplaria cum alueolo exſtructa. nudus nudas miniſter manibus tergit, fricatq;, & aquã æreo perfundit vaſe vel calidam, vel tepidam, vel ſi opus eſt, frigidam pedum plantas pumice expolit: ſtrigilum vſus exoleuit. poſtremo ſicco linteo corpus inuoluit lotum. inde in tepidarium regreſſus; Veſtes ibi reſumuntur, & inde quiſque dimittitur. Audio apud Germanos alueorũ vſum vulgarem eſſe, & alicubi tam fęminas, quam mares mergi, & lauari, ſed veſtibus lineis talaribus (quas Lampridius in Alexandro balneareis veſtes vocauit) pudicitiam defendi.

Olim Romanis mulieribus fuere ædificia ad lauandum propria, virorum tamen lauacris coniuncta, poſtea, viris miſtas lauiſſe, conſtat. Sed, hoc perſequi diligentius, noſtri inſtituti non eſt. Illud non prætereundum, bonæ valetudinis cauſſa viros à fe-

minarum

minarum lauacris arcendos Hesiodi *a* præcepto, an ad libidinis illecebram vitandam, non satis constare. Proclus Hesiodi interpres vtrumq; amplectitur, inquiens, præter dedecus, à mulierum corporibus effluuia quædam excrementitia prodire, virorum corporibus inquinamentum, quod vitari non potest, siue quis in eodem aere versetur, siue eadem aqua abluatur. Clemens Alexandrinus, libro tertio pędagogi, rem ad mores spectare arbitratus est. Hesiodus tantum dixit, pęnam illos manere grauem, qui muliebri lauacro vsi fuerint: quam admonitionem ἀλληγορικῶς Izezes interpretatus ad mores pertinere ostendit, & lauacrum muliebre pro omni mundo muliebri accepit: à quo vir quiuis abstinere debeat, vt dedecus, & infamiam vitet nunquam intermoriturum: quod verò infici virorum corpora à muliebri effluuio valeant, digna scitu res est. de Hesiodi sententia non est disputandum, qui nihil de re hac manifestè scriptum reliquit. vulgaris fama est, à menstruatis mulieribus prodire inquinamentum, quo speculorum fulgor hebescat, eboris nitor perstringatur, & aer ipse diro odore capiatur: ne cætera memorentur, quę tactu muliebre profluuium monstra producere, proditum est. At è contrario menstruum sanguinem suaptè natura vitiosum, & corruptum esse, demõstratum non est: quid autem coegit naturam, vt venenatam materiam fætui alendo præpararet? cur deteriore alimento fætum in vtero alendum, quam iam editum, instituit? vt edito fætui lac paratum est aptissimum, & vitio carens alimentum, sic in vtero sanguine puro, & incorrupto (quoad fieri potest) fætus nutrire debuisset. Sic enim ex ouo nascentibus optimum ex ouis, & suauissimum alimentum primum parari, constat. & cibis laudatum sumen,

a lib. 2. opera & dies.

men,& vulua,suilla,asgumēto est,naturam gratum
fœtibus alimentum studiosè parare; illud negādum
non est, menstruum vitiari nonnūquam, & alienam
concipere qualitatem non secus ac reliquum sangui-
nem, qui in viris quoque sæpe vitia concipit, vnde,
plures morbos nasci, compertum est: itaque feminis
quibusdā aliquando liquidior sanguis profluit, qui-
busdam fuligineis imaginem exhibet: sed sæpe pu-
rus, & incorruptus prodit, ergo si non in omni mu-
liere vitio præditus est sanguis menstruus, non ab
omni inquinamentum prodibit, quod ab eo sangui-
ne oriatur. itaque in lauacro non est feminarum con-
suetudo hac de caussa fugienda, sed ne libidinis in-
centiuo viri capiantur: quæ res bonis moribus, &
probæ reipublicæ institu i oni contraria est. Verùm
de loco, ministris, & balnearum instrumentis hæc
memorasse satis esto.

Vtrum calida salubrior, an frigida. Cap. XXVI.

VTRVM verò lauatio præferenda sit, frigida, an
calida, non erit difficilè statuere, si vtriusq; com
moda, & incommoda innotuerint. quæ non aliundè
petenda sunt, quam ex aureo aphorismorum libro,
quem magnus Hippocrates confecit. ex quo gene-
ratim accipere est, calida balnea salubriora esse, quā
frigida: quoniam plura refert cōmoda ex calidarum
vsu aquarum, quam frigidarum, & contra ex frigi-
darum vsu plura incommoda, quam calidarum;
quamuis autem aquam non nominauerit, de ea ta-
men sermonem esse, ea docent, quæ ab eodem copio-
sius libro de humidorum vsu tradita sunt. Frigida a
igitur

a lib. 5. aph. 18.

igitur ossibus,dentibus,neruis,cerebro,spinæ medul- a 20.
lę inimica est:item *a* mordet vlcera,cutem obdurat,
dolor nè suppuret efficit,nigredinem inducit,rigores
febrileis excitat,neruorum distentionem, & eorum- b 22.
dem rigorem efficit:item *b* obest herpetibus exeden- c 23.
tibus,sedi, pudęndo, vtero, vesicæ, lędit *c* etiam vl- d 24.
cerata erysipelata;quod *d* si frigus excellat,vt in ni
ue,& glacie,hoc etiam pectori noxium est,tusses mo
uet, sanguinis effluuia prouocat, & distillationes: e 22.
Sed & *e* mortem sæpe frigida infert. Hæc ibi frigi-
dæ incommoda traduntur. Calidæ verò hæc, car- f 16.
nium *f* effeminatio,neruorum incontinentia,torpor
mentis,profluuia sanguinis, animi defectiones, quæ g lib.3.c.9.
mors quoque sequi solet:Et hæc *g* Clemens quoque
Alexandrinus in suo retulit pędagogo. Ea tamen
sunt multo pauciora,quam de frigida quæ dicuntur:
commoda verò longè plura. h lib.5.aph 22.

Vim *h* habet calidum suppurandi, cutem mol-
liendi,extenuādi,dolorem sedandi, rigores febrium,
neruorum distentiones,& rigores mitigandi,căpitis
grauitatem soluendi:item confert plurimum fractu-
ris, maximè nudis, præsertim verò vlcera in capite i lib.5.aph.18. & 22.
habentium,ad hæc reliquis incommodis, quæ *i* fri-
gidum efficit,calidum remedio est: vt quot affert fri-
gidum maleficia, tot & plura afferat calidum bene-
ficia. Frigidi verò commoda pauca,& ea ferè ex ac- k 22.
cidenti; scilicet,reuocatio *k* caloris,quæ à multa fri-
gida infusa suscitatur;distētionem aufert neruorum
sine vlcere,in iuuene boni habitus, & media æstate,
sed non sanat frigida suapte natura distentionem,sed l 25.
calor à frigida reuocatus. prodest *l* rursus frigidum
inspersum circum parteis,vnde sanguis fluxurus est,
prodest etiam inflammationibus, & erysipelati non
vlcerato. Confert quoque aduersus tumores articu-

lorum,

lorum, & dolores sine vlcere: iuuat insuper podagricos, & conuulsos; sed ferè ex accidenti, quia torporem indncit, à quo dolor solui consueuit. Cum verò hæc frigidæ commoda numerata sint, non est de eo dictum, quod calidæ incommoda sanet, aut calidum, auferre ex frigido maleficia, dictum est. Immo dixit
a 5. aph. 19. speciatim Hippocrates. Quæcunque *a* refrigerata sunt, excalefacere oportet: non dicit, quæcunq; calefacta frigefacere; scilicet calidum naturæ suopte ingenio amicum est, frigidum inimicum. immo admonuit, calidi incommoda simpliciter nulla; sed tātum,
b 16. si sæpius *b* aliquis vtatur. quod de frigido non admonuit: quoniam rarus quoque illius vsus noxius, vel saltem periculosus est, vt constat exemplis ante memoratis Alexandri, & Friderici, qui fluuio semel immersi frigido, grauissimam confestim noxam subiuerunt, alter enim extinctus, alter neruorum distentione, artuum tremore, & totius corporis stupore correptus dicitur.

Si quis autem velit è scientiæ de natura spacijs venari commoda caloris, efficiet fortasse rem memoria dignam, sed nimis recedet ab opere instituto, vnum ex eodem Hippocrate memorabo, Cæteris parcam, ad vitandum disputationis tædium prolixioris; is rerum omnium, quæ in nobis sunt, auctorem, & opificem id, quod calidum vocatur, libro de carnibus disertissimè, ac copiosissimè exposuit: cui schola præsertim medica vniuersa consentit. Scripsit autem de balnei vsu speciatim Hippocrates libri de victu acutorum segmento tertio, vbi certum est, sermonem esse de calido, non de frigido lauacro: frigidi autem commoda nusquam (paucissimis exceptis, de quibus paulo post dicturi sumus) edocuit: itaque statuendum est, lauacrum calidum frigido conducibi-
a.

lius esse, & humanæ naturæ magis amicum. Sed mittenda sunt, quæ in morborum vel ortu, vel curatione calidam posse, ex Hippocrate retulimus, quoniā ad hunc locum non pertinent, vbi solum ea tractanda sunt, quæ ad sanitatis custodiam conducunt. de qua re Hippocrates locutus est libro secundo de diæta in hanc sententiam; aqua potabilis suapte.

Natura, & vniuersè, ac generatim, seu comparata cæteris elementis humectandi, & frigefaciendi vim habet, homini autem cōparata valet tum hæc, tum his contraria efficere: nam aut ea calida vtimur, aut frigida: si calida, aut ieiuni, aut à sumpto cibo. ieiunum, inquit, calida balnea attenuat, & frigefaciunt, ἰσχναίνει, καὶ ψύχει: sed quia videbatur absonum; calidum frigefaciendi vires habere, & humidum exsiccandi (attenuatio enim fit humoris defectu, & hæc est siccitas) subiungit rationem, & modum, quo id fieri possit: etenim ex secundario efficitur: nam calidum suapte natura calefacit, & humidū humectat, sed calefactionem, aliquando sequitur humoris exspiratio, deficiente humore corpus arescit; quod est manifestum, & refrigeratur, quoniam in eo humore calor insitus residet. hanc secutus Aristoteles a sententiam docebat, ab alieno calore humorē insitum cum proprio calore exspirare; nam proprium rerum calorem vult habere vim, qua humorem trahat: itaque calore deficiente, humorem quoque deficere necesse est; quæ ipsa est Hippocratis sententia dicentis, calida balnea humorem caloris opera auferre φέρει γὰρ ἀπὸ τοῦ σώματος τὸ ὑγρὸν τῇ θερμασίῃ. Sed certum est, calida, & humida ex secundario frigefacere, & siccare. eadem verò calefaciunt, & humectant à sumpto cibo, quia licet valeant calorem insitum educere, id tamen in saturo æquè non efficiunt, & ieiuno:

a lib. 4. Meteor.

nam in saturo abundat humor, quem extimus calor
humori adiunctus adauget, & aucto humore, caloris
quoque accessio aliqua fit; sed hoc est naturæ consen
taneum, vt calidum calefaciat, humidum humectat:
idemq; in ieiuno statim ac primum efficitur, sed mo-
ra contrarium ex secundario fit, vt dictum est: quo-
niam caloris exstrinsecus accedẽtis maior est eo tem-
pore vis, quam insiti. Sed in saturo è contrario, nam
is habet in prõptu, vnde insitus calor, atque humor
augeatur, cibis enim & augetur, & vires assumit, a
lauacro autem calido excitatur: est verò necessariũ,
vt cibis sumptis membra distenta quodammodo am
plificentur; quod & ipsum caloris est opus, itaque
Hippocrates subiunxit nuper dictis, quæ superemi-
nent in corpore, τὰ υπερεχοντα ἐν τῶ σώματι, in am
pliorem molem diffundi: propterea Corn. Celsus do
a cap. 3. cuit *a* libro primo, balneum post prandium corpora
implere, & calefacere, contra verò ieiunos extenua-
re, & refrigerare.

Hæc verò cum sibi inuicem remedia sint, debent
opportunè adhiberi: cum enim sit mediocritas quæ-
renda semper, graciliores implere, & pleniores exte-
nuare opus est, ergo hi ante cibum, illi post cibum
calida lauandi sunt. E contrario frigida lauacra in
ieiuno calorem quemdam excitant, inquit Hippo-
crates, an quia à circumstante frigore calor insitus in
seipsum cogitur: quamobrem alibi dictum est ab eo-
dem, ventres hyeme esse calidissimos? Sed est notan
dum, eo loco scriptum esse θερμόν τι ψυχρόν; idest,
calidum quoddam frigidum, quem locum interpres
vulgatior dissimulauit, & verbum tacuit ψυχρόν, id
est frigidum, non intelligens, opinor, quidnam sit
calidum frigidum, & alij suo arbitratu vocem spu-
riam supposuerunt, ὑγρόν, idest, humidum, quæ in
nullo

nullo codice legitur, tantum in notis, vel glossematis quorumdam exemplarium reperta est, vbi illam apposuit studiosus aliquis Hippocratis consilij ignarus, & mendam esse suspicatus. Sed nec dissimulanda, nec emendenda vox fuit, legendumq; θερμὸν τὸ ψυχρὸν: frigidum autem quis sibi persuadeat calefacere? frigefacit per se, vt calor calefacit, sed calefacit quodammodo, vt dictum est: atque ita calefacit, vt sensus quoque frigoris remaneat: quod vsu venire, ij testabuntur, qui niuem aliquando tractarunt, & est in nõnullis febribus manifestum, vbi calor, frigusq; concurrunt, lauatio igitur frigida ieiunum quodammodo calefacit. humectant quoque, quoniam vis eadem frigoris egressum humoris compescit: hoc tamen Hippocrates omisit, sed eo indicauit, quod dixit, à frigido illos balneo siccari, qui cibo sumpto lauantur, & quia asseruit, contraria ijs fieri, quæ calidam efficere ante cibum, assumpserat. Contra post cibum frigida lauatio frigefacit, & exsiccat; sed Hippocrates tantum expressit, quod siccat; nam inquit, detrahit ab humido, & replet siccitate: nõ dixit autem, quod frigefaciat, indicauit tamen subiungens frigidum replere siccitate intus existente, quod est dictum illi veluti contrarium, quod ante de calida post cibum dixerat, quæ calefacit, & humectat. obscurus tamen sermo est, fateor, sed accipiendum est, sermonem esse de lauatione paulo post sumptum cibum, qui etsi demum calefacit, & humectat, initio tamen frigus quoddam inducit; Aristotele *a* auctore libro de iuuentute senectute &c. lauatio igitur frigida frigus ex cibis tunc intus exortum auctius reddet, & concoctionem retardans, siccitatem quoque, cibos inconcoctos manifestè sequentem, augebit. his de caussis pleniore corpore præditos, vt modice exte- a cap. 3.

nuemus, frigida post cibos, graciliores verò, vt modicè impleamus, ante cibum lauare oporteret. Sed hæc ratione fortasse magis, quam experimentis constant.

Siquidem nullus sit, vel certè rarissimus balneorum vsus caussa valetudinis frigidorum. per summos quidem æstus iuuenes multi, & adolescentes natationi in frigidis vel fluuijs, vel lacubus, vel mari adsuescunt, sed hi voluptati potius, quam valetudini inseruiunt, vt alij necessitate adacti fluuios tranant, & mare. Illud constat, à meridie frigidam esse tolerabiliorem, quam ante, siue ieiunus, siue satur aliquis lauetur; & ideo gracilibus, quibus est frigus aduersissimum; commodiorem, & salubriorem post cibum, quam ante existimandam: itaque calidam semper præferendam: sic plerumq; salubriorem Hippocrates *a* eam asseruit, inquiens, βέλτιον δὲ θερμὴ πρὸς τὰ πλεῖστα, præstat in plerisq; calida: cui à teneris opera obstetricum primùm adsuescimus; & licet quædam gentes frigida in puerorũ educatione vtantur; naturæ tamen nostrę calida consentanea magis, & amica est, quando ante exortum in vtero genitricis in aqua calida veluti innatamus; & quibus in rebus nostræ procurationis exordium sumimus eisdẽ, cum iam in lucem emersimus, plurimũ delectamur, & dicta est natura ab Aristotele *b* in locis familiaribus conseruari, ἡ φύσις οἰκείοις μάλιστα σώζεται τόποις: quod cum in plantis, tum in animalibus obseruare licet, vt à Theophrasto *c* proditum est; vt non immeritò ille apud Aristophanẽ Nebulis, alioqui nequam voluptatum defensor; lauacra herculea vocata nusquam frigida reperiri; asseruerit; vt doceret, calida frigidis anteponenda; nam si frigida præstarent, cur non hæc potius, quam calida, ab Hercule

a lib. de vsu humidorum.

b lib. de respir.

c lib. 1. de caus. plant.

cogno-

cognomen acceperunt? vt mirum non sit, loca, in
quibus lauari solemus, græca voce calorem signifi-
cante vocata: Est enim θερμὸν calidum: itaque & la-
tinè balnei appellatione, calidum lauacrum propriè
venit, quod Celsus *a* docuit, cum distinxit inter bal- a lib. 1. c. 1.
neum, & aquas frigidas, significans, balnei nomine
calidas accipiendas, prodest, inquit, interdum bal-
neo, interdum aquis frigidis vti.

Huc accedunt ea, quæ à Plutarcho in præceptis
salubribus dicta sunt; frigida videlicet balnea cutẽ
quidem durare; quod videtur esse salubre; sed maio-
ra damna eriri, quoniam meatus occupantur, & hu-
mores densantur, & exhalationes cohibentur. contra
calidis etsi vigor, ac robur frangi videtur, maiore ta-
men fructu concoctionem adiuuari, & ea, quæ, con-
coqui non possunt, diffundi, & dissipari, & occultas
lassitudines refocillari, ac tempore mitigari: nisi fri-
gidæ perfusionem post calidam, quasi laxamenti ni- b lib. 25. c. 7.
mij remedium probemus, vt fecisse (auctore *b* Pli-
nio) videntur celebres olim medici fratres, Musa,
qui Cæsari Augusto, & Euphorbius, qui Iubæ Mau-
ritano, medicinam fecit, aliàs Galenus *c* in nuper c lib. 1. de san. tu. c. 10.
editis puerulis frigidæ vsum disertissimè condemna-
uit. itaque frigida vel necessitate, vel voluptate tan-
tum vsi nonnulli sunt: salutis gratia vix modus ali-
quis eius statui poterit. Quo consilio Alexander
Mammeæ frigida semper lauaretur, rarò calida, in-
certum; sed constat, Lampridio auctore, frigidę quo-
que potu maximè delectatum, quam vel ieiunus bi-
bere consueuit. Qui liberaliter comedunt (quod Ale
xandrum fecisse idem est auctor Lampridius) nec
vsque adeo feliciter escas conficiunt, ij sitire solent
plurimum, & æstuante stomacho laborẽ pati, quem
frigido cum potu leuant, tum frigido aere, quem spi-

rantes

rantes ducunt: quamobrem vt frigida conquirunt
loca, quæ inhabitent, ſic & frigido gaudent lauacro,
quod externo contactu, & vapore, vna cum aere in-
tro ſubeunte, æſtuantem ſtomachum recreent: quo
etiam pertinet pomorum vſus, quibus idem Alexan
der ſummopere delectabatur.

Eſt tamen in calido lauacro vt ſalubritas maior,
ita & voluptas: propterea ad lucrum res cõuerſa eſt,
atque delitijs magis, quam ſaluti, & bonæ valetu-
dini apud pleroſq; inſeruire, iam inde à vetuſtis tem-
poribus obſeruatum eſt, ſiquidem eodem loco Ari-
ſtophanes Iuſtum ſermonẽ fingit adoleſcenteis hor-
tari vt diſcant forum odiſſe, & à balneis abſtinere
μισεῖν ἀγορὰν, καὶ βαλανείων ἀπέχεσθαι, quod antea
a lib. 15. c. 7. indicauimus. Quod verò Plinius *a* ſcripſerit, antea
non fuiſſe morem, niſi calida tantum lauandi, ſicut
apud Homerum etiam inuenitur; hoc damnandum
non conceſſerim (liceat obiter auctorem, & ciuem
optimum defendere) quamuis enim contraria ſint,
quæ de Sueuis, & Hiſpanis ante diximus, qui frigi-
da lauabantur, & quæ Homerus de Vlyſſe, & Dio-
mede cecinit; κῦμα θαλάσσης ἱδρῶ πολλὸν νίψεν: his
enim conſtat, frigidam in vſu fuiſſe; tamen vera Pli-
nium dixiſſe exiſtimo, quoniam de ſolis Græcis, &
Romanis loquebatur, & de lauatione, cui ars
aliqua adhibetur, non de ea, quæ ſola na-
tura conſtat, quam ſolam exteræ
quædam gentes cognouiſſent.
Hæc habuimus, quæ de
calidi, ac frigidi la-
uacri compa-
ratione
diceremus.

Vtrum

Vtrum balneum sit lassitudinis remedium. *Cap. XXVII.*

SED quærat aliquis, sitne idonea, & opportuna
lassitudinis medela balneum: quando, & Hippo-
crates inter lassitudinum remedia balneum memo-
rauit, vt ante dictum est: & Celsus similiter post fa-
tigationem, ante cibum, quomodo lauandum sit, di-
sertè docet. & ille apud Plautum Mercatore, inquit,
numquam ædepol omnes balneæ mihi hanc lassitu-
dinem eximent. inquam sententiam scribit, & Plu-
tarchus in præceptis salubribus. Galenus quoque
libris de sanitate tuenda tertio, *a* & quarto, *b* laua- a cap. 6. b cap. 10.
crum adhibet lassitudini, cum qua tensio est: & rur-
sus libro tertio, *c* quarto generi, quæ lassitudo non c cap. 7.
est, sed aliquid ei simile, quæ siccitas quædam est.
Sed & Theon, gymnasticæ auctor, in lassitudine la-
uationem laudauit: etsi reprehenditur à Galeno: *d* d lib. 3. de san. tu. c. 8.
quod promiscuè, & sine distinctione feruidā aquam
laudauerit, quam ζεσολουσίαν vocauerat, & ἀσάμιν-
θον (vocabulum Homero frequens, ad vas, lauatio-
ni dicatum significandum) dictum volunt à minuen
da molestia (est autem lassitudo molestia quædam)
quasi ἄσην μινύθων. Itaque non est rationi consenta-
neum, viros præstanteis in hac re deceptos, cuius fre
quentem apud illos vsum exstitisse, compertum est.
Quomodo autem prosit laxando cutim, & humores
dissoluendo, & digerendo satis à Galeno, & disertè,
& copiosè explicatum est eodem libro tertio de sa-
nitate tuenda. Quo tamen loco non semper necessa-
riam docet esse. cum admonuit iuueni optimè con-
stituto ea omnia ex sola exercitatione, & frictione
euenire, quæ lauacrum ipsum præstare creditur. Sed
neque

neque sperandum est, quod Hippocrates in suis ora-
culis (non iniuria enim sic vocamus aphorismos)
aduersus lassitudinem balnei mentionem non fece-
rit, cum eam tolli quiete dixerit: hoc enim argumēto
esse potest, Hippocratem lauacri vsum huius rei caus
sa non æstimasse: cum alioqui balneum in eodem li-
bro aduersus oculorum dolores commēdauerit. Sed
& experimentis innumeris constat, lassitudines sine
lauacro dimoueri, vt existimādum sit, auctores hoc
remedium expendisse ob illorum hominum, quibu-
scum versabantur consuetudinem; nam veteres Græ
ci, ac Romani tum curiosè, tum ambitiosè sanitatis
studio tenebantur; non quod, illius vsum aduersus
lassitudinem necessarium, & magnifaciendum, exi-
stimauerint.

Cui hominum generi balneum conueniat. *Cap. XXVIII.*

QVAEREBATVR insuper, quinam lauandi fo-
rent; non vt explicaretur, quibus in morbis
lauatio conueniat; hoc enim longè abest à nostro in-
stituto; nec etiam cui, vel sexui, vel ætati; nam vel
omni, vel nulli conuenit: & constat, vt nūc, ita etiam
vetustis temporibus iuniores, & seniores, mares ac
fęminas lauari consueuisse: immo mulieribus Deo
dicatis balneum singulis concessit mensibus Augu-
a epist. 109. stinus *a* vir Sanctus: sed hæc ad præsens institutum
non pertinent: hoc enim agimus, vt innotescat, quod
sani quicunq; commodum à lauacro expectare me-
ritò debeant. Sunt igitur duo, quæ in vsu balneorum
fieri solent: alterum est corporis abstersio, extra so-
lium, seu labrum, & alueum, aquæ perfusione facta,
& ma-

& manibus, ac strigili, quo non secus, quam Græci, olim Romani vtebantur: alterum est sessio in solio, vel alueo, calentis pleno, vbi tamen corpus quoque abstergi potest. Lauantur pleriq; extra solium, & alueum, vt sordes corporis abluant, detergantq;: rari nostra ætate in solium demittuntur, nisi valetudinis caussa, vt quibus corpus tabescit, quibus cutis vlcusculis scatet, & fæda est scabie, impetigine, vitiligine, & similibus: sed veteres in vtroq; fuere magis frequentes, quoniam, linearum vestium defectu, plus in cute sordiũ aceruabant: nobis innumeri noti sunt, qui numquam balneo vtuntur, tantum lauant singulis diebus, & sæpius die manus, aliquando pedes, & caput: alij tamen rarius hæc, alij crebrius: idq; nullo plerumq; incommodo.

Quoniam verò multum in consuetudine positum est, & pleriq; nullo medici consilio lauationi adsuescunt; nihil certius statui potest, quam vt consuetudinis ratio habeatur, illosq; ad lauãdum hortemur, quibus est lauandi consuetudo, quando Hippocrates *a* in morbis quoque indulgendum monet ei, qui per bonam valetudinem lauacrum amat, & lauari consueuit; ἢν ὑγιαίνων ᾖ φιλόλυτρος ἄγαν, καὶ εἰθισμένος λόεσθαι, nam & iuuatur si lauetur, & illotus lędi solet. Quod si quis non adsuetus balneo de commodis eius consilium petat; nisi sit malo affectui obnoxius, cui balneum remedio esse possit; huic salubrius existimauerim abstinere: nam vt ægrotantium curatio expeditior est, quæ fit per pauciora, vt ait Celsus; ita valetudinis custodia tutior est, quæ paucioribus implicatur: sordes è corpore non adeo difficilè est amouere, vt balneos adire necesse sit: rarum saltem balnearum vsum salubriorem statuemus: itaq; Tacitum Imperatorem balneis rarò vsum, & firmiore

a lib. acut. sect. 3.

re fuisse Senectute, à Vopisco proditum est: scilicet frequens vsus à luxu potius, quam à sanitatis studio, ortum habuit. à calida voluptates, & illecebræ dixit Hippoc. a ἡδοναί, καὶ προκλήσιες. immo, si credimus eidē, sanitati aduersatur, quia nocumēta grauia à calida mortalibus accidere, vt ante diximus ex libro Aphorismorū, nos admonuit. quibus tamen inferiora non sunt, quæ frigida potest inferre detrimēta, quam dixit libro humidorum, dolores facere, & abominationes, ἀλγηδόνες, καὶ ἀποτρέψιες.

a lib. de vsu humidorum.

Quamobrem tutius censendum est, neutri lauationi adsuescere, quando, vsu quoque calidæ multos exstinctos, Plutarchus testatus est, eo solo nomine quod essent adsueti, nec cibos nisi loti capere possent: eamq; ob caussam Titum Imperatorē obijsse: quamobrem idem laudabat, vt, omisso balneo, vnctio ad ignem adhiberetur, quam veteres in eumdem vsum adhibere solitos, reperimus, in quem balneis vtebantur, tamquam ex æquo salutarem. Itaque scriptum est à Corn. b Celso, Exercitationem rectè sequitur modo vnctio vel in Sole, vel ad ignem, modò balneum. &, si balneum non est, vel in Sole, vel ad ignē vngi. Sed fuit auctor apud Suidam, in vocabulo Βαλανειομφάλους, qui scripsit γῆρας ἀνθρώπων εἶναι τὰ βαλανεῖα. Senectam hominibus esse balneas. Si tamen pro natura, & cuiusq; temperamento statuendum videatur, quibus commodior lauacri vsus existat, eumdem consulemus Hippocratem docentem, victus humidas rationes pueris, & alijs sic adsuetis prodesse, nam viuendi ratio non solum continet cibi, ac potus modum (etsi hūc præcipuè) sed, omni quoque, quietis, lauacri, & aliorum, quæ vitæ necessaria sunt. congrua est pueris lauatio, quoniam humidum illorum corpus conseruare videtur, vt ad incrementum

b lib. 1. c. 2. & 3.

tum

tum felicius promoueatur: congrua est rursus, quoniam, vt antè dictum est, in vtero genitricis, veluti in solio tepentis aquæ pleno innatamus, cuius veluti recordario, vel imago quædam balneum est, & idcirco gratum, & salubre est. Galenus a librum salubrium priore infantibus, vt lac pro alimento, ita salubrium balnea aquarum adhibenda, disertè monuit: & quæstionem vulgatam diluit, non esse scilicet siccanda puerorum corpora, & si abundè humida: quoniam ita contraria contrarijs corrigenda sunt, si nec ætas, nec repugnet consuetudo.

a lib. 1. de san tu. c. 7.

Vltra eam ætatem minus est balneum salubre, nisi consuetudo requirat, vt eodem aphorismo Hippocrates admonet; minus, inquam, conducit post pueritiam, quoniam robur frangit membrorum, & imbellem efficit iuuentutem, cuius munera cum alia sint, quam pueritiæ, ita aliam postulant viuendi rationem, & normam, quam munia puerorum: quorum membra, vt crescant, & perficiantur, vt dictum est, humido victu efficitur: iuuentum autem, iam perfecta, sicciore victu sunt roboranda. Senibus quoq; minus est vsus balneorum salubris, quod pueris: etenim cum sua sint lauacris commoda, & incommoda: quæ antea exposuimus; Senectus sentiet incommoda promptius, quam commoda: quoniam propter caloris insiti inopiam, ab ea victus ratione, quæ crescenti ætati; in qua calor idem exuberat; consentanea est, lædi facillime potest; atq; vt alimenta parcius offerenda sunt senibus, Hippocrate auctore, b ita lauacri vsus, quo rarior, eo salubrior eisdem censendus. Celsus c quidem, calida, inquit, lauatio pueris, & senibus apta est: Sed non propterea intelligimus æquè vtriq; aptam ætati; sed de senibus comparatione iuuenum locutus est, quo-

b parcæ. aph. 13.

c lib. 1. c. 31.

niam ficciora senum corpora ab humidis modum aliquem requirunt. Cum vero duplex re sit habitus hominum; nam alij graciles, alij carnose sunt: gracilibus magis: quam carnosis lauacrum expedire libro de salubri diæta Hippocrates admonuit, quoniam & reliquus victus modus vtilis eisdem est, qui humorem concilict.

De raro, & frequenti vsu balnei, & de eiusdem tempore. Cap. XXIX.

CVM vero non vacet vsus balnearum periculo, vt expositum est, rariorem quoque eorundem vsum vtiliorem esse statuemus: quod ante pariter indicatum est: docuitq; Columella *a* dicens, balneas in villa rustica esse oportere, in quibus familia, sed tantum ferijs lauetur, neq; enim, inquit, corporis robori conuenit frequens vsus earum, quo præcipuè nomine calidum Hippocrates *b* damnauit in aphorismis, vt ante notatum est. Si autem rarum balneum vtilius est, consilium eorum omnino damnandum est, qui eodem die sæpe lauari instituerunt, Commodum Imperatorem scripsit Lampridius septies, & octies die lauari solitum. Sed hoc bonæ valetudinis studiosus non magis imitabitur, quam res alias ab eodem Imperatore gestas beatę vitæ indagator, & cupidus imitari debeat. Similia fecisse Imperator Galienus fertur: sed quis hominem imitetur: quem Iulius Capitolinus ait, natum abdomini, & voluptatiqus, vino, & stuporis orbem terrarum perdidissem? Gordianum seniorem, bonis moribus præditum, lauari solitum sæpius die, idem est auctor Capitolinus, sed maiorem quamdam in eo

a lib. 1. c. 6.

b 5. aph. 16.

lauandi

lauandi cupiditatem notauit illis verbis, lauandi cupidus, ita vt & quater, & quinquies in die lauaret ęstate, in hieme bis. quod imitandum non esse.

Fuere qui semel die; sed & qui nonnisi multis interpositis diebus lauabantur: quos salubrius fecisse existimamus. Romæ fortasse in publicis balneis semel die tantum lauari poterant in priuatis vero bis vt lauasentur, nulla lege, vel edicto cautum erat. Hippocrates ægris quoq; binam lauationem permittit eodem libro *a* acutorum. quod in priuatis domibus fieri debuit, vt ante admonuimus; nam acuto morbo laborans non potest in thermas publicas, nè semel quidem die: nedum bis, sine periculo defezzi. Permittit autem cupidis tantum, & lauare adsuetis. Vt vero rarum balneum salubrius, ita quoq; breuis, quam longa in eo mora vtilior est. Erat autem mos antiquorum, vt non amplius horam in lauacro tenerentur, quando Roma in palestram: vbi exercębantur, deinde lauabantur hora octaua æstate, nona hyeme (Plinio *b* iuniore teste) se conferebant nona, vel decima cænaturi, vt ex vulgatissimo Martialis epigrammate constat in quarto libro, sufficit in nonam nitidis octaua palæstris, Imperat extructos frangere nona thoros. quod intelligi quoq; potest ex Galeni sexto libro *c* de sanitate tuenda, vbi perspicue indicauit, multos sole occidente somno se tradere solitos, qui totum diem varijs negocijs, & ministerijs consumpserant; & duarum tantum, vel ad summum trium horarum spacium habebant reliquum ad corpus curandum palęstra, cibo, & quiete à cibo ante somnum: vt vix horam in palæstra, & balneo versari possent, octauā scilicet, vel nonam, licet Antonius Imperator nonnunquam decima æstate; & duodecima hyeme in balneum ingrederetur, vt eodem loco

a lib. acut. 3.

b lib. 3. epist. 3.

c cap. 5.

Gale-

Galenus admonuit. Quod ſi ſerius hora vulgata la-
uarentur, vel citius, (toto enim die balneæ ijs pate-
bant, qui lauari deſiderabant: & ante conſuetam, &
vulgarem lauandi horam lauari voluiſſent, vt con-
ſtat Spartiani teſtimonio in Adriano dicentis; Ante
octauam horam in publico neminem, niſi ægrotum
lauari paſſus eſt: immo nocte quoq; lauabantur. ita-
que Lampridius in Alexandro, addidit, inquit, oleũ
lupanaribus thermarum, cum antea non ante auro-
ram parent, & ante Solis Occaſum clauderentur) ſi
ſerius igitur, aut citius hora vulgata lauarentur, lon
giſſimum tamen erat tempus hora, vt eo quoq; co-
nijci poteſt, quod lampridius Alexandrum Seuerum
in piſcina horam manere ſolitum dicit, quoniam alij
vnius horæ ſpacio exercebantur, & lauabantur. Va-
letudinis igitur ſtudioſus non diutius hora ſe in bal-
neis continebit, ſiue mores veterum ſequi malit, ſiuè
rationem, qua nobis perſuaſum eſt, tutiorem eſſe bre
uem, quam moram in balneo diuturnam. & ſi non
ignoramus nonnullos ſinbecilliores balnearum ca-
lorem nè ſemihoram quidem ferre poſſe, nonnullos
vero toto die in eis tuto verſari, cuiuſmodi ſunt ipſi
balnearum miniſtri.

Anni tempus aptum lotioni de Hippocratis ſen-
tentia Ver, Aeſtas, Autumnus eſt, Hyemem minus
idoneam ſignificauit, quando libro tertio de diæta,
balnei vſum arbitrio cuiuſquam cõmittendum hye-
me ſignificauit, inquiens, vbi quis lauari velit, reli-
quis enim temporibus lauandum dixit, & quaſi præ
cepit; ſed vere, & Autumno calida, Aeſtate tepida.
libello autem, qui inſcriptus eſt, de victu priuatorũ,
diſerte prodidit, balneis multis ęſtate vtendum, hye
me paucioribus. multa autem laudat æſtate balnea,
non quia multam lationem ſalubre exiſtimet, ſed
hyemis

hyemis comparatione, cum eo tempore nullus, vel rarissimus balnei vsus esse debeat, crebrior vero ęsta te admitti possit. Lauandum vero ante cibum, præsertim vespertinum more maiorum; est enim vulgatissimum, apud Romanos horam balneo dicatam, fuisse octauam vel nonam, idest à meridie ad vesperum, vt disertè Victruuius *a* scripsit. Sed ea consuetudo orta est non valetudinis caussa, sed ob Reipublicæ formam; quamobrem multi sic distringebantur negocijs, vt vix hora octaua, vel nona lauari possent. alioqui nostro æuo, qui lauantur, plerique ante meridiem, & ante prandium sine vllo periculo lauātur; vtrum sit conducibilius ante prandium, vel ante cęnam lauare, non est pluribus expendendium, quoniam par ratio videri potest, modo inter prandium, & cænam tempus interpositum sit, ad prandium concoquendium idonenm id; quod si breuius existat, ea est adhibenda distinctio, quæ superius indicata est: nam ieiunos balneum extenuat, saturos implet, statuendum igitur est, graciles, qui implendi sunt, ante cęnam, prandio nōdum concocto, lauandos esse: obęsos verò, qui extenuari cupiunt, ante prandium ieiunos vtilius lauari.

a lib. 5. cap. 10.

De partibus corporis lauacro subijciendis. Cap. XXX.

SIT vero totum corpus lauandum, an partes quædam, hoc postremo relictum est, de quo cognoscatur, & iudicetur. Lotio manuum, tam ante, quā post cibum, vulgatissima est, non quidem caussa valetudinis, sed munditiæ; quamquam ad bonam valetudinem munditia conducit. Græcos ueteres lauisse manus

nus ante cibum Homeri testimonio constat, cui frequens illud est, κήρυκες μὲν ὕδωρ ἐπὶ χεῖρας ἔχευαν, aquam manibus infuderunt; nonnunquam corpus vniuersum lauisse idem Homerus indicat, vbi scilicet exceptum hespitio aliquem narrat, vt Telemachum apud Hectorem, & Menelaum: quod eo præsertim intelligitur, quod lotum, & inunctum, ἐπεὶ λοῦσεν, καὶ ἔχρισεν λίπ' ἐλαίῳ, vestib. exornabant; ἀμφὶ a δέ μιν φᾶρος καλὸν βάλεν ἠδὲ χιτῶνα, & ἀμφὶ b δὲ ἄρα χλαίνας οὔλας ἠδὲ χιτῶνας. Sic c & Vlysses apud Alcinorum lauatur primum, deinde vestibus instruitur, & similiter apud d Ciren. alioqui cęnaturi manus dũtaxat lauabant; quin & qui modò totos se lauerant cænaturi manus nihilominus lauisse ab eodem Poeta dicti sunt, vt idem Telemachus apud Menelaũ, & Vlysses apud Circen.

a Odyss. Γ.

b Odyss. Δ.

c Odyss. Θ.

d Odyss. K.

Quod verò pedes lauerint ante cęnam, mihi non constat: noui equidem, Vlyssem ab Euryclia agnetium in pedum lauatione, vt est apud Homerum in Odysseæ T. at non ante cęnam, sed ante somnium, quando post eam lauationem Penelope, Vlyssem alloquens, non de cibo, sed de somno, & cubitu uerba facit; κοίτοιο τάχ' ἡδέως ἔσσεται ὥρη; & absoluto sermone tam Vlisses, quam Penelope cubitum iuecunt, vt disertè Poeta cecinit in fine libri Odyss. T. & initio. Y. antea vero ancillis præceperat, hospitem (Vlissem videlicet) lauari, atq; inungi, postridie mane cũ Telemacho pransurum; ἠῶθεν δὲ μάλα ἦρι λοέσσαι τε χρῖσαι τε ὡς κ' ἔνδον παρὰ Τηλεμάχῳ δείπνοιο μέδηται, sed non quasi post lauationem, & ante somnium cęnaturum. Sed manus quandoque ueteres à cęna græcos lauisse. (etsi hoc Homerus nusquam dixerit, quod ego nouerim, nisi cum Hestor sacrificasse post epulis dictus est) constat ex ijs, quæ ab Athe-

nęo dicuntur in nono libro, cum aduersus Aristophanem Grammaticum tradit, κατὰ χειρός dictum de manuum lauatione tam ante, quam post cibum.

Postea verò græcos eam habuisse consuetudinem, vt totum corpus quotidie lauarent, tam notum est ex Hippocrate, & alijs auctoribus, vt non egeat probatione. Romani veteres cibum sumpturi brachia, & crura tantum quotidie lauabant, corpus vniuersum nundinis, vt Seneca testatur in epistolis.a Postea verò corpus vniuersum quotidie lauare gręco more instituerunt. lauisse autem post cęnam pedes, non satis mihi cōpertum est: quod ait in Pompeio Plutarchus, Phaonium vsque ad pedum lauationem, & cęnæ apparatum ipsi Pompeio ministrasse, docet, ante cęnā, non autem post, lauari pedes consueuisse. Nostri sępe à cęna pedes lauant, sed ij, quod eis commodè cedit, sequuntur. Veteres, quod est magis salutare secuti videtur. itaque, vt manus, & reliquū corpus, ita pedes ante cęnam lauare solitos credimus.

a Lib. ep. 13.

Cum igitur ægritudinis caussa vel præsentis, vel imminentis lauandum est, eæ partes lauandæ sunt, ad quas ægritudo pertinet, vel totum corpus, si totius illa ægritudo existat. alias necessitas nulla est lauādi alias parteis, quam quæ sordes facilè contrahunt, manus, caput, pedes, sed in primis manus propter varia, & innumera earum ministeria, quod est notissimum. quod si qui vel ob labores, vel ob peculiarem naturam sudoribus obnoxij existunt, quoniam aceruatæ ex illoto sudore sordes sæpe morbos pariunt, ad eos vitandos, corpus totum ijs meritò lauādum est. Post exercitationes (quod præsertim agimus) veteres corpus vniuersum lauabant, vt scilicet vniuersum à cęno, & sordibus vindicarent, & omneis parteis à lassitudine tuerentur. itaque, quos itinere, & peregrina-

tione fatigatos hospitio excipiebant Iudæi, pedes illorum lauabant primum; vt quæ partes laborauerāt lauatione recrearentur; deindè cibo eosdem reficiebant: sic Habraam *a* tribus viris obtulit primū aquā ad lauandos pedes, deinde cibos ad reficiendum. Sic Loth *b* angelos similiter ad pedum lauationē in primis hortatus est; neque non Senex *c* ille, qui Leuiten inuitauit, pedes primum lauandos curauit, deinde cibos obtulit. quod verò Iesus Christus Dei filius, dominus noster, pedes Apostolis lauit, vt res est plena Mysterio, ita ad hunc locum minimè pertinet: constat tamen rectè historiam Euangelicā perpendenti; cum iam cęnaturi essent cū Domino Apostoli; atque ideo discubuissent; Dominum è triclinari lecto surrexisse, & ante quam epulæ sumerentur, pedes lauisse discipulis; nihilq; factum contra veterem Iudæorum pedes ante cęnam lauandi consuetudinem.

a Genes. 18.
b Gen. 19.
c Iudic. 19.

De Illuuie. *Cap. XXXI.*

CVm verò lauacrum suaptè natura humidiora efficiat corpora, non est prætereūdum, lauacri abstinentiam, siue Illuuiem, quam ἀλουσίην Hippocrates vocat libro secundo de diæta; sicciora eadem reddere, vt idem notauit: hocq; non idcirco solum, quod non humectat, etenim si hoc tantum eueniret, negari posset, illuuiem siccare; sed dicitur siccare, quoniam re siccitatem inducit; nam Hippocrates ait, ab ea humorem absumi, καταναλισκομένου τοῦ ὑγροῦ. scilicet, cum ea est natura corporis, vt à calore insito indesinēter arescat, dum calor humorem pabuli instar, consumit: tum verò à corpore perpetuo manant tenacia quædam corpuscula, & humor quidam (sit fas dicere) siccus, & tenax, qui cuti adhæret, eamq; spa-

cio,

cio, & tempore asperam reddit: quod si lauacro, aut alia ratione non tollatur, tandem perspiratum corporis impediet, quapropter idem humor intra cutem aceruabitur; & inde totius corporis habitus paullatim siccior, & durior fiet, qui squalor vocatur; cuiusmodi corpora agrestium quorundam hominum solent esse valde dura, & scabra: itaque libro de salubri diæta ipse Hippocrates inter ea, quæ pingueis attenuant, illuuiem, τὸ ἀλουτεῖν, recensebat.

De Vnctione. Cap. XXXII.

ERAT quoque frequens cum ante, tum post exercitationem, & laborem vnctio, quæ quoq; nonnumquam lauationem excipiebat, nonnumquam lauationis vices subibat. Lotos primum, deinde inunctos veteres Græcos, Homerus descripsit multis locis, quæ facilè quiuis obseruare potest, & Romanos idem seruasse, qui de rebus Romanorum aliquid litteris tradiderunt, passim, & perspicuè ostendunt. Sed sine balneo quoq; vngebantur, & sine vnctione nonnumquam lauabantur, quod Stratonis physici responso apparet, qui certior factus Menedemum plures, quam se discipulos *a* habere, respondit, ecquid magnopere mirandum est, si plures sunt, qui lauari, quam qui vngi volunt? Ergo non omnes vngebantur, qui lauacro vtebantur: sed licet multis idem auctoribus confirmari possit, vnus tamen, vel alter Hippocrates, & Aristoteles ex Græcis, & ex latinis Corn. Celsus satis potest esse.

a Plutarch. lib. de tranquill. animi.

Priore libro de diæta Hippocrates in sermone de sapientia, & desipientia, alias monet lauacrũ, quam vnctionem magis conducere, alias vnctionem lauacro vtiliorem, & lib. de affectionibus, quibus, inquit,

lauari non conducit, vngantur vino, & oleo calido. Aristoteles verò 1. probl. 40. querens, cnr æstiuis lassitudinibus balneo, hybernis vnctione mederi cõueniat, manifestè indicauit balneum ab vnctione prorsus seiungi consueuisse. Celsi *a* verò illa sunt; Exercitationem rectè sequitur modo vnctio vel in Sole, vel ad ignem, modo balneum. & illa, *b* communia omnibus sunt post fatigationem cibum sumpturis, vbi paullum ambulauerunt, si balneum non est, calido loco vel in Sole, vel ad ignem vngi, atque sudare. Si est, ante omnia in tepidario residere, deinde, vbi paullum conquieuerunt, intrare, & descendere in solium, tum multo oleo vngi, leniterq; perfricari. Hæc docent, vnctionem sine lotione in vsu fuisse. docêt quoque, vnctionem à balneo fieri solitum.

a lib. 1. c. 2.

b lib. 1. c. 3.

Sed & ante balneas aliquos inunctos proditum est, quod de Alexandro Seuero Lampridius scripsit. immo pro corporis, aut affectus natura, alio, atque alio ordine lauandi quidam fuere: itaq; verbis proximè positis Celsus adiunxit, post vnctionem iterum descendendum in solium. & posterius inquit, siquis exustus in Sole est, huic in balneũ protinus eundum est, perfundendumq; oleo corpus, & caput, deinde in solium benè calidum descendendum est. & alibi *c* de eo, cui caput infirmum est, potius vngi, quã lauari, nunquam ad flammam vngi, interdum ad prunam. Si in balneum venit, sub veste primum paullum in tepidario insudare, ibi vngi, tum transire in calidarium. vbi sudabit in solium non descendere, sed multa calida aqua per caput se totum perfundere, tum tepida vti, dein frigida, diutiusq; ea caput, quam ceteras parteis perfundere; deinde id aliquandiu perfricare, nouissimè detergere, & vngere. item alibi, *d* Antea verò, an postea quam in aquam calidam se demit-

c lib. 1. c. 4.

d lib. 2. c. 17.

demittat, aliquis perungi debeat ex ratione valetu-
dinis suæ cognoscat. faciunt illa *a* quoque; vtile est a lib. 3. c. 6.
etiam ducere in balneum; prius demittere in solium,
tum vngere, iterum ad solium redire, & illa, quisquis
autem fluore æger est, cum venit in balneum, prius
vngendus, deinde in solium demittendus.

Multis quoq; vnctio sola vtilis erat, balneum ve-
rò inutile: quod locis diuersis idem auctor, pro ægri-
tudinum natura, animaduertit: cuius tamen rei tra-
ctatio diligẽtior huius loci non est: nostrum vidẽtur
esse vsum vnctionis, pro bona tantum tuenda vale-
tudine, explicare. quem non esse leuem, & contem-
nendum, veterum seculorum auctoritas persuadet,
cum tam frequens vnctio apud priscos exstiterit: tra-
ditumq; sit, tamquam aliquid egregium, & notatu Athenæus lib. 2.
dignum, interroganti Democritum, qua ratione sa-
nus aliquis degere valeat, respondisse, si melle inte-
riora, & oleo exteriora perfundat: & Augusto inter-
roganti similiter Pollionem Romulum, centesimum Plinius lib. 2. c. 24.
annum excedentem, quanam ratione maximè vi-
gorem illum animi, corporisq; custodisset, respondis-
se, intus melle, foris oleo. Sed non solum post exerci-
tationem, vt hactenus sumpsimus, uerùm ante ipsam
quoque nonnumquam ungebantur, & multis Gale-
nus docet libro secundo de sanitate tuenda.

Vnctio, igitur, inquit Hippocrates, libro eodem
secũdo de diæta, calefacit, humectat, & mollit, ut con
tra unctionis neglectus frigefacit, siccat, & durum
corpus efficit: at calefactio, & humectatio naturæ
sunt magis amicæ, quippe caloris, & humoris tem-
perie uita constat: propterea utilius est ungi, quam
non ungi. oleum uerò; quo præsertim ueteres unge-
bantur, ut apud Homerum legitur, cui familiare il-
lud fuit, λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ, lauerunt, oleoq; un
xerunt;

xerunt; oleum, in quam, ad calefaciendum, & humectandum aptissimum est, θερμαίνων, inquit Dioscorides, καὶ δυσπερίψυκτον τὸ σῶμα, calefacit, & contra algores (ut Plinius inquit) corpus munit: Magna sanè prouidentia inuentum, ut post labores corpus calefactum aduersus subitas aeris mutationes oleo muniretur, cautè, & prouidè quoque institutum post lotionem ungere, quod eo meatus cutis sensum fugientes, occultaq; spiramenta obstruuntur: quamobrem in lauacro humor conceptus intus includitur, ut Eustathius *a* in Homerum notauit, ne scilicet humore eodem subitò dilabente irritum lauacri beneficium euadat.

libro primo.

Lib. 15. c. 4.

a Iliad. X.

Oleum igitur humectat, quia humidũ est, & quia humorem egredi nõ sinit, & calefacit, quia calidum natura est, & calorẽ insitum ab externis iniurijs tuetur. mollit insuper, quia lentorem habet, quo præsertim ijs, qui exercendi sunt, ante exercitationem utilis unctio est; ita enim mẽbra emollita facilius tractantur, flectuntur, distenduntur; quod maximo cõmodo euenit; nam dura, si uiolenter tractentur, franguntur facilè, ac rumpuntur: quod Dioscorides indicauit, inquiens, oleo munitum corpus ad functiones promptius euadit ἑτοιμότερον πρὸς τὰς ἐνεργείας; dicebat autem Galenus, *b* si prius calefaciendo partes solidæ molliantur, humores tenuentur, & exigui meatus laxentur, nullum impendere ruptionis, vel obstructionis periculum, itaque linteolo prius, deinde oleo fricandum; quibus consona maximè Lucianus in Anacharsi dicebat, vt coria, scilicet, oleo subacta difficilius rumpũtur, & firmiora sunt δυσραγέστερα, καὶ πολλῷ διαρκέστερα, sic viuentium corpora oleo proficere existimandum. Sed hoc peculiare commodum est ex oleo ante labores, cum reliqua post labores

b lib. 2. de san. tu. c. 2.

bores sentiantur. Neque Galenus ab oleo dixit meatus laxari, cum nos obstrui dixerimus, (etenim hæc pugnantia essent) sed docuit à frictione, quæ vnctionem præit, laxamenta hæc fieri: disertè enim scripsit, frictione prius cutem calefaciendam, & meatus laxandos, deinde oleum ducendum, quo membra solida molliuntur.

Ad solem autem, vel ad ignem vngebātur, vt ante dictum est: ne subita refrigeratione læderētur. Est autem par ratio Solis, & ignis, nam vterq; calefacit, & Sol ignis vicem, & Solis ignis sæpe subit. Hippocrates autem dicit, ignem, & Solem siccare: cuius rei testimonium ex ipso sensu petēdum est. Nec temerè dixit, à Sole, & igne trahi de corpore humorē: quanquam enim hac explicatione nihil amplius dicere videatur, quam vno verbo, exsiccare, tamen iure optimo ita locutus est: nam res duobus modis siccātur, aut quia humorem exhalant, aut quia contraria ratione humor cohibetur, & includitur, vt maximè adhæreat, quæ congelatio, seu concretio vocatur, quæ præsertim à frigidis effici solet, cum genus alterum à calidis, maximeq; à Sole, & igne fieri consueuerit: voluit igitur nos Hippocrates scire, hæc de priore exsiccandi modo accipi debere. Fuit verò apud veteres ad vngendum vulgatissimum oleum, succus videlicet, & liquor oleę: quod multis Homeri locis ostendi potest, quæ ideo prætermitto, quod vulgatissima sunt, est enim frequēs apud ipsum. ἔχρισε λιπ' ἐλαίῳ: itaque medicinæ auctores hanc rem agentes vnius ferè olei mentionem fecere: propterea q; Gręcos Plinius repręhēdebat, inquiens, vsum eius ad luxuriam vertere Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnasijs publicando. Postea verò luxus, & voluptas vnguenta inuexit, quibus non tantum perfusa corpora,

pora, ſed & aliquando balnearum parietes ſparſos, & ſolia temperata, proditum eſt: de quibus ſi quis plura ſcribat, delitiarum potius patrocinium uidebitur, quam tuendæ valetudinis curam ſuſcepiſſe.

FINIS.

BIBLIOTECA D. COLEGIO D. S. CARLOS

Superiorum Permiſſu.